Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXII
E
13
NAPOLI

XXII
E.
13.

Digitized by Google

33

Digitized by Google

Digitized by Google

# INSTITVTIONVM

SEV

# ELEMENTORUM
# DIVI JUSTINIANI


SACRATISSIMI PRINCIPIS

*LIBRI QVATVOR.*

## A JOANNE BAPTISTA
## PISACANE

*V.I.Doctore, ac Regio Auditore Caſtri Novi Neap.*

In Carmina redacti.



Bibliot. Nov. Neap. Soc. Jesu Catal. inscriptus.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

NEAPOLI,
Typis Ioſephi Roſelli M. DC. LXXXXIV.

*SVPERIORVM PERMISSV.*

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

# D. PHILIPPO ANTONIO

## SPINOLA COLONNA

*Duci Seſti, Viro Cameræ Suæ Catholicæ Majeſtatis Conſilii Belli, Præfecto Generali Catefractorum, & exteri equitatus in Statu Mediolanenſi, ac Præfecto Caſtri Novi Neapoli, &c.*

AVICVLAS quaſdam, Excellentiſſime Domine, cum nihil poſſent opulentius, plumas ad Magnificentiſſimum Delphici Apollinis Templum, ſicut, & Apes ceras ultrò detuliſſe, noſtræ memoriæ tradiderunt Scriptores. Sic Ego de Tuis famulis minimus has lucrubationes ſub Tui nominis auſpicio profero. Opus præſeferens in fronte tuum patrocinium glorioſum fore, neminem latet. Inter cęteros enim præclariſſimos viros Te præclariorem neminem inveniri poſſe cenſeo. Tui Generis claritas Trophæis, Imperiis, ac Purpuris illuſtrata vel ipſi gloriæ afferre poteſt invidiam. Ex Inclyto Domus Tuæ ſtipite ſemper immortali famæ, æternisque meritis decorata ſerta pullularunt: ſemper Fortiſſimorum Heroum Germina emicuerunt. Majores Tuos exercituum Imperatores quoties non admirata eſt Hiſpania? Quoties propter eorum ſingularem, atque incredibilem virtutem Regio non obſtupuit Belgica? Quoties eos Europa tanquam Belli fulmina non reformidavit? Prætereo Ambroſii Spinola præclara geſta, qui fortitudine



Digitized by Google

nulli ſecundus, Regnorum Catholici Regis inexpugnabile extitit propugnaculum. Æquè audax, & fortis in bello, ac ſagax, & prudens in Pace, nunquam erravit, quia ſemper vicit. Omnes ejus vitæ Dies nobiliſſima Trophæa, clarosque Triumphos pepererunt. Fortunas ſuas, ſanguinem, voluntatem ſui Regis Catholici honori, ac Religioni dicavit. Taceo antiquiſſimæ familiæ Tuæ præſtantiſſimos viros; qui literis, armis, dignitatibus Eccleſiaſticis floruerunt. Omitto Tui Patris egregia facinora, qui Regii Equilis eſt Præfectus, ac Supremi Ordinis Regens in Italicis, Statusque rebus gerendis, qui feliciter Viennenſem legationem obivit; Mediolanum ſapientiſſime gubernavit, Plenipotentiarius Pacis diuturnas diſcordias prudentiſſimè ſedavit, Reginas noſtro Monarchæ Domum magnificè, glorioſèquè deduxit. Horum enim præſtantiſſimorum Virorum geſta Eruditiſſimi commendarunt Authores. Quis autem dignitatis Tuæ altitudinem, Ingenii fœcunditatem, Probitatis amplitudinem, ſummam Prudentiam, Conſilium pene divinum, ac Sapientiam ſingularem enarret? Teſtatur tua præclariſſima geſta Sabaudia, quæ tua virtute, & conſilio ſe confeſſa eſt à maximis periculis fuiſſe liberatam. Teſtatur Mediolanum, quod magnis oppreſſum hoſtium copiis, te Imperatore equitatus, eorum ipſorum ſanguine redundavit, plurimoſque hoſtes à Te ſuperatos, proſtratosque conſpexit. Mihi tamen conticeſcere commodum, cum has innumeras virtutes nè perſpicere quidem mentis acie poſſim. Hoc igitur Opuſculum, ſuſcipe, ac tuere; & ſi quis ſuperbiat ſui animi dotibus, ſuarumque virtutum confiſus incremento, me laboris hujus maxima afferet jactantia, ſi id opus à Te uno non improbatum eſſe cognovero. Zoilos quidem, ac Momos contemnet, ſi Tuo non deſtituatur patrocinio. Alii magnificentius Tibi dicare potuerunt, at puto, non amantius.

Excellentiæ Tuæ

Humillimus, atq; addictiſſimus Servus
*Ioannes Baptiſta Piſacane.*

# D. ANTONIVS DE SANTIS

AUDITOR GENERALIS EXERCITUS HUJUS REGNI

## AD LECTOREM.

*EN dilecte Lector, Ioannis Baptiſta Piſacane elaborata Minerva mirandum opus, Carminum robore, tenera auctoris ætate, opus inquam non Poetici eſtus furore, ſed ingenii acumine, ſolidaque amenitate natum, Nobilis ſpeciei ſtudium jus Civile arduis quæſtionibus involutum (ut de Iuſtiniano ait Livius Inſtitutiones acuratiſſime concinante) in rithorum dulcedinem utiliſſime tranſpoſuiſſe. Res planè laude digna literaria Reipublica oſtendere, quam bello Iuſtitia gladium Apollinem poſſe induere, Aſtream Muſarum Choro adſcribi, & demum primeva Iuriſprudentia elementa explanari armonico lira ſonu. Non damnent nunc leges Poeſim. Non expellant Provincia Vates, Cum leges, & Poeſis Conſortium ineant. Exiſtimandus ſane encomiiſque extollendus, qui doctiſſimos imitatus Viros, nempe divum Gregorium NazianZenum Sedulium, Apollinarem Sydoneum, Lucretium, Severinum, Boeticum, & innumeros, qui Theologicè, & Philoſophicè metris profundè cecinerunt. Candida mente Lector cum præſtantiſſimo Iuvene mireris Virgilii maieſtatem, Ovidii facilitatem, artemque Oratii, Ariſtarcos pelle, Zoilis rumpe dentes. Vale.*

D.MAR-

# D. MARCELLI CARACCIOLI
## ELOGIVM

*Portenta loquor*
*Ioannes Baptiſta Piſacani*
*Muſarum vulnis è matris utero exceptus,*
*Carmina edidit non vagitus,*
*Balbutiens adhuc*
*Latinum, Græcum, Gallum, Hiſpanum*
*Callebat eloquium.*
*Incerto procedens gradu*
*Certis ingenii moribus orbem peragrabat,*
*A crepundiis Sene Infantia caruit.*
*Non dum tertio ætatis luſtro peracto*
*Omnes Aſtreæ receſſus penitus perluſtravit,*
*Muſasque iura canere docuit diſertiſſimè;*
*Felix profectò ager*
*Dum cæteri vernant autumnavit.*

## IDEM AD EVNDEM

*Ioannes Baptiſta Piſacani.*
Anagramma Puriſs.
*Apis bona ſapientias canit.*
Aliud
*Pia nobis ſapientia cantas.*
Aliud
*Ita bona canit ſapiens Apis.*
Aliud
*Nobis Apis ſapientia nacta.*
Aliud
*Ab ipſo enim ipſa ſcientia nata.*

EMI-

EMINENTISSIMO, E REVERENDISSIMO SIGNORE.

Giuſeppe Roſelli eſpone à V. Em. come deſidera ſtampare il primo, e ſecondo libro dell'*Inſtitutioni di Giuſtiniano*, tradotti in verſi latini dal Dottor Gio: Battiſta Piſacane: onde la ſupplica delle ſolite licenze, ut Deus.

*In Congregatione habita ſub die 2. Martii 1690. coram Eminentiſſimo Dom no Cardinali Pignatello Archiepiſcopo Neapolitano fuit dictum, quod Rev. Canonicus Celanus videat, & in ſcriptis referat eidem Congregationi.*

SEB. PERISSIUS VIC. GEN.

EMINENTISSIME DOMINE.

Civilium *Inſtitutionum libros* ad ligatæ orationis præcepta redactos ab U.J.D. Jo: Baptiſta Piſacane, nunquam ſatis commendato juvene, Tuis ut obtemperarem mandatis non ſine animi jucunditate, Eminentiſſime Domine, perlegi, admiratione non levi perculſus, immaturæ adhuc ætatis Ephebum, ſuaves adeo valuiſſe depremere fructus: adeoq; ad gloriæ culmen conſeendiſſe, ut peritiſſimos ſenes, nõ modo æmulari, ſed longè viſum ſit anteire; poſtquam rem difficillimã à nemine uſque adhuc expertam, ſublimi, ac perpolito dicendi genere, ad literam textus exploſis ſententiis; utile dulci commiſcendo, tanta feliciitate perfecit, ut de eo non minus, quam de Cæſare dici poſſe, alios à ſeribendo deterruiſſe dijudicem. Et quia in illo pervolvendo in nihilum offendi, orthodoxa quod à fide, boniſque diſſentiat moribus; ideò ad communem aptitudinem, ac oblectamentum, ut quam primum in lucem prodeat, perdigniſſimum reputo; Tua ni renuat Eminentia, cui me totum ſubmitto. Neap. die 24. Aprilis 1690.

Em. Tuæ Reverendiſſimæ

Humillimus, ac Addictiſſimus Servus
*Canonicus Carolus Celanus.*

*Neap. die 8. Julii 1690. fuit proviſum coram Eminentiſſimo Domino Cardinali Pignatello Archiepiſcopo Neapolitano, quod ſtante ſupradicta relatione Domini Reviſoris Imprimatur.*

SEB. PERISSIUS VIC. GEN.

---

EMINENTISS. E REVERENDISS. SIGNORE.

Giuſeppe Roſelli eſpone a V. Em. come deſidera riſtampare il primo, e ſecondo libro dell'*Inſtitutioni di Giuſtiniano* ridotti in verſi dal Dottor Gio: Battiſta Piſacane Auditore del Regio Caſtel nuovo, come anco di ſtampare il terzo, e quarto libro del medeſimo, pur ridotti in verſi latini dal detto Dottor Gio: Battiſta Piſacane; perciò ſupplica V. Em. delle ſolite licenze, ut Deus.

*R. Dominus D. Emmanuel Cicatelli Parochus Cathedralis Eccleſiæ videat, & in ſcriptis referat. die 22. Maii 1694.*

JO: A. SILIQVINUS VIC. GEN.

*Can. D. Januarius de Auria Dep.*

EMINENTISS. DOMINE.

Juſſu Emin. Tuæ perlegi librum, cui titulus: *Inſtitutionum Divi Juſtiniani libri quatuor à Io: Baptiſta Piſacane V.I.D. in carmina redacti*, Opus ſanè dignum, ac novum, acceptumque Reipublicæ literariæ futurum exiſtimo. Quò tantam Tibi laudem Auctoris ingenium parabit, ut nulla unquam temporis diuturnitas eam abolere poterit. Res enim inter ſe alieniſſimas feliciter, incredibiliq; nexu conſociavit, & inveteratam in omnium animis ſententiam, quà Poeſim à legali diſciplina ſummoperè abhorrere exiſtimabatur jam penitus ademit, quarè poſthac Muſas foro pariter, & Parnaſſo habitare videbimus. Dum igitur nihil ſit in eo, quod noſtrę fidei ſit abſonũ, vel moribus obſit, non ſolùm luce, ſed immortalitate dignum cenſeo, ubi ſic Em. Tuæ videbitur. Neap. die 26. Maji 1694.

Eminentiæ Tuæ Reverendiſſimæ

Humillimus, ac addictiſſimus Servus
*D. Emmanuel Cicatellus.*

*Attent a relatione ſupraſcripti R.D. Reviſoris, quod poteſt imprimi, Imprimatur. die 27. Maij 1694.*

JO: A. SILIQVINUS VIC. GEN.

*Can. D. Januarius de Auria Conſ. S. Off. Dep.*

EC-

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Giuſeppe Roſelli eſpone a V.E. come deſidera ſtampare il primo, e ſecondo libro dell'*Inſtitutioni di Giuſtiniano* ridotti in verſi dal Dottor Gio: Battiſta Piſacane. Perciò ſupplica V.E. delle Regie licenze, ut Deus.

*Regius Conſiliarius D.Franciſcus de Andrea videat, & in ſcriptis referat.*

CARRILLO R. SORIA R. GAETA R. MOLES R. MIROBALLUS R. JACCA R.

Proviſum per S.E. Neap. die 9. Februarii 1690. *Maſtellonus.*

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

I*Nſtitutionum Civilium* libros ab eruditiſſimo Adoleſcente U.J.D. Jo: Baptiſta Piſacane ad metri leges traductos, Excellentiæ Tuæ juſſu, non ſinè magna animi voluptate legi; Admiratus Authoris ingenium, qui rem difficillimam, & à nullo antè hac tentatam, propter rerum, & verborum novitatem, Parnaſſo, & Muſis incognitam, non tantùm audactèr ſit adgreſſus, ſed & feliciter perfecerit. Ipſe ſibi Dux, & ſectator; ut verè de ſe poſſit dicere, *Avia Pieridum* peragraſſe *loca; Nullius antè, Trita ſolo*. Inſtituto tamen à legibus non prorsùs alieno; quarum antiquiſſimas apud Græcos non niſi carminibus expreſſas fuiſſe legimus, ut indè & à pueris memoria, & cantu ediſcerentur. Opus ideò cenſeo digniſſimum, ut ſub tuis auſpiciis in publicum prodeat, ni aliud Excellentiæ Tuæ videbitur, cui me totum debeo.

Excellentiæ Tuæ

Addictiſſimus

*Franciſcus Andreas R.C.*

*Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.*

CARRILLO R. SORIA R. GAETA R. MOLES R. MIROBALLVS R. JACCA R.

Proviſum per S.E. Neap. die 5. Aprilis 1690. *Maſtellonus.*

---

ECCELLENTISSIMO SIGNORE.

Giuſeppe Roſelli ſupplicando fà intendere à V.E. come deſidera riſtampare il primo, & ſecondo libro intitolato *Inſtitutioni di Giuſtiniano* ridotto in verſi dal Dottor Gio: Battiſta Piſacane Auditore del Regio Caſtel novo, & anche di ſtampare il terzo, e quarto libro di dette Inſtitutioni, ſimilmente ridotte in verſi dal detto Dottor Gio: Battiſta Piſacane; perciò ſupplica V. E. reſtar ſervita ordinare le ſiano concedute le ſolite licenze, e lo riceverà a gratia ut Deus.

*Regius Conſiliarius Franciſcus de Andrea videat, & in ſcriptis referat.*

MIROBALLVS R. GASCON R.

Proviſum per S.E. Neap. 19. Aprilis 1694.

*Maſtellonus.*

Spect.R.Carrillo non interf. Ill.Marchio Criſpani imp. Ill.Dux Pareta non interf.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS.

DUo hi poſteriores Inſtitutionum civilium libri ab V.J.D. Jo:Baptiſta Piſacane eiſdē legibus, ac duo priores carminibus expreſſi, nil eſt ut nova probatione indigeant. Cum ſatis ſit ab eodem Authore, eadem ingenii felicitate concinatos. Quin imò cum ingenii vires, ut in cunctis aliis naturæ operibus tempore creſcant, & perficiantur, tanto hi judicii maturitate prioribus præſtabunt, quantò ſeriùs prodeunt. Plurimum itaque literariæ Reipublicæ intererit, opus habere completum, & omnibus ſuis partibus abſolutum, ni aliud Excellentiæ tuæ videbitur, quam Deus diù totius Reipublicæ bono ſervet incolumem. Neap. die 8. Maii 1694.

Excellentiæ Tuæ

Addictiſſimus, & devotiſſimus

*Franciſcus Andreas R. Conſil.*

*Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, & in publicatione ſervetur Regia Pragmatica.*

MIROBALLVS R. GASCON R.

Proviſum per S. E. Neap. 13. Maii 1694. *Maſtellonus.*

Spect.R.Carrillo Imp. Cæteri Ill.Regentes non interfuerunt.

PRO

BIBLIOTECA NAZIONALE "VITTORIO EMANUELE III" NAPOLI

Digitized by Google


INSTITVTIONVM DIVI IVSTINIANI SACRATISSIMI
PRINCIPIS LIBRI QVATVOR IN CARMINA REDAC. I. A
IOVANNE BAPTISTA PISACANE V.I. DOCTORE, AC REGIO AV-
DITORE CASTRI NOVI NEAP.

PRO CONFIRMATIONE INSTITUTIONUM

# PROOEMIUM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI

# JESU CHRISTI.

*IMPERATOR CÆSAR FLAVIUS JUSTINIANUS, Alemanicus, Gotticus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius, Felix, Inclytus, victor, ac triumphator ſemper Auguſtus, cupidæ legum juventuti.* (S. D.)

IMPERATORIAM majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam: ut utrumque tempus, & bellorum, & pacis, rectè poſſit gubernari: & Princeps Romanus non ſolùm in hoſtilibus præliis victor exiſtat, ſed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat: & fiat tàm juris religioſiſſimus, quàm victis hoſtibus triumphator (magnificus.)

§. I.

Quorum utramque viam cum ſummis vigiliis, ſummaque providentia, annuente Deo, perfecimus. Et bellicos quidem ſudores noſtros Barbaricæ gentes ſub juga noſtra redactæ cognoſcunt: & tàm Africa, quàm aliæ innumeræ Provinciæ, poſt tanta temporum ſpatia, noſtris victoriis a cœleſti

Nu-

*QUi regit imperio populos, orbemque gubernat,*
*Legibus armandus juſtis, decorandus & armis,*
*Tempus ut utrumque & belli, pacisq; regatur,*
*Victor & exiſtat Princeps Romanus in hoſtes*
*Bella gerens, fraudes hominũ depellat iniquas*
*Tramite legitimo, fiat Sanctiſſimus Aequi*
*Cultor, & hoſtili victor de gente triumphet.*

§. *I.*

*Quorum utramq; viã, Cœleſti Numine ducti,*
*Nos ſatis inſomnes mira perfecimus arte.*
*Barbaricæ gentes, fuerant quæ noſtra redactæ*
*Sub juga, ſudoris noſcunt, quẽ fudimus imbrẽ,*
*Africa, & innumeri populi, quos vicimus, Urbi*
*Addidimusq; iterum noſtræ poſt tempora longa*



*Nu-*

Numine præſtitis, iterum ditioni Romanæ, noſtroque additæ imperio, proteſtantur. Omnes verò populi legibus tàm à nobis promulgatis, quàm compoſitis, reguntur.

*Numinis auxilio, referũt quæ geſſimus armis.*
*Utitur & noſtris generatim legibus orbis*
*Ordine diſpoſitis, lectiſque ex jure vetuſto.*

§. II.

Et cum ſacratiſſimas conſtitutiones, antea confuſas, in luculentam ereximus conſonantiam: tunc noſtram extendimus curam ad immenſa veteris prudentiæ volumina, & opus deſperatum, quaſi per medium profundum euntes, cœleſti favore jam adimplevimus.

§. *II.*

*Et cum confuſas leges digeſſimus ante,*
*Ad veterum prudentũm immenſa volumina, &*
*omnis*
*Antiqui juris curam protendimus, undas*
*Aequoreas veluti emenſi, mediumq; profundũ,*
*Divina inſperatum opus hoc implevimus aura.*

§. III.

Cumque hoc, Deo propitio, peractum eſt: Triboniano viro magnifico, magiſtro, & exquæſtore ſacri Palatii noſtri, (& exconſule) nec non Theophilo, & Dorotheo, Viris illuſtribus, anteceſſoribus, (quorum omnium ſolertiam, & legum ſcientiam, & circa noſtras juſſiones fidem, jam ex multis rerum argumentis accepimus) convocatis, mandavimus ſpecialiter, ut ipſi noſtra auctoritate, noſtriſque ſuaſionibus, Inſtitutiones componerent, ut liceat vobis prima legum eunabula non ab antiquis fabulis diſcere, ſed ab Imperiali ſplendore appetere: & tàm aures, quàm animi veſtri, nihil inutile, nihilque perperam poſitum, ſed quod in ipſis rerum obtinet argumentis, accipiant, & quod priore tempore vix poſt quadriennium (prioribus) contingebat, (ut tunc conſtitutiones Imperatorias legerent:) hoc vos à primordio ingrediamini, digni tanto honore, tantaque reperti felicitate, ut & initium vobis, & finis legum eruditionis à voce principali procedat.

§. *III.*

*Poſtquam tanto operi impoſitus finiſq; moduſq;*
*Magnificos, claroſque viros acerſimus ultro,*
*Quorum ſancta fides, germana ac notio legum*
*Eſt perſpecta priùs multis, & cognita geſtis,*
*Imperio noſtro, ac monitu mandavimus ipſis;*
*Totius Juris fundamina firma locarent,*
*Ut cupidis liceat legum cunabula prima*
*Diſcere non veterum ex commento, at lumine*
*noſtro*
*Expetere, atque nihil poſitum non utile vobis,*
*Perversèque nihil, verum quod poſtulat uſus,*
*Quodq; ratũ in rerum argumẽtis obtinet ipſis;*
*Veſtræ percipiant aures, animique reſervent,*
*Annos poſt quatuor quod vix potuere Priores,*
*Cæſarum ut audirent leges, felicibus ipſi*
*Auſpiciis digni, tantoque ineatis honore*
*Principiò, clara ut veniant primordia legum*
*Doctrinæ, ac finis, ſupremi à Principis ore.*

§. IV.

Igitur poſt libros quinquaginta Digeſtorum, ſeu Pandectarum, (in quibus omne jus antiquum collectum eſt, quod per eundem virum excelſum Tribonianum, nec non cæteros viros illuſtres, & facundiſſimos confecimus) in quatuor libros eaſdem Inſtitutiones partiri juſſimus, ut ſint totius legitimæ ſcientiæ prima elementa.

§. *IV.*

*Ergo poſt libros, veterum queis cuncta coacta*
*Jura fuere viris illuſtribus, atque diſertis,*
*Juſsimus in quatuor præcepta hæc ſcindere li-*
*bros,*
*Ut quatuor legum doctrinæ elementa manerẽt.*

§. V.

In quibus breviter expoſitum eſt: & quod antea obtinebat: & quod poſtea deſuetudine inumbratum, Imperiali remedio illuminatum eſt.

§. *V.*

*In quibus expreſſum breviter, quod & antea*
*vigebat,*
*Quodque deinde fuit, mutatis moribus, umbris*
*Obductum, à nobis clara mage luce refulſit,*
*Scilicet ad populi revocatum uſumque forumq;*

Quas

*Quæ*

Digitized by Google

§. VI.

Quas ex omnibus antiquorum Inſtitutionibus, & præcipuè ex commentariis Caji noſtri, tàm inſtitutionum, quàm rerum quotidianarum, aliiſque multis commentariis compoſitas, cum tres viri prudentes prædicti nobis obtulerunt: & legimus, & recognovimus, & pleniſſimum noſtrarum conſtitutionum robur eis accomodavimus.

§. VII.

Summa itaque ope, & alacri ſtudio has leges noſtras accipite: & vosmetipſos ſic eruditos oſtendite: ut ſpes vos pulcherrima foveat, toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam noſtram Rempublicam in partibus ejus vobis credendis gubernari. D.C.P. xi. Kalend. Decemb. D. JUSTINIANO A. PP. III. CONS.

§. *VI.*

*Quæ documẽta ex his Cajus quæ noſter, & omnes*
*Scripſerunt veteres, aliis tractatibus hauſta,*
*Atque illo, Cajus deſcripſit ubi aurea dicta,*
*Scilicet è cunctis cogentes optima quæque,*
*Ac veluti ex variis turbatis fontibus unum*
*Purius in ſtagnum latices, rivoſque trahentes,*
*Cum retulere viri illuſtres, nimiumque diſerti,*
*Legimus attentè, atq; animo perpendimus, illis*
*Noſtrarum & dedimus pleniſsima robora legũ.*

§. *VII.*

*Has igitur leges læta deſumite mente,*
*Atque alacri ſtudio voſmet præbete diſertos,*
*Spes veſtrũ ut foveat pectus pulcherrima, toto*
*Hoc perfecto opere, in noſtri vos partibus orbis*
*Credendis, rerum moderamina poſſe tenere.*



# INSTITVTIONVM

SEV

## ELEMENTORVM

# DIVI IVSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS.

*LIBER PRIMVS.*

## A IOANNE BAPTISTA PISACANE

*V. I. Doctore, ac Regio Auditore Caſtri Novi Neap.*

In Carmina redactus.

### *De Iuſtitia, & Iure*

### TITVLVS PRIMVS.

IUſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.

Juriſprudentia eſt divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti, atque injuſti ſcientia.

§. II.

His igitur generaliter cognitis, & incipientibus nobis exponere jura populi Romani, ita videntur poſſe tradi commodiſſimè, ſi primò levi, ac ſimplici via, poſt deinde diligentiſſima, atque exactiſſima interpretatione, ſingula tradantur: alioqui ſi ſtatim ab initio rudem adhuc, & infirmum animũ ſtudioſi, multitudine, ac varietate rerum oneraverimus: duorum alterum, aut desertorem ſtudiorum efficiemus, aut cum magno labore, ſæpè etiam cum diffidentia (quę plerumque juvenes avertit) ſerius ad id perducemus: ad quod, leviore via ductus, ſine magno labore, & ſine ulla diffidentia, maturius perduci potuiſſet.

*IUs cuicumq; ſuum tribuendi firma voluntas*
*Juſtitiæ eſt virtus. S. I. Juriſprudētia rerum*
*Eſt hominũ, Superumq; ſciētia, & omnis iniqui*
*Lucida cognitio, & certiſſima Notio recti.*

*S. II.*

*Ergo his ſummatim notis, tradentibus Urbis,*
*Ac populi Romani jura, ita poſſe videntur*
*Exponi rectè, primò ſi tramite ſtrato,*
*Simplicibuſq; modis, poſt longa indagine mētis,*
*Singula tradantur, quavis ut in arte docetur,*
*Nō ſecus ac tabulā primò cũ Pictor adumbrat,*
*Inde colore ſuo ſpeciem perfectiùs ornat:*
*Namque aliàs legum ſtudiis intenta juventus*
*Debilis, atque rudis, ſalebroſo exterrita calle,*
*Rebus & innumeris onerata, graviq; laborans*
*Pondere principiò, ſtudium ſeu linqueret omne,*
*Seù defeſſa nihil fidens (quod ſæpè labore*
*Avertit juvenes) ſerò perdiſceret expes,*
*Accipiet leviore ſtatim quod tramite ducta.*

Ju- Sunt

§. III.

Juris præcepta ſunt hæc: honeſtè vivere, alterúm non lædere, ſuum cuique tribuere.

§. III.

*Sunt verò Juris præcepta hæc: Vivere honeſtè,*
*Lædere nõ aliquem, cunctis ſua reddere Jura.*

§. IV.

Hujus ſtudii duæ ſunt poſitiones, publicum, & privatum. Publicum jus eſt, quod ad ſtatum rei Romanæ ſpectat. Privatum, quod ad ſingulorum utilitatem. Dicendum eſt igitur de jure privato, quod tripartitum eſt: collectum eſt enim ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus.

§. IV.

*Sunt binæ ſpecies, privata, & publica Jura.*
*Privata inſpiciunt hominum cujuſq; juvamen,*
*Jura ſtatum ſpectant Romanũ Publica. Verùm*
*Lecta è præceptis Naturæ, Gentis, & Urbis;*
*Eſt animus nobis Privata hic dicere jura.*

## *De Iure Naturali, Gentium, & Civili.*

## TITVLVS II.

IUS naturale eſt, quod natura omnia animalia docuit: nam jus iſtud non humani generis proprium eſt: ſed omnium animalium, (quæ in cœlo,) quæ in terra, quæ in mari naſcuntur. Hinc deſcendit maris, atque fœminæ conjunctio, quam nos matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio. Videmus etenim cætera quoque animalia iſtius juris peritia cenſeri.

*IUS naturale eſt, ſolers animalia cuncta*
*Quod docuit natura; iſtud nã cõvenit omni*
*Non homini tantùm; at cũctis animalibus, alto*
*Quæ Cœlo, in terris, liquidis naſcũtur in undis;*
*Fœminæ & hinc oritur, maris & conjunctio, fœdus*
*Quã ſociale vocãt; noſtrę hinc Generatio prolis,*
*Hinc nutrimen erit natorũ: namque videmus,*
*Hoc cenſeri Jure animalia cætera docta.*

§. I.

Jus autem civile à jure gentium diſtinguitur: quòd omnes populi, qui legibus, & moribus reguntur, partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utuntur: nam quod quiſque populus ſibi jus conſtituit: id ipſius proprium civitatis eſt; vocaturque jus civile, quaſi jus proprium ipſius civitatis; quod verò naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, id apud omnes peræquè cuſtoditur: vocaturque jus gẽtium, quaſi quo jure omnes gentes utantur. Et populus itaque Romanus partim ſuo proprio, partim communi omnium hominum jure utitur. Quæ ſingula qualia ſint, ſuis locis proponemus.

§. I.

*Verùm Jus inter civile, ac Gentis habetur*
*Diſcrimen: populi juſtis nam legibus omnes*
*Qui utuntur, partim communi Jure reguntur,*
*Et partim proprio; quod enim ſibi quiſq; recepit*
*Jus populus, propriumeſt urbi, & civile vocandum.*
*Quod verò naturæ omnes dictamine ducti*
*Jus ſtatuére homines, toto ſervatur in Orbe,*
*Cunctorum & commune hominum, Gentiſque vocatur.*
*Ergo ſuo partim Romanus jure regendus*
*Eſt populus, partim communi jure tuendus.*
*Singula, quæ fuerint ratione, videbimus infra.*

§. II:

Sed jus quidem civile ex unaquaque civitate appellatur, veluti Athenienſium: nam ſi quis velit Solonis, vel Draconis leges appellare jus civile Athenienſium, non erraverit: ſic enim & jus, quo Romanus populus utitur, jus civile Romanorum appellamus: vel jus Quiritum, quo Quirites utuntur;

§. II.

*Jus verò proprium quæcunque recepit ab Urbe*
*Nomen; Athenarum leges hinc quiſque Solonis*
*Jura vocat, Romanorum jus, atq; Quiritum,*
*Quod ſibi Romulidæ ſtatuerũt, atque Quirites,*

*Illis*

tur; Romani enim (à Romulo,) Quirites à Quirino appellantur. Sed quoties non addimus nomen, cujus ſit civitatis: noſtrum jus ſignificamus: ſicuti cum Poetam dicimus, nec addimus nomen, ſubauditur apud Græcos egregius Homerus, apud nos Virgilius. Jus autem gentium omni humano generi commune eſt: nam uſu exigente, & humanis neceſſitatibus, gentes humanæ jura quædam ſibi conſtituerunt. Bella etenim orta ſunt, & captivitates ſequutæ, & ſervitutes, quæ ſunt naturali juri contrariæ. Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi naſcebantur. Et ex hoc jure gentium omnes penè contractus introducti ſunt, ut emptio (&) venditio, locatio (&) conductio, ſocietas, depoſitum, mutuum, & alii innumerabiles.

*Illis namq; dedit nomen cum fratre Quirino*
*Romulus; At quoties nomen nõ addimus Urbis,*
*Jus noſtrum monſtramus, nõ ſecus atq; Poetã*
*Cum referũt, Græci præſtãtẽ carmine Homerũ,*
*Virgilium noſtri oſtendunt hac voce Maronẽ,*
*Jus Gentis, generi humano quod convenit omni,*
*Conſtituere ſibi gentes, cum poſceret uſus;*
*Nam fuit exortum bellum, juga, vincla ſecuta*
*Captos, naturæ ſanctis quæ legibus obſtant;*
*Liber enim primò naturæ juribus omnis*
*Naſcebatur homo. Ex Gentis conductio Jure,*
*Pignora, Venditioq; Locatio, & Emptio, Pacta,*
*Mutua, Depoſitum, Sociatio nata feruntur,*
*Atq; alii contractus, quos numerare nequimus.*

§. III.

Conſtat autem jus noſtrum, quo utimur, aut ſcripto, aut ſine ſcripto: ut apud Græcos τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι, οἱ δὲ ἄγραφοι, *id eſt, legũ aliæ (ſunt) ſcriptæ, aliæ non ſcriptæ*. Scriptum autem jus eſt lex, plebiſcitum, Senatusconſultum, Principum placita, magiſtratuum edicta, reſponſa prudentum.

*§. III.*

*Sunt verò leges, populus quibus utitur, omnes*
*Scriptæ, aut non ſcriptæ. Scriptarum hæc nomina legum:*
*Lex, Plebiſcitum, Prætorum Edicta, Senatus*
*Conſultũ, Regũ Placita, ac Reſponſa Peritũm.*

§. IV.

Lex eſt, quod populus Romanus Senatorio magiſtratu interrogante (veluti Conſule) conſtituebat. Plebiſcitum eſt, quod plebs plebejo magiſtratu interrogante (veluti Tribuno) conſtituebat. Plebs autem à populo eo differt, quo ſpecies à genere: nam appellatione populi, univerſi cives ſignificantur, connumeratis etiam patriciis, & ſenatoribus. Plebis autem appellatione, ſine patriciis, & ſenatoribus cæteri cives ſignificantur: ſed & Plebiſcita, lege Hortenſia lata, non minus valere, quàm leges cœperunt.

*§. IV.*

*Cõſule, quod Romæ populus, quærẽte probabat,*
*Lex eſt. Firmabat quod Plebs, poſcẽte Tribuno,*
*Eſt Plebiſcitum. Ut verò ſpeciẽ, & genus inter,*
*Partemve, ac totũ, ſimile & diſcrimen habetur*
*Plebẽ inter, populumq; omnes nam continet iſte*
*Cives, Patriciis numeratis, atque Senatu:*
*At ſine Patriciis, ſcriptis ſine Patribus illa*
*Significat Cives, Legem cum Hortentius edit,*
*Cæperunt æquè, ac lex, Plebiſcita valere.*

§. V.

Senatusconſultum eſt, quod Senatus jubet, atque conſtituit. Nam cum auctus eſſet populus Romanus in eum modum, ut difficile eſſet in unum eum convocari legis faciendæ cauſa: æquum viſum eſt, Senatum vice populi conſuli.

*§. V.*

*Omne, quod ipſe frequens mandat, ſtatuitque Senatus*
*Cõſultũ eſt. Populus cũ eſſet Romanus adauctus,*
*Ut cogi ad dandas leges vix poſſet in unum,*
*Eſt æquum viſum, venerandos cogere Patres,*
*Ut vice ſic populi; ſanciret jura Senatus.*

§. VI.

Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem: cum lege Regia, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne imperium ſuum, & poteſtatem conceſſit.

Quod-

*§. VI.*

*Principis at placitũ quoq; juris habere vigorẽ,*
*Conceſſum tunc lege fuit, quæ regia dicta eſt,*
*Urbis Principio, cum confirmata poteſtas*
*Regibus à Populo, ſublato at nomine Regum,*

*Can-*

Digitized by Google

Quodcunque ergo Imperator per Epiſtolam conſtituit: vel cognoſcens decrevit, vel edicto præcepit, legem eſſe conſtat: hæc ſunt,quæ Conſtitutiones appellantur. Planè ex his quædam ſunt perſonales, quæ nec ad exemplum trahuntur, (quoniam non hoc Princeps vult)nam quod alicui ob meritum indulſit,vel ſi quam pœnam irrogavit, vel ſi cui ſine exemplo ſubvenit: perſonam non tranſgreditur. Aliæ autem, cum generales ſint,omnes proculdubio tenent.

*Cuncta poteſtatis longo poſt tempore Jura*
*Auguſto in gentes Populus generaliter omnes*
*Reddidit, Imperii certa argumenta ſupremi.*
*Sunt igitur leges quidquid mandaverit abſens*
*Edicto, aut literis, decreto aut juſſerit ante*
*Agnoſcens cauſam Princeps. Sed multa videtur*
*Perſonam interdū ſpectare, ad nulla trahuntur*
*Exempla; hæc Princeps extendere noluit ultra,*
*Ob meritum cuiquam ſi indulſit forte nocenti,*
*Aut ſi quem pœnis nimium multavit acerbis,*
*Subvenitve ſine exemplo. ſpectator erit ille*
*Perſonam. Ex Placitis quædam generalia jura*
*Cū ſint, adſtringunt generatim, omneſq; coercēt.*

## §. VII.

Prætorum quoque edicta non modicam obtinent juris auctoritatem. Hoc etiam jus honorarium ſolemus appellare, quod qui honores gerunt, id eſt, magiſtratus auctoritatem huic juri dederunt. Proponebant & Ædiles Curules edictum de quibuſdam cauſis, quod & ipſum juris honorarii portio eſt.

## §. VII.

*Obtinet Edictum Prætorum pondera legis.*
*Hoc etiam legem appellare ſolemus honoris;*
*Illi namque dedit robur, qui geſſit honores.*
*Pluribus Aediles cauſis edicta Curules*
*Ponebant, ſimilis fuerant quæ portio Juris.*

## §. VIII.

Reſponſa prudentum ſunt ſententiæ, & opiniones eorum, quibus permiſſum erat de jure reſpondere: nam antiquitus conſtitutum erat, ut eſſent, qui jura publicè interpretarentur, quibus à Cæſare jus reſpondendi datum eſt, qui Juriſconſulti appellabantur, quorum omnium ſententiæ, & opiniones eam auctoritatem tenebant, ut judici recedere à reſponſo eorum non liceret, ut eſt conſtitutum.

## §. VIII.

*Sunt verò ſtabiles ſenſus Reſponſa Peritùm,*
*Queis dare reſponſum priſco de Jure licebat,*
*Nam fuerant quidā vulgò, qui jura referrent,*
*Atque explanarēt, dandi queis magna poteſtas*
*Reſponſum conceſſa fuit, cognomine dicti*
*Juriſconſulti, quorum ſic pondus habebant*
*Senſus, ut reſponſo ipſorum cedere Judex*
*Non aliquis poſſet. firma eſt ut lege ſtatutum.*

## §. IX.

Sine ſcripto ius venit, quod uſus approbavit: nam diuturni mores conſenſu utentium comprobati, legem imitantur.

## §. IX.

*Non ſcriptas leges uſus, rituſque probavit;*
*Nam longi mores conſenſu, uſuque probati*
*Legis habent pondus, leges imitantur & æquas.*

## §. X.

Et non ineleganter in duas ſpecies jus civile diſtributum eſſe videtur: nam origo ejus ab inſtitutis duarum civitatum, Athenarum ſcilicet, & Lacedæmoniorum, fluxiſſe videtur. In his enim civitatibus ita agi ſolitum erat, ut Lacedæmonii quidem magis ea, quæ pro legibus obſervabant, memoriæ mandarent: Athenienſes verò ea, quæ in legibus ſcripta comprehendiſſent, cuſtodirent.

## §. X.

*Diviſum civile duas Jus eſſe putatur*
*In ſpecies meritò, illius nam prodita origo*
*A Lacedæmoniis, doctiſque videtur Athenis;*
*Namque illi menti mandabant, legibus æquis*
*Quæ deſcripta ſuis ſervabat civis Athenis.*

## §. XI.

Sed naturalia quidem jura, quæ apud omnes gentes peræquè obſervantur, divina qua-

## §. XI.

*Conſilio gentes, Divina ac mente ſtatuta*
*Obſervant totum naturæ jura per Orbem.*
*Mu-*

quadam providentia conſtituta, ſemper firma, atque immutabilia permanent. Ea verò, quæ ipſa ſibi quæque civitas conſtituit, ſæpè mutari ſolent, vel tacito conſenſu populi, vel alia poſtea lege lata.

*Mutari hæc nequeunt, firma, æternùmque manebunt.*
*Verùm ſæpe ſolent tacito Civilia jura.*
*Mutari aſſenſu populi, vel condita primò*
*Lex nova cum fertur veteri contraria legi.*

§. XII.

Omne autem jus, quo utimur, vel ad perſonas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Et prius de perſonis videamus: nam parum eſt jus noſſe, ſi perſonæ, quarum cauſa conſtitutum eſt, ignorentur.

*Legibus aſt cunctis agitur, quibus utimur omnis*
*Vel res, vel Perſona, vel actio. Jure videnda*
*Eſt Perſona prius. Leges non noſcere prodeſt,*
*Cognita ni perſona prior, cui condita jura.*

## *De Iure Perſonarum.*

## TITVLVS III.

Summa itaque diviſio de jure perſonarum hæc eſt: quod omnes homines, aut liberi ſunt, aut ſervi.

*Hæc igitur perſonarum diviſio ſumma,*
*Eſt quòd homo vel liber, vel ſervire coactus.*

§. I.

Et libertas quidem (ex qua etiam liberi vocantur) eſt naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, niſi quid vi, aut jure prohibetur.

*Quodlibet efficere eſt libertas nata facultas,*
*Ni prohibent leges, aut vis infracta reſiſtat,*

§. II.

Servitus autem eſt conſtitutio juris gentium, qua quis dominio alieno contra naturam ſubiicitur.

*Jus ſtatuit gentis, ſervire ut captus ab hoſte*
*Sit Domino contra naturæ jura coactus.*

§. III.

Servi autem ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent; qui etiam mancipia dicti ſunt, (eo) quod ab hoſtibus manu capiuntur.

*At verò tali ſervi ſunt nomine dicti,*
*Quòd ſervare ſolet captos, ac vẽdere Princeps.*
*Mancipium dicunt etiam cognomine ſervum,*
*Quòd bellum faciente manu capiatur ab hoſte,*

§. IV.

Servi autem aut naſcuntur, aut fiunt; naſcuntur ex ancillis noſtris; fiunt, aut jure gentium, id eſt, ex captivitate, aut jure civili, cum liber homo major viginti annis ad pretium participandum ſeſe venundari paſſus eſt.

*Servus vel noſtra ex ancilla naſcitur, hoſti,*
*Aut captus, ſervus gentis fit jure, vel Urbis*
*Lege, eſt ſi paſſus, pretii ut quid partis haberet,*
*Liber homo vendi, viginti ubi degerit annos.*

§. V.

In ſervorum conditione nulla eſt differentia: in liberis autem multæ; aut enim ſunt ingenui, aut libertini.

*Munera ſervorum varia, at diſcrimina nulla.*
*Liber homo ingenuus, vel libertinus habendus.*

De

## *De Ingenuis*

## TITVLVS IV.

INgenuus eſt is,qui ſtatim,ut natus eſt,liber eſt: ſive ex duobus ingenuis matrimonio editus eſt, ſive ex libertinis duobus, ſive ex altero libertino, & alrero ingenuo. Sed etſi quis ex matre naſcitur libera, patre verò ſervo, ingenuus nihilominus naſcitur: quemadmodum qui ex matre libera, & incerto patre natus eſt, quoniam vulgò conceptus eſt. Sufficit autem liberam fuiſſe matrem eo tempore, quo naſcitur,licet ancilla conceperit. Et è contrario, ſi libera conceperit, deinde ancilla facta pariat: placuit eum,qui naſcitur, liberum naſci: quia non deber calamitas matris ei nocere, qui in ventre eſt.Ex his illud quæſitum eſt,ſi ancilla prægnans manumiſſa ſit: deinde ancilla poſtea facta pepererit: liberum,an ſervum pariat? Et Martianus probat,liberum naſci: ſufficit enim ei,qui in urero eſt,liberam matrem,vel medio tempore habuiſſe, (ut liber naſcatur:)quod & verum eſt.

*ILle eſt ingenuus,qui ut primũ luminis auras*
*Viderit,eſt liber,thalami ſeù fœdere junctis*
*Natus ab ingenuis, generatus ſive duobus*
*Eſt libertinis,fuit alter ſive Parentum*
*Liber,libertuſque alter. Sed libera mater*
*Si fuerit, ſervuſque Parens, puer inde creatus*
*Naſcitur Ingenuus,vulgò ut concepta propago,*
*Cui Pater incertus,genuit quam libera Mater.*
*Sufficit aſt illo peperit quo tempore prolem,*
*Libertas,ancilla licet conceperit antè.*
*Libera ſi contrà concepit,poſtea fœtum*
*Facta ancilla edit,matris qui liquerit alvum,*
*Eſt liber,quoniam fortuna nocere Parentis*
*Olli non debet, tumido qui in ventre moratur.*
*Sin prægnãs ancilla manumittatur,& inde*
*Facta ancilla parit,quæſitum proditus alvo,*
*Servus,an ingenuus fuerit? ſed liber habendus,*
*Ut Juriſconſultus ait,nam ſufficit illi,* Martian.
*Qui manet in vẽtre,ut liber cõſurgat ad auras*
*Vitæ, vel medio libertas tempore Matris.*

§. I.

Cum autem ingenuus aliquis natus ſit, non officit ei in ſervitute fuiſſe, & poſtea manumiſſum eſſe: ſæpiſſimè enim conſtitutum eſt, natalibus non officere manumiſſionem.

§. *I.*

*Non nocet ingenuo, fuerit ſi tempore ſervus,*
*Ingenuus meritò eſt,qui tãquã ſervus habetur,*
*Eſtque deinde manumiſſus;nam ut jure ſtatutũ*
*Sæpè fuit,nullo pacto hoc natalibus obſtat.*

## *De Libertinis*

## TITVLVS V.

LIbertini ſunt, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt: manumiſſio autem eſt de manu datio: nam quamdiu aliquis in ſervitute eſt, manui, & poteſtati ſuppoſitus eſt: & manumiſſus liberatur poteſtate. Quæ res à jure gentium originem ſumpſit:utpotè eum jure naturali omnes liberi naſcerentur: nec eſſet nota manumiſſio,cum ſervitus eſſet incognita. Sed poſtquam jure gentium ſervitus invaſit: ſequutum eſt beneficium manumiſſionis: & cum uno communi nomine omnes *homines* appellarentur, jure gentium tria (hominum) genera eſſe cœperunt: libe-

*QUi fuerat quondam ſervili pondere preſſus,*
*Inde manumiſſus,duroque ligamine liber,*
*Scilicet è manibus, Dominique ab Jure ſolutus,*
*Eſt libertinus;namque illo tempore ſervus,*
*Quo fuit imperio Domini parere coactus,* (tus.
*Suppoſitus manui,atq;oneroſo eſt jure grava-*
*Nulla manumiſſum ſervilia vincla coercent.*
*Hæc verò ex hominum communi jure profecta;*
*Naſcebatur enim naturæ legibus omnis*
*Liber homo,nec erat ſervilis nota catena,*
*Nec Domini triſti relevabant pondere ſervos.*
*At poſtquã hæc captos preſsère ligamina,cœpit*

 Li-

Digitized by Google

liberi, & his contrarium ſervi, & tertium genus libertini, qui deſierant eſſe ſervi.

*Liber homo, libertinus, ſervuſque vocari.*

§. I.

Multis autem modis manumiſſio procedit: aut enim ex ſacris conſtitutionibus in Sacroſanctis Eccleſiis, aut vindicta, aut inter amicos, aut per epiſtolam, aut per teſtamentum, aut per aliam quamlibet ultimam voluntatem. Sed & aliis multis modis libertas ſervo competere poteſt, qui tàm ex veteribus, quàm ex noſtris conſtitutionibus introducti ſunt.

§. *I.*

*Jamque modis variis ſolvetur triſte ligamen;*
*Quandoquidem id fiet ſacra eſt ut lege ſtatutū,*
*Ædibus aut ſacris, vindicta, aut inter amicos,*
*Aut teſtamento, aut literis. Servilia vincla*
*Ex alia ratione queunt deponere ſervi,*
*Quam noſtræ dederant leges, ac jura Priorum.*

§. II.

Servi (verò) à dominis ſemper manumitti ſolent: adeò, ut vel in tranſitu manumittantur: veluti cum prætor, aut præſes, aut proconſul in balneum, vel in theatrum eunt.

§. *II.*

*Vincla ſolent Domini ſervorum ſolvere ſemper,*
*Quamvis incedāt, veluti cum Balnea Prætor,*
*Vel Præſes, Proconſul adit, pergitq; theatrum.*

§. III.

Libertinorum autem ſtatus tripartitus antea fuerat: Nam qui manumittebantur, modo majorem, & juſtam libertatem conſequebantur, & fiebant cives Romani: modo minorem, & Latini ex lege Junia Norbana fiebant: modo inferiorem, & fiebant ex lege Ælia Sentia dedititii. Sed quoniam dedititiorum quidem peſſima conditio jam ex multis temporibus in deſuetudinem abierat, Latinorum verò nomen non frequentabatur: ideòque noſtra pietas omnia augere, & in meliorem ſtatum reducere deſiderans, duabus conſtitutionibus hoc emendavit, & in priſtinum ſtatum reduxit: quia & à primis urbis Romæ cunabulis, una, atque ſimplex libertas competebat: ideſt, eadem, quam habebat manumiſſor: niſi quod ſcilicet libertinus ſit, qui manumittitur, licèt manumiſſor ingenuus ſit. Et dedititios quidem per conſtitutionem noſtram expulimus, quam promulgavimus inter noſtras deciſiones: per quas ſuggerente nobis Triboniano viro excelſo quæſtore (noſtro,) antiqui juris altercationes placavimus. Latinos autem Junianos, & omnem, quæ circà eos fuerat, obſervantiam, alia conſtitutione per ejuſdem quæſtoris ſuggeſtionem correximus, quæ inter Imperiales radiat ſanctiones. Et omnes libertos, nullo nec ætatis manumiſſi, nec domini manumittentis, nec in manumiſſionis modo diſcrimine habito (ſicut jam antea obſervabatur) civitate Romana decoravimus: multis modis additis, per quos poſſit libertas ſervis cum civitate Romana, quæ ſola eſt, in præſenti præſtari.

§. *III.*

*Jamque ſtatus libertini tres, ante fuère*
*Namque manumiſſus fiebat Civis in Urbe,*
*Si major libertas illi, ac juſta dabatur;*
*Sin conceſſa minor, Norbana ex lege Latinus*
*Libertinus erat. Lex Ælia Sentia quoſdā* Dedit.
*Juſſit; Conditio aſt illis cum peſſima ineſſet,*
*Temporis à longi ſpatiis deſueſcere cœpit,*
*Ac libertini nomen poſuere Latini.*
*Noſtra tamen pietas extendere cuncta requirens,*
*Inque ſtatum cupiens meliorem ducere, lege*
*Correxit gemina, duxitque ad tempora Romæ*
*Prima, quibus ſimplex libertas una dabatur,*
*Scilicet illa manumiſſor quam quiſq; tenebat;*
*Dictus at ingenuus ſervilia vincula ſolvens,*
*Eſt libertinus deponens triſte ligamen.*
*Quos libertinos lex Ælia Sentia juſſit,*
*Prodita de multis repulit deciſio noſtris,*
*Queis, claro dictāte viro Quæſtore, vetuſti* Trib.
*Compoſita à nobis fuerat diſcordia Juris.*
*Expulit at radians libertos noſtra latinos*
*Sanctio, Quæſtoris fuerat quæ condita noſtri*
*Conſilio. Hinc omnes, habito diſcrimine nullo,*
*Ante ut ſervatum, Romana ornavimus Urbe*
*Libertos, dedimuſque modos, queis Urbe decori*
*Conſieri poſſint relevati à pondere ſervi.*
*Tempore præſenti hac libertas ſola manebit.*

*Qui-*

## *Quibus ex cauſis manumittere non licet*

## TITVLVS VI.

NON tamen cuicumque volenti manumittere licet: nam is, qui in fraudem creditorum manumittit, nihil agit: quia lex Ælia Sentia impedit libertatem.

*NON tamen eſt æquum Domino cuicunque volenti,*
*Hæc juga ſervorũ, duraſq; graveſque catenas*
*Tollere; namque manumiſſor nihil egerit, ipſos*
*Si ſolvet vinclo, ſervili ac pondere ſervos*
*Illius in fraudem, qui eſt creditor. Ælia namq;*
*Sentia lex prohibet ſervorũ hæc tollere vincla.*

### §. I.

Licet autem domino, qui ſolvendo non eſt, (in teſtamento) ſervum ſuum cum libertate hæredem inſtituere, ut liber fiat, hæreſque ei ſolus, & neceſſarius: ſi modo ei nemo alius ex eo teſtamento hæres extiterit: aut quia nemo hæres ſcriptus ſit, aut quia is, qui ſcriptus eſt, qualibet ex cauſa hæres ei non extiterit. Idque eadem lege Ælia Sentia proviſum eſt: & rectè. Valdè enim proſpiciendum erat, ut egentes homines, quibus alius hæres extiturus non eſſet, vel ſervum ſuum neceſſarium hæredem haberent, qui ſatisfacturus eſſet creditoribus: aut hoc eo non faciente, creditores res hæreditarias ſervi nomine vendant, ne injuria defunctus afficiatur.

### §. I.

*Jamq; licet Domino, nequeat ſi ſolvere, ſeruum*
*Teſtanti hæredem cum libertate vocare,*
*Ut liber fiat, ſolus ſtatuatur & hæres,*
*Si modò teſtanti nullus permanſerit, hæres*
*Aut quoniam ſcriptus nemo, aut quem ſcripſerit, ille*
*Non erit ex aliqua cauſa. Hoc lex Ælia juſſit*
*Sentia, quò, nullum Dominus ſi pauper haberet*
*Hæredem, ſaltem poſſet ſibi ſcribere ſervum,*
*Qui, quod debebat functus Cæleſtibus auris,*
*Solvat; vendat opes Domini vel nomine ſervi*
*Creditor, ut probro careat, qui liquerit auras.*

### §. II:

Idemq; juris eſt, & ſi ſine libertate ſervus hæres inſtitutus eſt. Quod noſtra conſtitutio non ſolùm in domino, qui ſolvendo non eſt, ſed generaliter conſtituit, nova humanitatis ratione: ut ex ipſa ſcriptura inſtitutionis etiam libertas ei competere videatur: cum non ſit veriſimile, eum, quem hæredem ſibi elegit, ſi prætermiſerit libertatis dationem, ſervum remanere voluiſſe, & neminem ſibi hæredem fore.

### §. II.

*Atque eſt juris idem, ſine libertate ſtatutus*
*Hæres ſi fuerit ſervus. Sed ſanctio noſtra*
*Non ſolùm in Domino, nequeat qui ſolvere, verùm*
*Hoc etiam ſtatuit generatim, ut ſcripta putetur*
*Libertas ſervum hæredem cum ſcripſerit ille;*
*Namq; hæredem aliàs ſibi non legiſſe videtur,*
*Quem voluit ſervum; ſervili namque ligatus*
*Vinclo, haud eſſe poteſt hæres, ſervuſq; manere.*

### §. III.

In fraudem autem creditorum manumittere videtur, qui vel jam eo tempore, quo manumittit, ſolvendo non eſt: vel qui datis libertatibus, deſiturus eſt ſolvendo eſſe. Prævaluiſſe tamen videtur (niſi animum quoque fraudandi manumiſſor habuerit) non impediri libertatem, quamvis bona (ejus) creditoribus non ſufficiant: ſæpè enim de facultatibus ſuis amplius, quàm in his eſt, ſperant homines. Itaque tunc intelligimus impediri li-

### §. III.

*Illius in fraudem, eſt qui creditor, arcta videntur*
*Vincula ſervorum ſolvi; ſi triſte ligamen*
*Tempore, quo Dominus tollit, non ſolvere poſſit,*
*Libertate data, aut ſolvendo deſinit eſſe.*
*Aſt animus Domini fuerit ſi fraude remotus,*
*Vincula cum ſervi tollit, juga dura relinquit*
*Jure manumiſſus, quamvis quæ poſſidet ille,*
*Vix bona ſufficiant ſolvendo; namque minores,*
*Quàm ſperant homines, fortunæ ſæpè manebunt.*

ri libertatem , cum utroque modo fraudantur creditores,id eſt,& conſilio manumittẽtis , & ipſa re , eo quod ejus bona non ſunt ſuffectura creditoribus.

§. IV.

Eadem lege Ælia Sentia domino minori viginti annis non aliter manumittere permittitur,quàm ſi vindicta apud conſilium, juſta cauſa manumiſſionis approbata,fuerint manumiſſi.

§. V.

Juſtæ autẽ manumiſſionis cauſæ hæ ſunt: veluti,Si quis patrem,aut matrem,filium,filiamve, aut fratres,ſororeſve naturales, aut pædagogum,aut nutricem,aut educatorem, aut alumnũ , alumnamve, aut collactaneum manumittat:aut ſervum,procuratoris habẽdi gratia; aut ancillam matrimonii (habendi)cauſa : dum tamen intra ſex menſes in uxorem ducatur,niſi juſta cauſa impediat:& (ſervus,)qui manumittitur procuratoris habendi gratia,non minor decem, & ſeptem annis manumittatur.

§. VI.

Semel autem cauſa approbata, ſive vera ſit,ſive falſa, non retractetur.

§. VII.

Cum ergo certus modus manumittendi minoribus viginti annis dominis per legem Æliam Sentiam conſtitutus eſſet : eveniebat,ut qui quatuordecim annos expleverat, licet teſtamentum facere,& in eo ſibi hæredem inſtituere,legataque relinquere poſſet: tamen ſi adhuc minor eſſe viginti annis , libertatem ſervo dare non poſſet. Quod non erat ferendum:nam cui totorum ſuorum bonorũ in teſtamẽto diſpoſitio data erat : quare non ſimiliter ei,quemadmodum alias res, ita de ſervis ſuis in ultima voluntate diſponere , quemadmodũ voluerit, permittimus, ut & libertatem eis poſſit præſtare?Sed cum libertas inæſtimabilis res ſit, & propter hoc ante 20.ætatis annum antiquitas libertatem ſervo date prohibebat : ideò nos mediam quodammodo viam eligentes , nõ aliter minori viginti annis libertatem in teſtamento dare ſervo ſuo concedimus , niſi decimumſeptimum annum impleverit , & decimumoctavum attigerit.Cum enim antiquitas hujuſmodi ætati, & pro aliis poſtulare conceſſerit: cur non etiam ſui judicii ſtabilitas ita eos adjuvare credatur , ut ad libertatem dandam ſervis ſuis poſſint pervenire?

*Tunc ergo nequeunt relevari pondere ſervi,*
*Eſt cum fraudis uterque modus,cũ ſcilicet adſit*
*Conſiliũ Domini,reque ipſa haud ſolvere poſſit.*

§. *IV.*

*Bis denos,Domino, qui non compleverit annos,*
*Non niſi vindicta diſſolvere triſte ligamen*
*Servi,permittit lex Ælia Sentia, juſta*
*Atque in conſilio fuerit niſi cauſa probata.*

§. *V.*

*Sunt verò juſtæ cauſæ,queis triſte ligamen*
*Servorum tollit Dominus,cum ſcilicet ipſe*
*Aut Patris,aut Matris, Prolis, Fratriſve,Sororis,*
*Aut Altoris,Cuſtodis,Nutricis,Alumni,*
*Vincla aut illius,qui eſt collactaneus,arcta*
*Diſſolvat ſervũ,aut relevarit pondere,cauſas*
*Ut gerat ipſius Curator,reſque gubernet,*
*Dũmodo bis quinos ſeptemq;impleverit annos:*
*Liberet aut famulam,ſociali ut fœdere jungat,*
*Dum tamen hanc ſecum vinclo ſociare jugali*
*Sex intra menſes curet,propriamque dicare.*

§. *VI.*

*Aſt aliquo retractetur vix tempore cauſa,*
*Si ſemel aut verè,aut falsò fuit ante probata.*

§. *VII.*

*Ergo cum ſervos gravibus relevare catenis*
*Non poſſet Dominus,qui non compleverat ante*
*Annos bis denos,eadem ut lex Ælia ſanxit,*
*Fiebat,quiſquis quatuor compleverat annos,*
*Atque decem, ut quamvis tabulas ſignare ſupremas,*
*Scribere & hæredem,legataq;linquere poſſet,*
*Dura tamen ſervi diſſolvere vincla nequiret,*
*Ni prius ætatis viginti degeret annos.*
*Hoc verò nulla fuerat ratione ferendum.*
*Cum ſua teſtator poſſet decernere cuncta,*
*Condenti tabulas cur non concedimus illi,*
*Ut ſervos duro valeat diſſolvere nexu?*
*At quoniam nullo libertas venditur auro,*
*Bis denos ante annos hinc vetuère Priores,*
*Servili à Domino relevari pondere ſervos;*
*Nos ideo medium quadam ratione legentes,*
*Illi,qui tabulas condit,permittimus,omne*
*Tollere ſervorum vinclum,triſtemq;catenam;*
*Annos ſi ſeptem,atque decem compleverit ante.*
*Cumque decem , ac ſeptem,juveni, qui degerit annos,*
*Poſtulet ut pro aliis,conceſſerit ante vetuſtas,*
*Cur non judicii robur conferre putandum,*
*Ille gravi ut valeat ſervos abſolvere vinclo?*

*De*

## *De Lege Fuſia Caninia tollenda*

## TITVLVS VII.

Lege Fuſia Caninia certus modus conſtitutus erat in ſervis teſtamento manumittendis: quam, quaſi libertates impedientem,& quodammodo invidam, tollendam eſſe cenſuimus: cum ſatis fuerat inhumanum,vivos quidem licentiam habere totam ſuam familiam libertate donare, niſi alia cauſa impediat libertatem:morientibus autem hujuſmodi licentiam adimere.

*FUſia permiſit relevare Caninia certum*
*Ad numerum,Domino teſtanti, pondere ſervos:*
*Invida quæ nobis penitus tollenda putatur;*
*Cum ſat in humanum,vivis donare licere*
*Servos libertate,vetet ni cauſa probata,*
*Id verò morienti immani lege negare.*

## *De his, qui ſunt ſui, vel alieni Iuris*

## TITVLVS VIII.

SEquitur de jure perſonarum alia diviſio. Nam quædam perſonæ ſui juris ſunt, quædam alieno juri ſubjectæ.Rurſus earum, quæ alieno juri ſubjectæ ſunt, aliæ ſunt in poteſtate parentum,aliæ in poteſtate dominorum. Videamus itaque de his,quæ alieno juri ſubjectæ ſunt:nam ſi cognoverimus,quę iſtæ perſonæ ſunt: ſimul intelligemus, quæ ſui juris ſunt: ac prius inſpiciamus de his, quæ in poteſtate dominorum ſunt.

*ALtera de jure eſt hominum diviſio dāda;*
*Nam quædam alterius juri ſubjecta putanda eſt*
*Perſona, atque ſui quædam ſunt juris habēdæ.*
*Rurſus quæ alterius juri ſubjecta,Parentis*
*Imperioſa premit,Domini vel Juſta Poteſtas.*
*Qui alterius juri ſubjectam noverit,ille,*
*Quæ perſona ſui eſt juris,cognoſcet,& ante*
*Iſti Domini noſcenda gravi compreſſa catena.*

§. I.

In poteſtate itaque dominorum ſunt ſervi: quæ quidem poteſtas, juris gentium eſt: nam apud omnes peræquè gentes animadvertere poſſumus,dominis in ſervos vitę,necisque poteſtatem fuiſſe: & quodcumque per ſervum acquiritur,id domino acquiri.

*§. I.*

*Jam verò Domini in ſervos exorta Poteſtas*
*Legibus eſt gentis;toto nam novimus orbe*
*In ſervos illi vitæ,mortiſque fuiſſe*
*Jura poteſtatis,Dominoque acquirere ſervum.*

§. II.

Sed hoc tempore nullis hominibus, qui ſub imperio noſtro ſunt, licet ſine cauſa legibus cognita,in ſervos ſuos(ſupra modum) ſævire. Nam ex conſtitutione Divi Antonini,qui ſine cauſa ſervum ſuum occiderit, nō minus puniri jubetur, quàm ſi alienum ſervum occiderit. Sed & major aſperitas dominorum, ejuſdem Principis conſtitutione coercetur:nam (Antonius) conſultus à quibuſdam pręſidibus Provinciarum de his ſervis,qui ad ædem ſacram, vel ad ſtatuā Principum confugiunt,præcepit,ut ſi intolerabilis videatur ſęvitia dominorum, cogantur ſer-

*§. II.*

*Nunc verò nulli liceat,niſi cognita cauſa*
*Legibus,in ſervos nimium ſævire,jubetur*
*Namque ſacra Divi Antonini lege,necabit*
*Qui nulla ex cauſa famulū,perſolvere pœnas,*
*Non ſecus,ac ſervū alterius qui morte peremit.*
*Hujus at aſperitas Dominorū Principis æqua*
*Lege coercetur,de ſervo namque rogatus*
*Prϛſidibus,fugiens ſacram qui venit ad arcem,*
*Principis ac ſtatuam,hic Princeps mandaſſe refertur,*
*Ut niſi barbaries Domini tolerabilis eſſet,*
*Is precio juſto cogatur vendere ſervum.*
*Hoc ſtatuit rectè;noſtro namque expedit orbi,*
*Quiſ-*

ſervos ſuos bonis conditionibus vendere, ut pretium dominis daretur: & rectè; expedit enim Reipublicæ, ne ſua re quis malè utatur. Cujus reſcripti ad Ælium Martianum emiſſi verba ſunt hæc: Dominorum quidem poteſtatem in ſervos ſuos illibatam eſſe oportet, nec cuiquam hominum jus ſuum detrahi; ſed dominorum intereſt, ne auxilium contra ſævitiam, vel famem, vel intolerabilem injuriam denegetur iis, qui juſtè deprecantur. Ideòque cognoſce de querelis eorum, qui ex familia Julii Sabini ad ſtatuã confugerunt; & ſi vel duriùs habitos, quàm æquum eſt, vel infami injuria affectos eſſe cognoveris: venire jube, ita ut in poteſtatem domini non revertantur. Quod ſi meæ conſtitutioni fraudem fecerit, ſciat me hoc admiſſum ſeveriùs executurum.

*Quiſque bonis, rebuſque ſuis ne utatur iniquè,*
*Hæc Antonini reſcripti verba feruntur:*
*Servanda in ſervos Dominorũ pura Poteſtas,*
*Quilibet ac debet cunctis ſua reddere jura;*
*Hinc Domini refert, miſero ne deneget illi,*
*Qui petit auxilium, ſervo, juſtèque precatur;*
*Ne vigiles probris pueros inceſſat amaris,*
*Sollicitetque fame ne ſit nimis efferus illis.*
*Quare age ſervorum juſtas agnoſce Sabini,*
*Principis ad ſtatuam qui confugere, querelas,*
*Sæviter hos habitos ſi noſces, præcipe vendi,*
*Inque poteſtatem nulla ratione reverti.*
*Si noſtræ fraudem legi quis fecerit, ille*
*Se ſciat admiſſo paſſurum crimine pœnas.*

## *De Patria Poteſtate*

## TITVLVS IX.

IN poteſtate noſtra ſunt liberi noſtri, quos ex juſtis nuptiis procreavimus.

*Connubio à nobis genitos, juſtoque creatos*
*Fœdere, noſtra Patrum retinet, cohibetque Poteſtas.*

§. I.

Nuptiæ autem, ſive matrimonium, eſt viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens.

§. *I.*

*Cum mare fœminei ſexus conjunctio fertur*
*Connubium, poterit nullo quod tempore ſolvi.*

§. II.

Jus autem poteſtatis, quod in liberos habemus, proprium eſt civium Romanorum; nulli enim alii ſunt homines, qui talem in liberos habeant poteſtatem, qualem nos habemus.

§. *II.*

*Jamque Poteſtatis nobis quæ Jura manebunt*
*In ſobolem, fuerant Romani propria Civis.*
*Non hæc in genitos aliis data noſtra Poteſtas.*

§. III.

Qui igitur ex te, & uxore tua naſcitur, in tua poteſtate eſt. Item qui ex filio tuo, & uxore ejus naſcitur, id eſt, nepos tuus, & neptis, æquè in tua ſunt poteſtate, & pronepos, & proneptis, & deinceps cæteri. Qui autem ex filia tua naſcuntur, in poteſtate tua non ſunt, ſed in patris eorum.

§. *III.*

*Hinc tibi quæ peperit cariſſima pignora Cõjux,*
*Hæc tua refrænat Patris, reprimitq; poteſtas.*
*Quam prolẽ peperit noſter ſibi natus, & Uxor*
*Ipſius, noſtro Patrio ſub jure manebit,*
*Noſter nempe nepos, neptis, pronepoſque, proneptis.*
*Non tua, ſed Patris moderatur juſta Poteſtas,*
*Quos enixa tua eſt dulces ſibi filia natos.*

De

## *De Nuptiis*

## TITVLVS X.

IUſtas autem nuptias inter ſe cives Romani contrahunt, qui ſecundum præcepta legum coeunt,maſculi quidem puberes,fœminæ autem viri potentes, ſive patresfamiliarum ſint, ſive filiifamiliarum:dum tamen, ſi filiifamiliarum ſint, conſenſum habeant parentum,quorum in poteſtate ſunt. Nam hoc fieri debere,& civilis,& naturalis ratio ſuadet: in tantum, ut juſſus parentis præcedere debeat. Unde quæſitum eſt, an furioſi filia nubere,aut furioſi filius uxorem ducere poſſit? cumque ſuper filio variabatur,noſtra proceſſit deciſio, qua permiſſum eſt ad exẽplum filię furioſi,filium quoq;(furioſi)poſſe, & ſine patris interventu matrimonium ſibi copulare,ſecundum datum ex noſtra conſtitutione modum. §. I.

Ergo non omnes nobis uxores ducere licet,nam à quarundam nuptiis abſtinendum eſt; inter eas enim perſonas,quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, contrahi nuptiæ non poſſunt:veluti inter patrẽ, & filiam,vel avum,& neptem,vel matrem, & filium, vel aviam,& nepotem, & uſque in infinitum. Et ſi tales perſonæ inter ſe cojerint: nefarias, atque inceſtas nuptias contraxiſſe dicuntur. Et hæc adeo vera ſunt, ut quamvis per adoptionem parentum,liberorumve loco ſibi eſſe cœperint, non poſſint inter ſe matrimonio jungi:in tantum,ut etiã diſſoluta adoptione,idem juris maneat.Itaque eam, quæ tibi per adoptionem filia, vel neptis eſſe cœperit,non poteris uxorem ducere, quamvis eam emancipaveris.

§. II.

Inter eas quoque perſonas,quæ ex tranſverſo gradu cognationis junguntur,eſt quędam ſimilis obſervatio,ſed non tanta. Sanè enim inter fratrem,ſororemque nuptię prohibitæ ſunt,ſive ab eodem patre, eademque matre nati fuerint,ſive ex altero eorum.Sed ſi qua per adoptionem ſoror tibi eſſe cœperit: quamdiu quidem conſtat adoptio, ſanè inter te, & eam nuptiæ conſiſtere non poſſunt: cùm verò per emãcipationem adoptio ſit diſſoluta, poteris eam uxorem ducere.

Sed

*IAm verò juſto noſtra ſociantur in Urbe*
*Connubio Cives,ducti qui lege coibunt.*
*Mas pubes,dulciſque potens ſit ſponſa mariti,*
*Aut Pater,aut proles chari ſub Jure parentis,*
*Dũ tamen hæc Patris conſenſu ſœdera jungat;*
*Nam debere jubet recto dictamine ducta*
*Civilis ratio,Patris præcedere juſſus.*
*Quare eſt quæſitum,an furioſi filia poſſit*
*Nubere,& Uxorem Lymphati ducere Natus?*
*Cumq;ſuper genito haud eſſet ſententia cõſtans,*
*Prodita firma fuit deciſio noſtra,Parentis*
*Ut ſine conſenſu tædas ſociare maritas,*
*Nata velut poſſit Lymphato à Patre creatus;*
*Idque modo fiet,ſtatuit quem ſanctio noſtra.*

§. *I.*

*Non celebrare licet nobis connubia cuncta;*
*Nam thalamos natura vetat cõ ungere natas,*
*Cum Patribus. Vetitum inter Avum, neptemque,nepotem,*
*Atque Aviam ſocii conſortia jungere lecti.*
*Lineola in recta cuncti hoc ſervare minores,*
*Ipſi ut ſi coeant,ſit uterque nefarius æque*
*Inceſtus nubens,adeo hoc verum eſse putatur,*
*Ut quamcunq; Pater natam ſibi liber adoptet,*
*Hanc ſibi non poſſit vinclo ſociare jugali.*
*Illius ergo nequis lecti ſacra jura ſubire,*
*Quam tibi vel neptem, vel fecit adoptio natã,*
*Iure poteſtatis fuerit licet illa ſoluta.*

§. *II.*

*Inter perſonas tranſverſo ex ordine junctas,*
*Eſt quædam ſimilis,non obſervatio tanta;*
*Namq;ſoror,fraterque jugalia vincula lecti*
*Nectere non poſsunt, vel eadem matre creati*
*Ac Patre,utrovis fuerint vel ſtipite nati.*
*Sed ſi germanam tibi fecit adoptio, donec*
*Ipſa manet ſtabilis,conſtans,eademque,jugales*
*Inter te,atque illam nequeunt conſiſtere tædæ.*
*Cum verò ſolvetur adoptio, ducere nulla*
*Hãc tibi jura vetant.Sin Patris nulla poteſtas*

*Te*

Sed & ſi tu emancipatus fueris,nihil eſt impedimento nuptiis. Et ideò conſtat, ſi quis generum adoptare velit, debere eum antea filiam ſuam emancipare: & ſi quis velit nurum adoptare, debere eum antea filium ſuum emancipare.

§. III.

Fratris verò, vel ſororis filiam, uxorem ducere non licet: ſed nec neptem fratris,vel ſororis quis ducere poteſt, quamvis quarto gradu ſint. Cujus enim filiam uxorem ducere non licet, neque ejus neptem permittitur. Ejus verò mulieris, quam pater tuus adoptavit, filiam non videris impediri uxorem ducere: quia neque naturali,neque civili jure tibi conjungitur.

§. IV.

Duorum autem fratrum, vel ſororum liberi,vel fratris,& ſororis, conjungi poſſunt.

§. V.

Item amitam, licet adoptivam, ducere uxorem non licet, item nec materteram: quia parentum loco habentur. Qua ratione verum eſt,magnam quoque amitam, & materteram magnam prohiberi uxorem ducere.

§. VI.

Adfinitatis quoque veneratione, à quarundam nuptiis abſtinere neceſſe eſt, ut ecce privignam, aut nurum uxorem ducere non licet:quia utræque filiæ loco ſunt.Quod ita ſcilicet accipi debet, ſi fuit nurus, aut privigna tua. Nam ſi adhuc nurus tua eſt,id eſt, ſi adhuc nupta eſt filio tuo, alia ratione uxorem eam ducere non poteris: quia eadem duobus nupta eſſe non poteſt. Item ſi adhuc privigna tua eſt,id eſt, ſi mater ejus tibi nupta eſt, ideò eam uxorem ducere non poteris, quia duas uxores eodem tempore habere non licet.

§. VII.

Socrum quoque,& novercam prohibitum eſt uxorem ducere: quia matris loco ſunt. Quod & ipſum diſſoluta demum adfinitate procedit: alioquin ſi adhuc noverca eſt, id eſt, ſi adhuc patri tuo nupta eſt: communi jure impeditur tibi nubere, quia eadem duobus nupta eſſe non poteſt. Item ſi adhuc ſocrus eſt,id eſt,ſi adhuc filia ejus tibi nupta eſt:ideò impediuntur tibi nuptiæ,quia duas uxores habere non potes.

Mari-

*Te premit,haud vetitum ſocialia nectere vincla.*
*Hinc ſi pro nato Generum quis ſumere poſcit,*
*Ante ſuam ſobolem diſſolvat jure Parentis;*
*Et quicunque nurum pro nata aſciſcere quærit,*
*Jure poteſtatis genitum diſſolvere debet.*

§. *III.*

*Germanæ,aut fratris natam ſociare jugali*
*Nemo poteſt vinclo,atq;torum cũ nepte ſororis*
*Jungere,vel fratris;vetitũ nam ducere neptem*
*Illius,cujus genitam non fœdus inire*
*Jure licet lecti.Sed ducere poſſe videris*
*Patris adoptatæ natam;nam jure vetatur*
*Nullo,cum nullis jungaris legibus illi.*

§. *IV.*

*At verò poſſunt genitos fratrum, atque ſororũ*
*Germanæ,ac Fratris ſocialia vincla ligare.*

§. *V.*

*Jura vetant amitam ſponſam te ducere,quævis*
*Fiſset adoptiva,ac tecum matertera fœdus*
*Jungere nec ſociale poteſt;hæ nãque Parentum*
*Accipiunt, retinentque locum;Hinc ſociare negabunt*
*Jura tibi ſponſam,Patris,Matriſque Sororem.*

§. *VI.*

*Privignæ,atque nurus tædas celebrare jugales*
*Eſt vetitum;namq;ut natæ cenſentur utræque.*
*Hæc ratio cogit,thalami ſi vincla ſoluta;*
*Tempore namq;Nurus,dulci quo nupta marito;*
*Jura vetant alia tecum ratione coire;*
*Scilicet hæc ſociata viris nequit eſſe duobus.*
*Si privigna manet præſenti tempore,chara*
*Scilicet illius mater tibi nupta moratur,*
*Illa nequit thalami tecum conjungere fœdus,*
*Namque duas vetitum ſocias tibi ducere lecti.*

§. *VII.*

*Non licet immitis thalamum ſociare Novercæ;*
*Nec ſtabili ſocrum poteris tibi ducere ſponſam*
*Fœdere; namque loco matris cẽſentur utræque.*
*Hæc verò ratio,ſociali jure ſoluto,*
*Procedit ſolùm;Patri nam nupta Noverca*
*Si manet,alterius ſocialia vincla ſubire*
*Non poterit;gemini thalami nã jure vetantur.*
*Si tua ſocrus adhuc remanet, ſi nempe pudica*
*Illius eſt ſoboles charo tibi nupta marito,*
*Non eſt permiſſum talem te ducere ſponſam,*
*Namq;tori gemini communi lege negantur.*

*Fi-*

### §. VIII.

Mariti tamen filius ex alia uxore,& uxoris filia ex alio marito,vel contra,matrimonium rectè contrahunt; licet habeant fratrem,ſororemve ex matrimonio poſtea contracto natos.

### §. IX.

Si uxor tua poſt divortium ex alio filiam procreaverit: hæc non eſt quidem privigna tua: ſed Julianus ab hujuſmodi nuptiis abſtinere debere,ait:nam conſtat,nec ſponſam filii nurum eſſe, nec patris ſponſam novercam eſſe:rectiùs tamen,& jùre facturos eos, qui ab hujuſmodi nuptiis abſtinuerint.

### §. X.

Illud certum eſt, ſerviles quoque cognationes impedimento nuptiis eſſe:ſi fortè pater, & filia, aut frater, & ſoror manumiſſi fuerint.

### §. XI.

Sunt & aliæ perſonæ, quæ propter diverſas rationes nuptias contrahere prohibentur,quas in libris Digeſtorum,ſeu Pandectarum, ex vetere jure collectarum, enumerati permiſimus.

### §. XII.

Si adverſus ea, quæ diximus,aliqui cojerint; nec vir, nec uxor, nec nuptiæ,nec matrimoninm, nec dos intelligitur. Itaque ii, qui ex eo coitu naſcuntur, in poteſtate patris non ſunt: ſed tales ſunt(quantum ad patriam poteſtatem pertinet) quales ſunt ii, quos mater vulgò concepit.Nam nec hi patrem habere intelliguntur,cum & his pater incertus ſit: unde ſolent ſpurii appellari παρὰ τὴν σπορὰν, id eſt, *à ſatione*, ὡς ἀπάτορες quaſi ſine patre filii. Sequitur ergo,ut diſſoluto tali coitu, nec dotis, nec donationis exactioni locus ſit. Qui autem prohibitas nuptias contrahunt, & alias pœnas patiuntur, quæ ſacris conſtitutionibus cõtinentur.

### §. XIII.

Aliquando autem evenit, ut liberi, qui ſtatim,ut nati ſunt, in poteſtate parentum non ſunt, poſtea redigantur in poteſtatem patris: qualis eſt is, qui dum naturalis fuerat,poſtea curiæ datus, poteſtati patris ſubiicitur: nec non is,qui à muliere libera procreatus, cujus matrimonium minimè legibus interdictum fuerat, ſed ad quam pater non-

### *§. VIII.*

*Filius,ex alio peperit quem conjuge Conjux,*
*Conjugis ac ſoboles alia cum Matre creata,*
*Aut contrà,ſocii conſortia jungere lecti*
*Jure valent,habeant quamvis Fratrem,atque ſororem,*
*Qui fuerant nati thalami poſt vincla jugalis.*

### *§. XI.*

*Ac tua progenuit ſi poſt divortia Conjux;*
*Non tibi, quam peperit, proles privigna putanda eſt;*
*Sed Juriſconſultus ait,ſocialia vincla* Iulian.
*Hæc ſpernẽda tibi.Patris nec ſponſa,Noverca,*
*Nec nurus eſt geniti ſpõſa,at genialia vincla*
*Ipſarum jure,ac rectè fugienda putantur.*

### *§. X.*

*Servilis verò thalami cognatio fœdus*
*Impediet;Genitor,proles,Fraserve, Sororque*
*Jure poteſtatis Domini ſi fortè ſoluti.*

### *§. XI.*

*Sunt quæ perſonæ ex alia ratione jugales*
*Jungere non poſſunt tædas,quas juſſimus ante*
*In Digeſtorum numerari ex ordine libris.*

### *XII.*

*Hactenus à nobis ſi adverſus dicta coibunt*
*Nonnulli,conjux,nec vir,nec fœmina habetur,*
*Nec dos,nec fœdus thalami,ac genialia jura.*
*Hoc ergo coitu generatos nulla poteſtas*
*Aſtringit Patris:ſed quantũ ad jura Parentis,*
*Sunt tales,quales vulgò laſciva creavit*
*Mater.Non illi dicuntur habere Parentes,*
*Queis Pater incertus,ſpurios quos jure ſolemus*
*Appellare, velut prolem ſine Patre creatam.*
*Hinc ſequitur,coitus poſtquam diſſolvitur iſte,*
*Dotibus eſſe locum nullum,ac munuſcula nulla.*
*Qui vetitas nectunt tædas,hi crimine dignam*
*Perſolvent pœnam,ſtatuit quã Sanctia noſtra.*

### *§. XIII.*

*Evenit interdum,ut cũ primùm luminis auras*
*Filius aſpexit, Patrio non jure ligetur,*
*Poſtea ducatur chari ſub jura Parentis;*
*Hinc naturalis,quem poſtea noſtra recepit*
*Curia,cenſendus Patris ſub jura redactus:*
*Sic etiam proles, peperit quam libera mater,*
*Cum qua vincla Pater junxit nõ debita lecti,*

conſuetudinem habuerat, poſtea ex noſtra conſtitutione dotalibus inſtrumentis compoſitis,in poteſtate patris efficitur. Quod & aliis liberis, qui ex eodem matrimonio poſtea fuerint procreati, ſimiliter noſtra conſtitutio præbuit.

*Ut primùm contracta jugalia jura fuêre,*
*Jure Poteſtatis cœpit religata Parentis*
*Vivere. Præbuerat pariter quod Sanctio noſtra*
*Legitimi natis geniali à fœdere lecti.*

## *De Adoptionibus*

## TITVLVS XI.

NOn ſolùm autem naturales liberi, ſecundùm ea,quæ diximus,in poteſtate noſtra ſunt: verùmetiam ii,quos adoptamus.

*NOn ſolùm geniti patrio ſub jure tenentur,*
*Verum & adoptati.* §.I.*Gemino fit adoptio more,*

§. I.

Adoptio autem duobus modis fit, aut principali reſcripto, aut imperio magiſtratus. Imperatoris auctoritate adoptare quis poteſt eos, eaſve, qui, quæve ſui juris ſunt: quæ ſpecies adoptionis dicitur adrogatio. Imperio magiſtratus adoptamus eos, eaſve, qui,quæve in poteſtate parentum ſunt, ſive primum gradum liberorum obtineant:qualis eſt filius, filia: ſive inferiorem, qualis eſt nepos, neptis: pronepos, proneptis.

*Principis aut ſcripto,rerū cui ſumma poteſtas,*
*Imperiove Magiſtratus.Sed ſceptra tenentis*
*Imperio,quicunque ſui ſunt juris,adoptat,*
*Adrogat & natos,qui ſic aſciverit illos.*
*Jure magiſtratus ſed reddet adoptio natos,*
*Quos genitoris habet patrio ſub jure poteſtas,*
*Sive gradum primū teneant,ut Filia,Natus,*
*Sive locum ternum retinebunt,ſive ſecundum,*
*Eſt veluti neptiſq;nepos,pronepoſq;proneptis.*

§. II.

Sed hodie ex noſtra conſtitutione, eum filiusfamilias à patre naturali extraneæ perſonæ in adoptionem datur:jura patris naturalis minimè diſſolvuntur,nec quicquam ad patrem adoptivum tranſit: nec in poteſtate ejus eſt, licet ab inteſtato jura ſucceſſionis ei à nobis tributa ſint.Si verò pater naturalis non extraneo, ſed avo filii ſui materno, vel ſi ipſe pater naturalis fuerit emancipatus,etiam avo, vel proavo ſimili modo paterno, vel materno filium ſuum dederit in adoptionem: in hoc caſu, quia concurrunt in unam perſonam, & naturalia, & adoptionis jura: manet ſtabile jus patris adoptivi,& naturali vinculo copulatum, & legitimo adoptionis modo conſtitutum:ut & in familia,& in poteſtate hujuſmodi patris adoptivi ſit.

§. II.

*Nūc ſi quis genitos aliorum externus adoptet,*
*Qui naturali religantur jure Parentum,*
*Non naturalis,ſacra eſt ut lege ſtatutum,*
*Jura poteſtatis,ſolvuntur,nulla poteſtas*
*Tranſit adoptanti Patri;ſucceſſio at illi*
*Reſtat ab inteſtato noſtro ex jure ſtatuta:*
*Aſt Avus,aut Proavus ſi quem maternus adoptet,*
*Aut Avus, aut Proavus ſimili ratione paternus,*
*Cui patrio fuerit prognatus jure ſolutus,*
*Natura quoniam religant Civilia jura,*
*Patris adoptantis conſtans,firmumq; manebit*
*Jus gemino ſociatum vinclo,& jure ſtatutum,*
*Legitimi ut ſit adoptiuus ſub jure Parentis.*

§. III.

Cum autem impubes per principale reſcriptum adrogatur,cauſa cognita, adrogatio fieri permittitur, & exquiritur cauſa adrogationis, an honeſta ſit, expediatque pupil-

§. III.

*Quicunque impubem reſcripto regna Gerentis*
*Adrogat,id faciat cauſa,ſit quæ utilis olli.*

*At*

pillo. Et cum quibuſdã conditionibus adrogatio fit, id eſt, ut caveat adrogator perſonæ publicæ, ſi intra pubertatem pupillus deceſſerit, reſtituturũ ſe bona illis, qui, ſi adoptio facta non eſſet, ad ſucceſſionem ejus venturi eſſent. Item non aliter emancipare eum poteſt adrogator, niſi cauſa cognita dignus emancipatione fuerit, & tunc ſua bona ei reddat. Sed & ſi decedens pater eum exhæredaverit, vel vivus ſine juſta cauſa emancipaverit: jubetur, quartam partem ei bonorum ſuorum relinquere, videlicet præter bona, quæ ad patrem adoptivum tranſtulit, & quorum commodum ei poſtea acquiſivit.

*At verò caveat quiſquis ſic adrogat, illis,*
*Qui eſſent hæredes, & cuncta ad jura venirent*
*Impubis, ſi nulla fuiſſet adoptio facta,*
*Se bona ceſſurum, impubes ſi liquerit auras.*
*Talis adoptatus patrio non jure carebit,*
*Ni prius id ſtatuat juſta, ac præcognita cauſa;*
*Et bona tunc reddentur ei, quæcunque tenebat.*
*Sin fuit exhæres factus, moriente Parènte,*
*Aut vivo, patrio nulla ratione ſolutus*
*Vinclo, pars illi linquatur quarta bonorum*
*Patris adoptivi, præter quæ tranſtulit ille*
*Ad Patrem, quorum quæſivit commoda Adoptans.*

§. IV.

Minorem natu, majorem non poſſe adoptare placet: adoptio enim naturam imitatur: & pro monſtro eſt, ut major ſit filius, quàm pater. Debet itaque is, qui ſibi filium per adoptionem, vel adrogationem facit, plena pubertate, id eſt, decem, & octo annis præcedere.

§. *IV.*

*Jure minor natu majorem nullus adoptat;*
*Quandoquidem naturam imitatur adoptio. Monſtrum eſt,*
*Si major fuerit genitus, Prole ſque Parente.*
*Ergo Parens octo, cui fecit Adoptio gnatum,*
*Annis, atque decem debet præcedere nato.*

§. V.

Licet autem & in locum nepotis, vel neptis, pronepotis, vel proneptis, vel deinceps adoptare, quamvis filium quis non habeat.

§. *V.*

*Sive loco pronepotis, ſive nepotis adoptat*
*Quis, licet haud habeat proprio de ſemine prolē.*

§. VI.

Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare poteſt, quàm nepotem in locum filii.

§. *VI.*

*Alterius poterit Patris de ſanguine natum*
*Quiſque Nepotis habere loco, Proliſq; Nepotē.*

§. VII.

Sed ſi quis nepotis loco adoptet, vel quaſi ex filio, quem habet jam adoptatum, vel quaſi ex illo, quem naturalem in ſua poteſtate habet: eo caſu & filius conſentire debet, ne ei invito ſuus hæres adnaſcatur: ſed ex contrario, ſi avus ex filio nepotem det in adoptionem, non eſt neceſſe filium conſentire.

§. *VII.*

*At vice præſentis quicunque nepotis adoptat*
*Illius ut ſobolem, quem fecit Adoptio natum,*
*Aut veluti prolem geniti, quem jura coercent*
*Patris, is aſſenſum nati debebit habere;*
*Nam ſuus haud debet nolenti adnaſcier hæres.*
*Sin Avus ex nato ſeu neptem, ſive nepotem*
*Tradat adoptandum, aſſenſus non quæritur ullus.*

§. VIII.

In plurimis autem cauſis adſimilatur is, qui adoptatus, vel adrogatus eſt, ei, qui ex legitimo matrimonio natus eſt, & ideò, ſi quis per Imperatorem, vel apud Prætorem, vel Præſidem Provinciæ non extraneum adoptaverit, poteſt eundem in adoptionem alii dare.

§. *VIII.*

*Caſibus in multis, quem fecit adoptio natum,*
*Eſt illi ſimilis, thalami, qui fœdere natus*
*Legitimo eſt; ideo reſcripto regna gerentis,*
*Præſidis aut juſſu prolem ſi fecit adoptans,*
*Hanc aliis dare adoptandam permittitur: ipſe*
*Dummodo, qui dabitur, ſit non extraneus illi.*

§. IX.

Sed & illud utriuſque adoptionis commune eſt, quod & ii, qui generare non poſſunt (quales ſunt ſpadones) adoptare poſſunt (caſtrati autem non poſſunt.)

§. *IX.*

*Illi, qui nunquam poſſunt generare, ſpadones,*
*At verò nullo Caſtrati tempore, adoptant.*

§. X.

Fœminæ quoque adoptare non poſſunt: quia nec naturales liberos in ſua poteſtate habent: ſed ex indulgentia Principis ad ſolatium liberorum amiſsorum adoptare poſſunt.

*§. X.*

*Cum genitos matris conſtringat nulla poteſtas,*
*Exoritur, nullos natos ut fœmina adoptet;*
*Id tamen efficiet, Princeps ſi indulgeat, illa*
*Poſſit ut amiſſæ mœrorem ponere Prolis.*

§. XI.

Illud proprium eſt adoptionis illius, quæ per ſacrum oraculum fit, quòd is, qui liberos in poteſtate habet, ſi ſe adrogandum dederit, nō ſolùm ipſe poteſtati adrogatoris ſubjicitur, ſed etiam liberi ejus in ejuſdem fiunt poteſtate tanquā nepotes: ſic etenim Divus Auguſtus non ante Tiberium adoptavit, quàm is Germanicum adoptaſset: ut protinus adoptione facta, inciperet Germanicus Auguſti nepos eſſe.

*§. XI.*

*Illius aſſenſu, rerum cui ſumma poteſtas,*
*Qui ſe tradet adoptandum, non jure ligatur*
*Ipſe poteſtatis ſolùm, ſed, jure Parentis*
*Quos habet aſtrictos, genuitq; à conjuge, nati*
*Patris Adoptantis fiunt ſub jure Nepotes.*
*Tiberii Auguſtus fuerit quo tempore adoptans,*
*Protinus eſſe Nepos cœpit Germanicus illi.*

§. XII.

Apud Catonem benè ſcriptum refert antiquitas, Servos, ſi à domino adoptati ſint, ex hoc ipſo poſse liberari. Unde & nos eruditi in noſtra conſtitutione etiam eum ſervum, quem dominus actis intervenientibus filium ſuum nominaverat, liberum eſse conſtituimus: licet hoc ad jus filii accipiendum non ſufficiat.

*§. XII.*

*Ut benè dixerunt veteres, dixiſſe Catonem,*
*Servus adoptatus Domini eſt ab jure ſolutus.*
*Hinc Dominus juſto coram ſi Iudice ſervum*
*Natum appellarit, noſtra eſt ut lege ſtatutum,*
*Eſt data libertas, triſtiſque ſoluta catena,*
*Is quamvis ſervus geniti non jura recepit.*

## *Quibus modis Ius Patriæ Poteſtatis ſolvitur*

## TITVLVS XII.

Videamus nunc, quibus modis ii, qui alieno juri ſunt ſubjecti, eo jure liberentur. Et quidem quemadmodum liberentur ſervi à poteſtate dominorum, ex iis intelligere poſsumus, quæ de ſervis manumittendis ſuperiùs expoſuimus. Hi verò, qui in poteſtate parentis ſunt, mortuo eo, ſui juris fiunt. Sed hoc diſtinctionem recipit: nam mortuo patre, ſanè omni modo filii, filiæve ſui juris efficiuntur. Mortuo verò avo non omnino nepotes, nepteſque ſui juris fiunt: ſed ita, ſi poſt mortem avi in poteſtatem patris ſui recaſuri non ſunt. Itaque ſi moriente avo pater eorum vivit, & in poteſtate patris ſui eſt, tunc poſt obitum avi in poteſtate patris ſui fiunt. Si verò is, quo tempore avus moritur, aut jam mortuus eſt, aut (per emancipationem) exiit de poteſtate patris: tunc ii, qui in poteſtatem ejus cadere non poſſunt, ſui juris fiunt.

*Nunc age, qua poſſit ſolvi ratione ligamen*
*Illius, aſpicite, alterius qui jure ligatur.*
*Quo verò pacto ſervorum vincula rumpi*
*Poſſint, oſtendunt planè, quæ diximus ante.*
*At quicunque ſui juris moriente Parente,*
*Fiunt, ſi patrio conſtricti jure manebant.*
*Attamen hoc aliquod debet diſcrimen habere;*
*Nam genitos, nataſq; ſtatim poſt funera Patris*
*Jure poteſtatis relevatos eſſe, fatemur:*
*Sin moriatur Avus, non Neptes, atq; Nepotes*
*Eſſe ſui juris, recidant ſi in jura Parentis.*
*Ergo ſi decedat Avus, vivente Parente,*
*Quem Romana Patris devinxerat ante poteſtas,*
*Illius remanent patrio ſub jure nepotes.*
*Verùm mortis Avi Genitor ſi tempore liber*
*Jure poteſtatis fuerit, vel mortuus ante,*
*Ipſius geniti nullo ſub jure ſuperſunt.*

*Cri-*

§. I.

Cum autem is, qui ob aliquod maleficiũ in inſulam deportatur, civitatem amittit: ſequitur, ut qui eo modo ex numero civium Romanorum tollitur, perinde quaſi eo mortuo, deſinant liberi in poteſtate ejus eſſe. Pari ratione, & ſi is, qui in poteſtate parentis ſit, in inſulam deportatus fuerit, deſinit eſſe in poteſtate parentis. Sed ſi ex indulgentia Principis reſtituti fuerint: per omnia priſtinum ſtatum recipiunt.

§. *I.*

*Criminibus deportatus, quem detinet uda*
*Clauſa mari tellus, patriã cum amiſerit* Urbẽ,
*Mortuus ac veluti, Romanus deſiit eſſe*
*Civis, non patrio genitos ſub jure coercet.*
*Sic deportatus propter ſua crimina natus,*
*Jure poteſtatis cenſebitur eſſe ſolutus.*
*Amiſſam at capiet ſortem, atq; priora tenebit,*
*Princeps indulgens illi ſi priſtina reddet.*

§. II.

Relegati autem patres in inſulam, in poteſtate liberos retinent. Et ex contrario liberi relegati in poteſtate parentum remanent.

§. *II.*

*Quos nemoroſa relegatos tenet Inſula Patres,*
*Hi genitos, nataſque Patrum ſub jure coercent;*
*Quoſque relegarunt ſcelerata crimina vitæ*
*Natos, coſtringit Patrum, vincitque Poteſtas.*

§. III.

Pœnæ ſervus effectus, filios in poteſtate habere deſinit. Servi autem pœnæ efficiuntur, qui in metallum damnantur, & qui beſtiis ſubiiciuntur.

§. *III.*

*Effectus ſervus pœnæ ſua jura reliquit.*
*Damnatus precioſa metalla cavare fodinis,*
*Subjectuſque feris, pœnarum eſt ſervus habendus.*

§. IV.

Filiusfamilias ſi militaverit, vel ſi Senator, vel Conſul factus fuerit: remanet in poteſtate patris; militia enim, vel conſularis dignitas de patris poteſtate filium non liberat. Sed ex conſtitutione noſtra ſumma Patriciatus dignitas illico, imperialibus codicillis præſtitis, filium à patria poteſtate liberat; quis enim patiatur patrem quidem poſſe per emancipationis modum poteſtatis ſuæ nexibus filium liberare: Imperatoriam autem celſitudinem non valere eum, quem ſibi patrem elegit, ab aliena eximere poteſtate?

§. *IV.*

*Verùm qui fuerat chari ſub jure Parentis,*
*Si ſe militiæ aſcripſit, factuſve Senator,*
*Vel Conſul fuerit, patrio ſub jure manebit;*
*Namque labor belli, munus vel conſulis, æquis*
*Rector qui juſtus moderatur legibus* Urbem,
*Jure poteſtatis non liberat ante ligatum.*
*At verò accepto Regis diplomate, natos*
*Patriciatus ſummus honos ab jure Parentum*
*Protinus abſolvit, Genitor nam ſolvere natum*
*Jure poteſt patrio, nequeat cur ſolvere Patris*
*Vinclo, quem Patrẽ Princeps ſibi legerat ante?*

§. V.

Si ab hoſtibus captus fuerit parens, quamvis ſervus hoſtium fiat, tamen pendet jus liberorum propter jus poſtliminii: quia hi, qui ab hoſtibus capti ſunt, ſi reverſi fuerint, omnia priſtina jura recipiunt: idcirco reverſus etiam liberos habebit in poteſtate: quia poſtliminium fingit eum, qui captus eſt, in civitate ſemper fuiſſe. Si verò ibi deceſſerit: exinde, ex quo captus eſt pater, filius ſui juris fuiſſe videtur. Ipſe quoque filius, nepoſve, ſi ab hoſtibus captus fuerit: ſimiliter dicimus propter jus poſtliminii, jus quoque poteſtatis parentis in ſuſpenſo eſſe. Dictum eſt autem poſtliminium à limine, & poſt. Unde eum, qui ab hoſtibus (captus eſt, &, in fi-

nes

§. *V.*

*At Pater infeſto fuerit ſi captus ab hoſte,*
*Servus erit, ſuſpenſa tamen ſibi jura manebũt*
*Natorum, poſtliminii ſic jure ſtatutum eſt;*
*Namq; fuit quondam Domini qui jure ligatus,*
*Si petat inde lares patrios, charoſque Penates,*
*Omnia continuò accipiet ſua priſtina jura;*
*Idcirco natos etiam ſub jure tenebit.*
*Nam poſtliminium Patriæ ſub tecta fuiſſe*
*Semper, jus fingit, dirus quem cœperat hoſtis;*
*Sin illic Genitor vitales liquerit auras,*
*Tempore, quo captus, genitus manſiſſe videtur*
*Quiſque ſui juris. Vinctus ſi colla catenis*
*Sive Nepos, natuſve, pari ratione fatemur,*
*Cuncta poteſtatis ſuſpendi jura Parentis.*
*Eſt verò Poſtliminium à Poſt, limine dictum;*

*Ergo*

nes noſtros poſtea pervenit, poſtliminio reverſum rectè dicimus. Nam limina, & ſicut in domo finem quendam faciunt: ſic & imperii finem eſſe limen veteres voluerunt. Hinc & limen dictum eſt, quaſi finis, quidã, & terminus; ab eo poſtliminium dictum eſt, quia ad idem limen revertebatur, quod amiſerat. Sed & qui captus victis hoſtibus recuperatur, poſtliminio rediiſſe exiſtimatur.

*Ergo jure, fuit triſti qui pondere preſſus,*
*Ut primùm ad noſtros pervenit poſtea fines,*
*Hunc poſtliminio jam dicimus eſſe reverſum.*
*Namq; domus veluti faciunt ſua limina finem,*
*Imperii finem pariter dixère priores*
*Limen, & hinc dictũ limẽ, quaſi terminus, atq;*
*Finis, ſic poſtliminium, quia limen ad illud,*
*Quod ſemel amiſit, detentus ab hoſte redibat;*
*At poſtliminio rediiſſe ex jure putatur,*
*Qui redit ad Patrias, devictis hoſtibus, ædes.*

§. VI.

Præterea emancipatione quoque deſinunt liberi in poteſtate parentum eſſe, ſed emancipatio antea quidem, vel per antiquã legis obſervationem procedebat, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumiſſiones celebrabatur, vel ex imperiali reſcripto. Noſtra autem providentia, etiam hoc in melius per conſtitutionem reformavit: ut fictione priſtina exploſa, recta via ad competentes judices, vel magiſtratus, parentes intrent: & filios ſuos, vel filias, vel nepotes, vel neptes, ac deinceps à ſua manu dimittant. Et tunc ex edicto prætoris in bonis hujuſmodi filii, vel filiæ, vel nepotis, vel neptis, qui, quæve à parente manumiſſus, vel manumiſſa fuerit, eadem jura præſtantur parenti, quæ tribuuntur patrono in bonis liberti. Et præterea ſi impubes ſit filius, vel filia, vel cæteri: ipſe parens ex manumiſſione tutelam ejus nanciſcitur.

*§. VI.*

*Præterea Genitor natos ſi emancipet, ipſos*
*Amplius haud retinet Patris ſub jure Poteſtas:*
*Romulus ut quondam ſtatuit, ſeu ficta gerebat*
*Venditio, id Regis reſcriptum ſive ſerebat:*
*Verùm hoc in melius moderatrix legibus orbis*
*Noſtra roformavit mens haud incauta futuri,*
*Judicis ora petant, exploſo ut jure vetuſto,*
*Patres, inde manu natos, nepteſque, nepotes,*
*Dimittant; genitique bonis, nataque, nepotis,*
*Ac neptis, patrio fuerant qui jure ſoluti,*
*Edicto dantur prætoris cuncta Parenti,*
*Quæ data ſunt rebus liberti jura patrono.*
*Si eſt tamen impubes natus, vel cætera proles,*
*Tutelam illius genitor nanciſcitur ipſe.*

§. VII.

Admonendi autem ſumus, liberum arbitrium eſſe ei, qui filium, & ex eo nepotem, vel neptem in poteſtate habebit: filium quidem de poteſtate dimittere: nepotem verò, vel neptem retinere: & è converſo filium quidem in poteſtate retinere, nepotem verò, vel neptem manumittere, vel omnes ſui juris efficere. Eadem & de pronepote, & pronepte dicta eſſe intelligantur.

*§. VII.*

*Qui verò patrio natum, neptemque nepotem*
*Jure poteſtatis retinet, diſſolvere natum*
*Jure Pater poterit, retinens neptem, atq; nepotẽ,*
*Et contrà genitum patrio retinere ligatum*
*Vinclo, jure Patris charum relevare nepotem;*
*Liberum & eſt illi cunctos diſſolvere nexu.*
*De Pronepote eadem dicantur, deque pronepte.*

§. VIII.

Sed & ſi pater filium, quem in poteſtate habet, avo, vel proavo naturali ſecundum noſtras conſtitutiones ſuper his habitas, in adoptionem dederit: id eſt, ſi hoc ipſum actis intervenientibus apud competentem judicem manifeſtaverit, præſente eo, qui adoptatur, & non contradicente, nec non eo (præſente,) qui adoptat: ſolvitur quidem jus poteſtatis patris naturalis: tranſit autem in hujuſmodi parentem adoptivum, in cujus perſona, & adoptionem eſſe pleniſſimam antea diximus.

*§. VIII.*

*Sed ſi quis genitum, patrio quem jure coercet,*
*Vel Proavo, vel Avo prudenti Judice coram*
*Tradat adoptandum, tali nec diſcrepet actu*
*Natus adoptivus, ſed ſit ſpectator adoptans;*
*Cuncta poteſtatis ſolvuntur jura Parentis.*
*Patris adoptivi pollebit ſola poteſtas.*

*Si*

§. IX.

Illud autem ſcire oportet, quod ſi nurus tua ex filio tuo conceperit; & filium poſtea emancipaveris, vel in adoptionem dederis, prægnante nuru tua: nihilominus quod ex ea naſcitur, in poteſtate tua naſcitur. Quod ſi poſt emancipationem, vel adoptionem conceptus fuerit: patris ſui emancipati, vel avi adoptivi poteſtati ſubiicitur.

§. *IX.*

*Si nurus ex nato fœtum formaverit, atque*
*Jure poteſtatis genitum diſſolveris inde,*
*Alteri adoptãdũ aut dederis, qui liquerit alvũ.*
*Filius ille tuo patrio ſub jure tenetur.*
*Sin, poſtquam genitus ſolvetur jure Parentis,*
*Eſt vel adoptatus, prolem conceperit, illa*
*Exuti Patris ſacris ſub jure manebit,*
*Aut optantis Avi Romano jure ligatur.*

§. X.

Et quidem neque naturales liberi, neque adoptivi ullo penè modo poſſunt cogere parentes, de poteſtate ſua eos dimittere.

§. *X.*

*At naturalis nulla ratione Parentem*
*Cogit, Adoptivi poterunt nec cogere Patrem,*
*Ipſos Jure poteſtatis dimittere natos.*

## *De Tutelis*

## TITVLVS XIII.

TRanſeamus nunc ad aliam diviſionem perſonarum. Nam ex his perſonis, quæ in poteſtate non ſunt, quædam vel in tutela ſunt, vel in curatione, quædam neutro jure tenentur. Videamus ergo de his, quæ in tutela, vel in curatione ſunt. Ita enim intelligemus cæteras perſonas, quæ neutro jure tenentur. Ac prius deſpiciamus de his, quæ in tutela ſunt.

*TErtia perſonæ à nobis diviſio fiat;*
*Namque ex perſonis, nullo quæ jure tenentur,*
*Defendit quaſdam tutela, aut cura fidelis,*
*Defenſæ quædam neutro ſub jure morantur.*
*Quam ergo perſonam tutela, aut cura tuetur,*
*Inſpicite; hinc capitur, neutro quæ jure tenetur.*
*Tutela at defenſa prius perſona videnda eſt.*

§. I.

Eſt autem tutela (ut Servius deſinivit) vis, ac poteſtas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem ſe defendere nequit, jure civili data, ac permiſſa.

§. *I.*

*Verùm tutela hæc, vis, atque onerosa poteſtas,*
*Libero ineſt capite, ut deſcripſit Servius, illum*
*Ac defendit, erit cui mollis, debilis ætas.*
*Hanc permisère, ac civilia jura dedère.*

§. II.

Tutores autem ſunt, qui eam vim, ac poteſtatem habent, exque ipſa re nomen acceperunt; itaque appellantur tutores, quaſi tuitores, atque defenſores: ſicut æditui dicuntur, qui ædes tuentur.

§. *II.*

*Sunt verò tutores; vis quibus, atque poteſtas*
*Eſt hæc, reque acceperunt ſibi nomen ab ipſa.*
*Ergo tutor idem, tuitorq; hæc nomina ſignant,*
*Dictus ut ædituus, qui ædes, ac tecta tuetur.*

§. III.

Permiſſum eſt itaque parentibus, liberis impuberibus, quos in poteſtate habent, teſtamento tutores dare. Et hoc in filios, filiaſque procedit omnimodo: nepotibus verò, neptibuſque ita demum parentes poſſunt teſtamento tutores dare, ſi poſt mortem eorum in poteſtatem patris ſui non ſunt recaſuri. Itaque ſi filius tuus mortis tuæ tempore in poteſtate tua ſit, nepotes ex eo non poterunt (ex) teſtamento tuo tutores habere, quamvis in poteſtate tua fuerint: ſcilicet quia mortuo te, in poteſtatem patris ſui recaſuri ſunt.

§. *III.*

*Permiſſum Patri teſtanti linquere natis*
*Eſt impuberibus, patrio quos jure coercet,*
*Tutorẽ; at teſtans dare neptibus, atque Nepoti*
*Tutorẽ haud poterit, recidẽt ſi in jura Parẽtis;*
*Ergo tuæ retines natum ſi tempore mortis*
*Jure Patris, tutorem, te teſtante, Nepotes,*
*Neptesq; ex illo nequeunt acquirere, quamvis*
*Jure tuo fuerant aſtricti, ſcilicet ipſi,*
*Te moriente, ſui Patris ſub jure manebunt.*

*Po-*

§. IV.

Cum autem in compluribus aliis cauſis poſthumi pro jam natis habeantur: & in hac cauſa placuit non minus poſthumis, quàm jam natis teſtamento tutores dari poſſe: ſi modò in ea cauſa ſint, ut ſi vivis parentibus naſcerentur, ſui (hæredes) & in poteſtate eorum fierent.

§. *IV.*

*Poſthumus in multis cauſis quia natus habetur,*
*Huic poterit Genitor tutorem linquere teſtãs*
*Non ſecus, ac nato: materno ſi editus alvo*
*Hæres ipſe ſuus fieret, vivente parente.*

§. V.

Sed & ſi emancipato filio tutor à patre datus fuerit teſtamento, confirmandus eſt ex ſententia præſidis omni modo, id eſt, ſine inquiſitione.

§. *V.*

*Sed ſi à Patre datus tutor teſtante ſoluto*
*Jure Patris nato, decreto Præſidis ipſe*
*Firmandus, quamvis nulla inquiſitio fiat.*

## *Qui teſtamento Tutores dari poſſunt*

## TITVLVS XIV.

Dari autem tutor poteſt teſtamento, non ſolùm paterfamilias, ſed etiam filiusfamilias.

*Non ſolùm patrio natos qui jure coercet,*
*Verùm etiam tali vinctus qui jure tenetur*
*Scribere tutorem poterit ſuprema voluntas.*

§. I.

Sed & ſervus proprius teſtamento cum libertate rectè tutor dari poteſt. Sed ſciendum eſt, eum, & ſine libertate tutorem datum, tacitè libertatem directam accepiſſe videri, & per hoc rectè tutorem eſſe. Planè ſi per errorem, quaſi liber, tutor datus ſit, aliud dicendum eſt. Servus autem alienus purè inutiliter teſtamento datur tutor: ſed ita, *cum liber erit*, utiliter datur: proprius autem ſervus inutiliter eo modo tutor datur.

§. *I.*

*Aſt ſervus, libertas cui ſit grata relicta,*
*A Domino poterit tutor teſtante relinqui.*
*Sin data non fuerit libertas, ipſa relicta*
*Cenſetur tacite, tutor ſic ſervus habendus:*
*Si datus errore eſt tutor quaſi liber, haberi*
*Ille nequit. Statuent nequicquã ſigna ſuprema*
*Alterius ſervum purè, ſecus eſſe videtur,*
*Si, cum liber erit, referant: ratione relictus*
*Proprius hac ſervus, tutor non eſſe putatur.*

§. II.

Furioſus, vel minor vigintiquinque annis tutor teſtamento datus, tutor tunc erit, cum compos mentis, aut major vigintiquinque annis fuerit factus.

§. *II.*

*Ultima ſi dederint tutorem ſigna minorem*
*Quinq; & bis denis annis, vel mentis egẽtem,*
*Tutor erit major factus, vel mente recepta.*

§. III.

Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel ſub conditione, vel ante hæredis inſtitutionem poſſe dari tutorem, non dubitatur.

§. *III.*

*Sed datur ad tempus tutor, vel tempore certo,*
*Aut ſub conditione, priuſquam ſcribitur hæres.*

§. IV.

Certæ autem rei, vel cauſæ tutor dari non poteſt: quia perſonæ, non cauſæ, vel rei (tutor) datur.

§. *IV.*

*Nulla rei certæ, aut cauſæ tutela putatur,*
*Nullus enim cauſæ, at perſonæ tutor habetur.*

§. V.

Si quis filiabus ſuis, vel filiis tutores dederit, etiam poſthumæ (vel poſthumo) dediſ-

ſe

§. *V.*

*Sed ſi quis natis tutorem liquerit, omnis.*
*Poſthumus, & quavis tutorem poſthuma habebit,*

*No-*

Digitized by Google

ſe videtur: quia filii, vel filiæ appellatione, & poſthumus, & poſthuma continentur. Quod ſi nepotes ſint, an appellatione filiorum, & ipſis tutores dati ſint? Dicendum eſt, ut & ipſis quoque dati videantur: ſi modò liberos dixerit. Cæterum ſi filios, non continebũtur; aliter enim filii, aliter nepotes appellantur. Planè ſi poſteris dederit: tàm filii poſthumi, quã cæteri liberi continebuntur.

*Nomine Natorum veniat cũ poſthuma Proles.*
*Quæritur an veniant natorum voce Nepotes,*
*An datus hoc ipſis fuerit ſub nomine tutor?*
*Liberi & hi fuerint dicti ſi voce, fatemur,*
*His quoque tutorem à teſtante fuiſſe relictum;*
*Sin dixit natos, expreſſe haud nomine neptes;*
*Namq; aliter dicuntur nati, aliterque Nepotes.*
*Poſteritas ſobolẽ monſtrat quamcumq; futurã.*

## *De legitima Agnatorum Tutela*

## TITVLVS XV.

Quibus autem teſtamento tutor datus non eſt: his ex lege duodecim tabularum adgnati ſunt tutores, qui vocantur legitimi.

*At queis tutorem haud dederat ſuprema voluntas,*
*His erit Adgnatus tutor, qui dicitur eſſe*
*Deſcripta in tabulis duodenis lege vocatus.*

### §. I.

Sunt autem agnati, (cognati) per virilis ſexus cognationem conjuncti, quaſi à patre cognati: veluti frater (ex) eodem patre natus, fratris filius, nepoſve ex eo: itẽ patruus, & patrui filius, nepoſve ex eo. At qui per fœminini ſexus perſonas cognatione junguntur, agnati non ſunt: ſed aliàs naturali jure cognati: itaque amitæ tuæ filius non eſt tibi agnatus, ſed cognatus: & invicem tu illi eodem jure conjungeris: quia qui (ex ea) naſcuntur, patris, non matris familiam ſequuntur.

*§. I.*

*Verùm maſculei ſexus ſunt ſanguine juncti*
*Adgnati, quaſi eàdem ſtirpe, ac Patre creati,*
*Sunt ſicut gemini fratres, fratriſque propago,*
*Atque nepos, fraterq; Patris, vel natus ab ipſo.*
*Qui verò fuerant cognato ſanguine vincti*
*Fœminei ſexus, Cognati jure vocantur;*
*Nõ Amitæ ergo tuæ Adgnati cognomẽ habebit*
*Filius, hunc propriâ Cognatum voce vocabis;*
*Nam quæcunque ſibi proles naſcetur ab ipſa,*
*Hæc non matris habet, verùm cognomina Patris.*

### §. II.

Quod autem (lex duodecim tabularum) ab inteſtato vocat ad tutelam agnatos: non hanc habet ſignificationem, ſi omnino non fecerit teſtamentum is, qui poterat tutores dare: ſed ſi quantum ad tutelam pertinet, inteſtatus deceſſerit: quod tunc quoque accidere intelligitur, cum is, qui datus eſt tutor, vivo teſtatore deceſſerit.

*§. II.*

*Jura quòd Adgnatũ duodenis ſcripta vocarũt*
*Tutorẽ in tabulis, legum non verba notarunt,*
*Supremas tabulas moriens ni condidit ille,*
*Qui dare tutores poterat, ſed ſigna ſuprema*
*Ni dederat, ſperata quibus tutela notatur.*
*Sæpiùs hoc etiam poterit contingere; ſcriptus*
*Cum Tutor vita, vivo teſtante, recedit.*

### §. III.

Sed agnationis quidem jus omnibus modis capitis diminutione plerumque perimitur: nam agnatio juris (civilis) nomen eſt: cognationis verò jus non omnibus modis commutatur: quia civilis ratio civilia quidem jura corrumpere poteſt, naturalia verò non utique.

*§. III.*

*At plerumque omni capite ex ratione minutis*
*Jus perit Adgnati; namque eſt Adgnatio nomen*
*Civilis juris. Non ſic cognatio ceſſat.*
*Rumpere civilis ratio Civilia ſæpè*
*Jura poteſt, nunquam ſed naturalia rumpet.*



Digitized by Google

## *De Capitis diminutione*

## TITVLVS XVI.

EST autem capitis diminutio prioris ſtatus mutatio. Eaque tribus modis accidit. Nam aut maxima eſt capitis diminutio, aut minor (quam quidam mediam vocant) aut minima.

§. I.

Maxima capitis diminutio eſt, cum aliquis ſimul & civitatem, & libertatem amittit; quod accidit in his, qui ſervi pœnæ efficiuntur atrocitate ſententiæ, vel libertis, ut ingratis erga patronos condemnatis: (vel his,) qui ſe ad pretium participandum venundari paſſi ſunt.

§. II.

Minor, ſive media capitis diminutio eſt, cum civitas quidem amittitur, libertas verò retinetur, quod accidit ei, cui aqua, & igni interdictum fuerit: vel ei, qui in Inſulam deportatus eſt.

§. III.

Minima capitis diminutio eſt, cum civitas retinetur, & libertas, ſed ſtatus hominis commutatur: quod accidit in his, qui cum ſui juris fuerint, cœperunt alieno juri ſubjecti eſſe, vel contra: (veluti ſi filiusfamilias à patre emancipatus fuerit, eſt capite diminutus.)

§. IV.

Servus autem manumiſſus, capite non minuitur: quia nullum caput habuit.

§. V.

Quibus autem dignitas magis, quàm ſtatus permutatur: capite non minuuntur: & ideò à Senatu motos capite non minui, conſtat.

§. VI.

Quòd autem dictum eſt, manere cognationis jus, etiam poſt capitis diminutionem: hoc ita eſt, ſi minima capitis diminutio interveniat: manet enim cognatio: nam ſi maxima capitis diminutio interveniat: jus quoque cognationis perit, utputa ſervitute alicujus cognati: & ne quidem ſi manumiſſus fuerit, recipit cognationem. Sed & ſi in Inſulam quis deportatus ſit, cognatio ſolvitur.

Cum

*JAmque ſtatum quiſquis mutaverit, ille minutus*
*Eſt capite; idque poteſt triplici contingere more,*
*Aut minor, aut minima eſt, aut ſumma minutio jure.*

§. *I.*

*Qui libertatem, pariterque amiſerit* Urbem,
*Mutatus fertur ſumma ratione, malignæ*
*Hic ſtatus infelix fortunæ aut accidit illis,*
*Qui pœnæ fiunt ab juſto Judice ſervi,*
*Aut paſſis vendi, pretii ut quid partis haberēt,*
*Libertove, fuit cui mens ingrata Patrono.*

§. *II.*

*Aſt verò capite eſt media ratione minutus,*
*Qui libertatem retinens amiſerit* Urbem:
*Id cōtingit, aqua eſt quibus, interdictus & ignis,*
*Irrigua aut deportatos quos Inſula cingit.*

§. *III.*

*Eſt capitis minima ratione minutio, grata*
*Cum neque libertas, aditus neq; tollitur* Urbis,
*At ſtatus humanus mutatur, ut accidit illis,*
*Omni qui fuerant alieno jure ſoluti,*
*Alteriuſque Patris cœperunt jure teneri,*
*Aut contra; Hinc genitus liber, patriæq; ſolutus*
*Jure poteſtatis, minima eſt ratione minutus.*

§. *IV.*

*Infelix autem relevatus pondere ſervus, (tus.*
*Nā caput haud habuit, nulla eſt ratione minu-*

§. *V.*

*Et quibus optati ſolùm tolluntur honores,*
*Non ſtatus his mutatur, nulla minutio fiet.*

§. *VI.*

*Quod verò dictum, Cognatis Jura manere,*
*Poſtquā ſunt capite ex aliqua ratione minuti,*
*Eſt ita, ſi minima ratione minutio fiat;*
*Nam ſi ſumma ſtatus fiat mutatio, cunctis*
*Accidit ut ſervis, cognati jura peribunt;*
*Et quamvis fuerint ſervilia vincla ſoluta,*
*Attamen adveniet ſervo cognatio nulla.*
*Et deportatum ſi detinet inſula quendam*
*Crimen ob admiſſum, cognatio ſolvitur omnis.*

*Quem*

§. VII.

Cum autem ad agnatos tutela pertineat: non ſimul ad omnes pertinet,ſed ad eos tãtùm,qui proximiores gradu ſunt: vel ſi plures ejuſdem gradus ſunt, ad omnes (pertinet:veluti ſi plures fratres ſunt, qui unum gradum obtinent, pariter ad tutelam vocantur.)

*§. VII.*

*Quem verò conſtat gradibus magis eſſe propinquum,*
*Accipit Adgnatus tutelam,omneſque vocantur*
*Ejuſdemque gradus,unoque à ſtipite nati.*

## *De legitima Patronorum Tutela*

## TITVLVS XVII.

EX eadem lege duodecim tabularum libertorum, & libertarum tutela ad patronos, liberoſque eorum pertinet, quæ & ipſa legitima tutela vocatur: non quia nominatim(in)ea lege de hac tutela caveatur: ſed quia perinde accepta eſt per interpretationem,ac ſi verbis legis introducta eſſet. Eo enim ipſo,quòd hęreditates libertorum, libertarumque,ſi inteſtati deceſſiſſent, juſſerat lex ad patronos,liberoſve eorum pertinere:crediderunt veteres,voluiſſe legem etiam tutelas ad eos pertinere: cum & adgnatos, quos ad hæreditatem (lex) vocat, eoſdem & tutores eſſe juſſerit: quia plerunque ubi ſucceſſionis eſt emolumentum, ibi & tutelæ onus eſſe debet. Ideo autem diximus plerunque: quia ſi à fœmina impubes manumittatur, ipſa ad hæreditatem vocatur,cum alius ſit tutor.

*E Scripta in tabulis duodenis lege Patronus*
*Liberti eſt tutor,vel qui generatus ab illo.*
*Verùm legitima hæc nobis tutela vocatur,*
*Non quoniam expreſſis verbis in lege cavetur*
*De ipſa,ſed quoniã hæc fuerat tutela recepta*
*Non ſecus,ac legis verbis ſi inducta fuiſſet.*
*Quòd lex hæredem Patronum juſſerat ante,*
*Ipſius aut genitum,vita ſi liquerit auras*
*Libertus,moriens dederit nec ſigna ſuprema*
*Ipſe voluntatis, legem voluiſſe putatur*
*Hos quoque tutores; tutorem juſſerat illa,*
*Quem vocat hæredem,adgnatum;namque ille, juvamen*
*Qui capiet,ſentire gravis ſibi pondera debet*
*Tutelæ. Verùm ſolvit ſi triſte ligamen*
*Fœmina,& inde alius tutelæ munera geſſit,*
*Ipſa tamen cuncta ad liberti jura vocatur.*

## *De legitima Parentum Tutela*

## TITVLVS XVIII.

EXemplo patronorum recepta eſt & alia tutela, quæ & ipſa legitima vocatur: nam ſi quis filium, aut filiam, nepotem, aut neptem ex filio, & deinceps impuberes emancipaverit: legitimus eorum tutor erit.

*EXemplo Patroni alia eſt tutela recepta:*
*Dicitur hæc etiam ſacro de jure ſtatuta;*
*Si quis enim genitum, natam, neptemque, nepotem*
*Ex nato, patrio diſſolvat jure puellos,*
*Legitimè ipſorum tutor cenſebitur eſſe.*

## *De Fiduciaria Tutela*

## TITVLVS XIX.

EST & alia tutela, quæ Fiduciaria appellatur: nam ſi pater filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, vel deinceps impuberes manumiſerit: legitimam nanciſcitur eorum tutelam. Quo defuncto, ſi liberi (ejus) virilis ſexus exiſtāt, fiduciarii tutores filiorum ſuorum, vel fratris, vel ſororis, & cęterorum efficiuntur. Atqui patrono legitimo tutore mortuo, liberi quoque ejus legitimi ſunt tutores: quoniam filius quidem defuncti, ſi non eſſet à vivo patre emancipatus, poſt obitum ejus ſui juris efficeretur, nec in fratrum poteſtatem recideret, ideoque nec in tutelam. Libertus autem, ſi ſervus manſiſſet, utique eodem jure apud liberos domini poſt mortem ejus futurus eſſet. Ita tamen hi ad tutelam vocantur, ſi perfectæ ſint ætatis: quod noſtra conſtitutio in omnibus tutelis, & curationibus obſervari generaliter præcepit.

*SUnt aliæ tutelæ, queis fiducia nomen*
*Addit; namque Pater genitum, natamque, nepotem,*
*Ac neptem impubes ſolvat ſi jure parentis,*
*Tutelam ex lege ipſorum nanciſcitur ille:*
*Quo, ſi progenies ſexus, moriente, virilis*
*Exiſtat, Fratris tutrix erit, atque Sororis:*
*Cui ſperata fides dedit, ac fiducia nomen.*
*Legitimus fuerit raptus ſi funere tutor*
*Patronus, proles ipſius jure vocatur*
*Tutrix; defuncti quoniam ni filius eſſet*
*A vivo genitore ſolutus jure Parentis,*
*Ipſius ille ſui fieret poſt funera juris,*
*Non illum fratris conſtringeret ulla poteſtas.*
*Eſſet libertus Domini ſi jure ligatus,*
*Poſt Domini funus, gnati ſub jure maneret.*
*Hi tamen accipient tutelam à lege vocati,*
*Qui fuerint perfectæ ætatis: Sanctio noſtra*
*Quod juſſit curis, tutelisque omnibus eſſe.*

## *De Attiliano Tutore, & eo, qui Lege Iulia, & Titia dabatur*

## TITVLVS XX.

SI cui nullus omnino tutor fuerat: ei dabatur in Urbe quidem à Prętore Urbano, & majore parte Tribunorum plebis tutor ex lege Atilia: in Provinciis verò à Præſidibus Provinciarū ex lege Julia, & Titia.

*SI cui nullus erat tutor datus, Urbe dabatur*
*A Prætore Urbis, rerū cui magna poteſtas,*
*Obſcuræ aut plebis majori parte Tribunum,*
*Ut ſacra lex quondam præcepit Atilia; verùm*
*Præſidis imperio, Titia, & lex Julia juſſit,*
*Conſtitui tutorem aliis in partibus orbis.*

§. I.

Sed & ſi in teſtamento tutor ſub conditione, aut ex die certo datus fuerat: quandiu conditio, aut dies peudebat, ex eiſdem legibus tutor dari poterat. Item ſi purè datus fuerat: quandiu ex teſtamento nemo hæres exiſtebat, tandiu ex eiſdem legibus tutor petendus erat: qui deſinebat eſſe tutor, ſi conditio extiterat, aut dies venerat, aut hæres extiterat.

*§. I.*

*Si verò tutor ſub conditione daretur,*
*Sive die ex certo, tabulis, ſigniſque ſupremis,*
*Donec conditio, atque dies ſuſpenſus adeſſet,*
*Jura relata dari tutorem poſſe jubebant.*
*Si purè ille datus fuerat, quo tempore ſcriptus*
*Non erat ex tabulis hæres, è legibus illis*
*Tutor quærendus, cujus tutela peribat,*
*Conditio, atque dies, vel ſi pervenerat hæres.*

§. II.

Ab hoſtibus quoque tutore capto, ex his legibus tutor petebatur: qui deſinebat eſſe tutor

*§. II.*

*Eſſet ſi tutor diro detentus ab hoſte,*
*Hæc alium pueri tutorem jura petebant,*

*Qui*

tutor,ſi is, qui captus erat, in civitatem reverſus fuerat: nam reverſus recipiebat tutelam jure poſtliminii.

*Qui non tutor erat, ſi qui detentus ab hoſte I enerat ad dulces ædes, patrioſque Penates: Quod i oſtliminii quærebat jure reverſus.*

§. III.

Sed ex his legibus tutores pupillis deſierunt dari, poſteaquam primò conſules pupillis utriuſque ſexus tutores ex inquiſitione dare cœperunt, deinde Prætores ex conſtitutionibus. Nam ſupradictis legibus, neque de cautione à tutoribus exigenda, rem ſalvam pupillis fore: neque de compellendis tutoribus ad tutelæ adminiſtrationem, quidquam cavebatur.

§. *III.*

*Jamque dari tutor pueris ex legibus illis Deſiit, illius poſtquam inquiſitio cœpit Conſulibus fieri, Prætorque deinde juberet Illud ſervari, fuerat quod lege ſtatutum; Nam à Tutore priùs ſalvas fore juribus ipſis Cautio res miſeri pupilli nulla dabatur, Munus & invitus tutelæ nemo gerebat.*

§. IV.

Sed hoc jure utimur, ut Romæ quidem Præfectus Urbi, vel Prætor ſecundùm ſuam Juriſdictionem, in Provinciis autem Præſides ex Inquiſitione tutores crearent, vel Magiſtratus juſſu Præſidum, ſi non ſint magnæ pupilli facultates.

§. *IV.*

*Utimur hoc Jure, ut noſtræ qui præſidet Urbi, Tutores pueri, aut Prætor, Præſesve crearet, Sedula ſi fuerit priùs inquiſitio facta: Sit niſi pupilli multarum copia rerum, Quiſq; magiſtratus daret hos à Præſide juſſus.*

§. V.

Nos autem per conſtitutionem noſtram hujuſmodi difficultates hominum reſecantes: nec expectata juſſione Præſidum, diſpoſuimus, ſi facultates pupilli, vel adulti uſque ad quingentos ſolidos valeant, Defenſores civitatum, unà cum ejuſdem civitatis religioſiſſimo Antiſtite, vel alias publicas perſonas, id eſt, Magiſtratus, vel Juridicum Alexandrinæ civitatis tutores, vel curatores creare: legitima cautela ſecundùm ejuſdem conſtitutionis normam præſtanda, videlicet eorum periculo, qui eam accipiunt.

§. *V.*

*Nos verò legum diſcrimina cuncta ſecantes, Juſſio præſidibus quamvis non afforet ulla, Si ad ſolidos valeant quingentos uſque puelli Res, vel adulti, unà juſto cum Antiſtite, cūctos, Qui rerū moderamen habēt, Urbeſq; gubernāt, Sæpè magiſtratus, Rectorē aut quēlibet Urbis, Tutorem, aut Curatores dare poſſe jubemus; Eſt cautela tamen ſemper præſtanda ſecundùm Hanc juris noſtri normam, cuicunque periclo; Scilicet accipienda ſuo eſt, ut lege ſtatutum.*

§. VI.

Impuberes autem in tutela eſſe naturali juri conveniens eſt, ut is, qui perfectæ ætatis non ſit, alterius tutela regatur.

§. *VI.*

*Eſt verò impubes naturæ jure regendus, Ut puer ætatis rectorem poſſit habere.*

§. VII.

Cum ergo pupillorum, pupillarumque tutores negotia gerant: poſt pubertatem tutelæ judicio rationem reddunt.

§. *VII.*

*Cum bona Tutores pupilli, reſque gubernent, Poſt pubertatem rationem reddere debent.*

## *De Auctoritate Tutorum*

## TITVLVS XXI.

Auctoritas autem tutoris in quibusdā cauſis neceſſaria pupillis eſt, in quibuſ-

*Conſilium, atque interventus tutoris in omni*

*Non*

buſdam non eſt neceſſaria : ut ecce ſi quid dari ſibi ſtipulentur:non eſt neceſſaria tutoris auctoritas: quòd ſi aliis promittant pupilli,neceſſaria eſt tutoris auctoritas.Namque placuit meliorem quidem conditionem licere eis facere etiam ſine tutoris auctoritate:deteriorem verò nō aliter,quàm(cum) tutoris auctoritate . Unde in his cauſis , ex quibus obligationes mutuæ naſcuntur , ut in emptionibus, venditionibus , locationibus, conductionibus,mandatis,depoſitis : ſi tutoris auctoritas non interveniat: ipſi quidem,qui cum his contrahunt,obligantur:at invicem pupilli non obligantur.

*Non petitur cauſa pupilli;namque neceſſe*
*Non eſt, ſi puero ſtipuletur quiſque daturum.*
*Sin puer ipſe aliis promittat, poſcitur, Auctor*
*Tutor ut interſit , pueri qui comprobet actum.*
*Hoc ſine conſilio meliorem reddere ſortem,*
*At non pejorem impubi conceſſa facultas;*
*Hinc eſt,ut quæcunque ligaret cauſa viciſſim,*
*Depoſitum ſicut,conductio,& emptio,Pignus,*
*Venditioque,locatio,tutor ni approbet actus,*
*Cū quibus incautus pupillus contrahit,omnes*
*Obliget, infantem contrà non obliget illis.*

§. I.

Neque tamen hæreditatem adire, neque bonorum poſſeſſionem petere, neque hæreditatem ex fideicommiſſo ſuſcipere aliter poſſunt,niſi tutoris auctoritate (quamvis illis)lucroſa ſit, nec ullum damnum habeant.

§. *I.*

*Nec tamen impubes hæredes eſſe, bonorum*
*Nec poſſeſſores poterunt,ni id cōprobet Auctor,*
*Quamvis accipiant lucrum , nimiumque juvamen.*

§. II.

Tutor autem ſtatim in ipſo negotio præſens debet auctor fieri , ſi hoc pupillo prodeſſe exiſtimaverit , poſt tempus verò , vel per epiſtolam interpoſita auctoritas , nihil agit.

§. *II.*

*Verùm Tutoris præſentia quæritur ipſo*
*Actu,quem puero tutor prodeſſe putarit;*
*Poſt tēpus verò, aut literis nihil efficit Auctor.*

§. III.

Si inter tutorem , pupillumque judicium agendum ſit : quia ipſe tutor in rem ſuam auctor eſſe non poteſt : non Prætorius tutor (ut olim)conſtituitur , ſed curator in locum ejus datur:quo(curatore)interveniente,judicium peragitur:& eo peracto,curator eſſe deſinit.

§. *III.*

*Si lis tutorem inter, pupillumque movetur,*
*Is quoniā in ſimili cauſa nequit Auctor adeſſe,*
*Non datur,ut quondam,tutor Prætorius illi,*
*Sed Curator erit,ceſſat qui,lite peracta.*

## *Quibus modis Tutela finitur*

## TITVLVS XXII.

PUpilli , pupillæque , cum puberes eſſe cœperint,(à)tutela liberantur. Pubertatem autem veteres quidem non ſolum ex annis , ſed etiam ex habitu corporis in maſculis æſtimari volebant. Noſtra autem majeſtas indignum eſſe caſtitate noſtrorum temporum(exiſtimans,)benè putavit : quod in fœminis etiam antiquis impudicum eſſe viſum eſt , id eſt , inſpectionem habitudinis corporis,hoc etiam in maſculos extendere. Et ideò ( noſtra) ſancta conſtitutione promul-

*TUtelæ munus,pupillo pubere facto,*
*Deſinit; at verò voluit longæva vetuſtas,*
*Corporis ex habitu, ſimul & cognoſcier annis*
*In maribus pubertatem;Id non eſſe pudicum*
*Noſtra putans majeſtas , caſto & tempore dignum,*
*Maſculeum ad ſexum hoc etiam protendere juſſit,*
*Quod benè fœmineo in ſexu voluere Priores;*

*No-*

mulgata,pubertatem in maſculis poſt decimumquartum annum completum illico initium accipere diſpoſuimus : antiquitatis normam in fœminis bene poſitam, (in) ſuo ordine relinquentes, ut poſt duodecim annos completos viri potentes eſſe credantur.

*Noſtra decem, quatuorque annos idcireo requirit*
*Sanctio,quò maribus pubertas eſſe putetur;*
*Fœmineo in ſexu veterem ſed linquere normã*
*Hanc placuit nobis, ut poſtquam impleverit annos*
*Bis ſenos,omnis credatur fœmina pubes.*

§. I.

Item finitur tutela,ſi adrogati ſint adhuc impuberes,vel deportati: item ſi in ſervitutem pupillus redigatur, vel (ſi) ab hoſtibus captus fuerit.

§. *I.*

*Adrogat infantem ſi quis: vel crimine turpi*
*Sit deportatus pupillus, redditus idem*
*Vel ſervus, fuerit diro vel captus ab hoſte,*
*Præſidium ceſſat,nullum tutamen habetur.*

§. II.

Sed & ſi uſque ad certam conditionem datus ſit(tutor)teſtamento : æquè evenit,ut deſinat eſſe tutor,exiſtente conditione.

§. *II.*

*Sin verò tutor ſignis,tabuliſque ſupremis*
*Conditionem ad certam ſit datus,evenit æquè,*
*Ut ſi conditio exiſtat, jam deſinat eſſe.*

§. III.

Simili modo finitur tutela morte vel pupillorum,vel tutorum.

§. *III.*

*Mœſtus finis erit tutelæ morte puelli,*
*Aut tutor fuerit triſti ſi funere ademptus.*

§. IV.

Sed & capitis diminutione tutoris, per quam libertas, vel civitas amittitur, omnis tutela perit.Minima autem capitis diminutione tutoris, veluti ſi ſe in adoptionem dederit,legitima tantùm tutela perit, cæteræ non pereunt. Sed pupilli, & pupillæ capitis diminutio licet minima ſit, omnes tutelas tollit.

§. *IV.*

*Sed ſi tutor erit capitis ratione minutus,*
*Per quam libertas,adituſque amittitur Urbis,*
*Tutamen quodcunque perit.Sin traditur ipſe*
*Tutor adoptandus,tantùm tutela peribit*
*Legitima;aſt aliæ remanent.Ratione minutus*
*Sin puer eſt minima,defenſio tollitur omnis.*

§. V.

Præterea, qui ad certum tempus teſtamento dantur tutores, finito eo, deponunt tutelam.

§. *V.*

*Ad certum tempus ſtatuit quos ultima cera*
*Tutores,acto tutelam tempore ponunt.*

§. VI.

Deſinunt etiam tutores eſſe, qui vel removentur à tutela ob id, quod ſuſpecti viſi ſunt:vel qui ex juſta cauſa ſeſe excuſant, & onus adminiſtrandæ tutelæ deponunt, ſecundùm ea,quæ inferiùs proponemus.

§. *VI.*

*Qui tutor viſus ſuſpectus,deſinit eſſe,*
*Qui quoq;ſe excuſat,tutelæ munera linquit,*
*Juxta ea,quę merito nos jure notabimus infra.*

## *De Curatoribus*

## TITVLVS XXIII.

MAſculi (quidem) puberes,& fœminæ viri potentes, uſque ad vigeſimumquintum annum completum curatores accipiunt : quia licet puberes ſint, adhuc tamen ejus ætatis ſunt, ut ſua negotia tueri non poſſint.

*FOemina,maſque vigens primævo flore juventæ,*
*Donec bis denos,& quinque impleverit annos,*
*Accipiet Curatores,bona namque tueri*
*Ætas non poterit florens juvenilibus annis.*

Dan- *Illis*

§. I.

Dantur autem curatores ab eisdem magiſtratibus, à quibus & tutores. Sed curator teſtamento non datur: datus tamen confirmatur decreto Prætoris, vel Præſidis.

*§. I.*

*Illis Judicibus, tutor quibus ante creatus,*
*Curator dabitur. Signis, tabuliſque ſupremis*
*Non datur, at dederant moriētis quem ultima ſigna,*
*Præſidis hunc, aut Prætoris ſententia firmat.*

§. II.

Item inviti adoleſcentes curatores non accipiunt, præterquam in litem: curator enim & ad certam cauſam dari poteſt.

*§. II.*

*Nullus ab invito accipitur Curator adulto,*
*Sed datur invito, ut robur lis poſſit habere;*
*Namq; poteſt certam ad cauſam de jure juberi.*

§. III.

Furioſi quoque, & prodigi licet majores vigintiquinque annis ſint: tamen in curatione ſunt adgnatorum ex lege duodecim tabularum. Sed ſolent Romæ Præfectus Urbi, vel Prætores, & in Provinciis Præſides ex Inquiſitione eis curatores dare.

*§. III.*

*Ex agnatorum numero qui proximus extat,*
*Dandus Curator furioſis, atque profuſis,*
*Quinq; & bis denis quāvis præceſſerit annis*
*Ætas: ſic tabulis duodenis jure ſtatutū eſt. (&*
*Hos dare ſæpè ſolet Prætor, Præfectus & Urbi,*
*Præſes, cum fuerit prius inquiſitio facta.*

§. IV.

Sed & menteeaptis, & ſurdis, & mutis, & qui perpetuo morbo laborant (quia rebus ſuis ſuper eſſe non poſſunt) curatores dandi ſunt.

*§. IV.*

*Curator ſurdis, mutis, ac mentis egenis*
*Dandus, perpetuo morbo pariterque gravatis;*
*Namque ſuis illi rebus ſupereſſe nequibunt.*

§. V.

Interdum autem, & pupilli curatores accipiunt, utputa ſi legitimus tutor non ſit idoneus: quoniam habenti tutorem tutor dari non poteſt. Item ſi teſtamento datus tutor, vel à Prætore, aut Præſide, idoneus non ſit ad adminiſtrationem, nec tamen fraudulenter negotia adminiſtret: ſolet ei curator adjungi. Item loco tutorum, qui non in perpetuum, ſed ad tempus à tutela excuſantur, ſolent curatores dari.

*§. V.*

*Interdum puero accipitur Curator, ineptus*
*Adgnatus fuerit tutor ſi lege vocatus;*
*Namque dari haud poterit tutorem tutor habenti.*
*Sin à teſtatore datus, vel Præſide tutor,*
*Vel Prætore Urbis rebus non aptus agendis,*
*Qui bona pupilli fidus ſine fraude gubernet,*
*Sedulus, ut ſolitum, curator jungitur illi.*
*Sic vice tutoris, tutelæ à munere tutor*
*Si ad tempus ſe excuſarit, Curator habendus.*

§. VI.

Quod ſi tutor adverſa valetudine, vel alia neceſſitate impediatur, quò minus negotia pupilli adminiſtrare poſſit: & pupillus, vel abſit, vel infans ſit: quem velit actorem, periculo ipſius tutoris, Prætor, vel qui Provinciæ præerit, decreto conſtituet.

*§. VI.*

*Si adverſa fuerit tutor valetudine preſſus,*
*Aut alia cauſa detentus, & ipſe miniſter*
*Eſſe nequit rerum, longè pupillus, & abſit,*
*Aut infans degat, Præſes, vel Prætor in Urbe,*
*Quē velit, actorē ſtatuet; verùm ille gubernat*
*Tum bona pupilli tutoris cuncta periclo.*

## *De ſatisdatione Tutorum, vel Curatorum*

## TITVLVS XXIV.

NE tamen pupillorum, pupillarumve, & eorum, qui, quæve in curatione ſunt, negotia à curatoribus, tutoribuſve conſumantur, vel deminuantur: curet Prætor, ut & tutores, & curatores eo nomine ſatisdēt.

*NE bona conſumat tutor, minuatq; puelli,*
*Aut Curator, eo procuret nomine Prætor,*
*Curator, tutorque ſatisdent; tempore at omni*

Sed

*Non*

Sed hoc non eſt perpetuum:nam tutores teſtamento dati ſatisdare non coguntur:quia fides eorum, & diligentia ab ipſo teſtatore approbata eſt: item ex inquiſitione tutores, vel curatores dati, ſatisdatione non onerantur: quia idonei electi ſunt.

*Non hoc ſervandum. Quos ultima ſigna dedère*
*Tutores, vis nulla ſatisdare, nulla poteſtas*
*Cogit; namque fides ipſorum eſt ante probata;*
*At verò, quorum fuit inquiſitio facta,*
*Hi quoniam fuerant habiles, aptique reperti,*
*Idcirco tali relevantur pondere lecti.*

§. I.

Sed ſi ex teſtamento, vel inquiſitione duo, pluresve dati fuerint: poteſt unus offerre ſatisdationē de indemnitate pupilli, vel adoleſcentis, & contutori ſuo, vel concuratori præferri, ut ſolus adminiſtret: vel ut contutor (aut concurator) ſatis offerens præponatur ei, ut & ipſe ſolus adminiſtret. Itaque per ſe non poteſt petere ſatisdationem à contutore ſuo, vel concuratore: ſed offerre debet, ut electionem det concuratori ſuo, vel contutori ſuo, utrum velit ſatis accipere, an ſatis dare. Quod ſi nemo eorum ſatis offerat: ſi quidem adſcriptum fuerit à teſtatore, quis gerat, ille gerere debet. Quod ſi non fuerit adſcriptum: quem major pars elegerit, ipſe gerere debet, ut edicto Prætoris cavetur. Sin autem ipſi tutores diſſenſerint, circa eligendum eum, vel eos, qui gerere debent: Prætor partes ſuas interponere debet. Idem & in pluribus ex inquiſitione datis comprobandum eſt, id eſt, ut major pars eligere poſſit, per quem adminiſtratio fiat.

*§. I.*

*Si duo, vel plures teſtantis voce notati,*
*Aut Prætore dati, quorum inquiſitio facta,*
*Ille, ſatiſdationem ex ipſis qui offeret, unus*
*Præfertur ſocio, ſolus bona, reſque gubernet.*
*Neuter poſcat eam ſocio, tantum offerat illi,*
*Cui dandi ſatis, accipiendive optio danda.*
*Sin verò neuter ſatis offerat, ille miniſtret,*
*Cui bona teſtator præſcripſit cuncta gerenda.*
*Si nullus fuerit ſcriptus, quem elegerit inde*
*Pars major, pueri debet bona cuncta tueri,*
*Prætor ut edicto mandat, juſſuque cavetur.*
*Quod ſi naſcatur ſuper hoc diſcordia, Prætor*
*Ipſe ſuas partes tunc interponere debet.*
*Hoc ſervatur idem in cunctis tutoribus illis,*
*Facta magiſtratu quos inquiſitio juſſit,*
*Scilicet ut major poſſit pars eligere illum,*
*Qui bona pupilli defendat, reſque gubernet.*

§. II.

Sciendum autem eſt, non ſolùm tutores, vel curatores pupillis, vel adultis, cæteriſque perſonis ex adminiſtratione rerum teneri: ſed etiam in eos, qui ſatisdationem accipiunt, ſubſidiariam actionem eſſe, quæ ultimum eis præſidium poſſit afferre. Subſidiaria autem actio in eos datur, qui aut omnino à tutoribus, vel curatoribus ſatisdari non curaverunt, aut non idoneè paſſi ſunt caveri: quæ quidem tam ex prudentum reſponſis, quam ex conſtitutionibus imperialibus, etiam in hæredes eorum extenditur.

*§. II.*

*Non modò pupillis tutor, curator adultis*
*Omnibus ex rebus, quas hi geſſère, tenentur;*
*Actio ſed contra illos ſubſidiaria danda,*
*Qui accepère ſatisdationem: Ferre ſupremum*
*Hac ſolet auxilium. Queis autem ſedula cura*
*Non fuit, ut Tutor, Curatorſve ſatisdent,*
*Actio contra illos quoque ſubſidiaria danda;*
*Aut benè qui paſſi non ſunt, aptèque caveri.*
*Ipſorum contra hæredes Reſponſa Peritùm*
*Hoc etiam extendunt, atque Imperialia jura.*

§. III.

Quibus conſtitutionibus & illud exprimitur, ut niſi caveant tutores, & curatores, pignoribus captis, coerceantur.

*§. III.*

*At niſi Curator voluit, tutorque cavere,*
*Legibus arctantur, precioſo pignore capto.*

§. IV.

Neque autem Præfectus Urbi, neque Prætor, neque Præſes Provinciæ, neque quiſquam alius, cui tutores dandi jus eſt, hac actione tenebitur: ſed hi tantummodo, qui ſatisdationem exigere ſolent.

§. *IV.*

*Jam verò Præſes, Prætor, Præfectus & Urbi,*
*Aut alius quiſquam, dandi cui jure poteſtas*
*Tutores, nunquam tali ratione tenentur,*
*At, de more ſatisdationem qui exigit, unus.*

## *De Excuſationibus Tutorum, vel Curatorum*

## TITVLVS XXV.

Excuſantur autem Tutores, & Curatores variis ex cauſis: plerumque tamen propter liberos, ſive in poteſtate ſint, ſive emancipati. Si enim tres liberos ſuperſtites Romæ quis habeat, vel in Italia quatuor, vel in Provinciis quinque: à tutela, vel cura poteſt excuſari, exemplo cæterorum munerum: nam & tutelam, & curam placuit publicum munus eſſe. Sed adoptivi liberi non proſunt. In adoptionem autem dati, naturali patri proſunt. Item nepotes ex filio proſunt, ut in locum patris ſui ſuccedant: ex filia non proſunt. Filii autem ſuperſtites tantùm ad tutelæ, vel curæ muneris excuſationem proſunt: defuncti autem non proſunt. Sed ſi in bello amiſſi ſunt: quæſitũ eſt, an proſint? Et conſtat eos ſolos prodeſſe, qui in acie amittuntur: hi enim, qui pro republica ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere intelliguntur.

*Ex variis cauſis liber tutamine tutor,*
*Et cura Curator erit. Plerumque creata*
*Excuſat ſoboles, fuerit, ſeu jure ſoluta,*
*Sive ligata Patris; terni ſi namque ſuperſint*
*Romæ, atque Italia quatuor, ſi quinq. ſub oris*
*Sint aliis nati, cura eſt ex jure ſolutus,*
*Tutelaq; Parẽs; nam ad publica munera curã,*
*Tutelamque ſuit nobis revocare voluntas.*
*Natus adoptanti Patri non proderit, ille*
*Sed naturali prodeſt; etiamque nepotes*
*Ex genito proſunt, non proles orta juvabit*
*Ex nata. Vivi tantùm, non lumine caſſi*
*Nati excuſant. In bello ſed funere merſi*
*Quæſitum, an proſint? crudeli marte peremptos*
*Eſt certum prodeſſe; peremnem ducere vitam*
*Illi etenim cuncti præclara ob geſta putantur.*

§. I.

Item Divus Marcus in Semeſtribus reſcripſit, eum, qui res fiſci adminiſtrat, à tutela, vel cura, quandiu adminiſtrat, excuſari poſſe.

§. *I.*

*Preterea Divus Marcus reſcripſerat, illum*
*Tutelæ, & curæ excuſari munere poſſe,*
*Qui bona contrectat fiſcalia, reſque miniſtrat*
*Tempore, quo fuerit geſtor, rerumque miniſter.*

§. II.

Item qui reipublicæ cauſa abſunt, à tutela, vel cura excuſantur. Sed & ſi fuerint tutores, vel curatores (dati,) deinde reipublicæ cauſa abeſſe cœperint: à tutela, vel cura excuſantur, quatenus reipublicæ cauſa abſunt: & interea curator loco eorum datur: qui ſi reverſi fuerint, recipiunt onus tutelæ: nam nec anni habent vacationem, ut Papinianus in libro quinto Reſponſorum ſcripſit: nam hoc ſpatium habent ad novas tutelas vocati.

§. *II.*

*Inſuper abſentes, retinet quos publica cauſa,*
*Tutelæ, Curæque gravantur munere nullo.*
*Sin verò Curator erit, tutorque ſtatutus,*
*Publica & hunc abſentẽ incœpit cauſa tenere,*
*Tutelæ, curæque relinquit munera, donec*
*Hac abſit cauſa, tali ſed tempore dandus*
*Curator; patrias ædes ſin inde petivit,*
*Tutelæ deſumet onus, non unius anni*
*Tempus habet, prudẽs reſponſis ſcripſit ut olim*
*Papinianus, habet ſpatium nam tale vocatus*
*Ad nova tutelæ, vel curæ munera ſolùm.*

Et

*Qui-*

§. III.

Et qui poteſtatem aliquam habent, ſe excuſare poſſunt, ut Divus Marcus reſcripſit: ſed ſuſceptam tutelam deſerere non poſſunt.

*§. III.*

*Quique poteſtatem tenet, hoc ſe munere reddet Immunem, ut Divus Marcus reſcripſerat; ille Non tamen hanc poterit tutelam linquere cœptam.*

§. IV.

Item propter litem, quam cum pupillo, vel adulto tutor, vel curator habet, excuſari non poteſt: niſi fortè de omnibus bonis, vel hæreditate controverſia ſit.

*§. IV.*

*Si cum puberibus Curator, tutor habebit Cum puero litem, ſuſcepta haud munera ponit, De cunctis fuerit ni controverſia rebus.*

§. V.

Item tria onera tutelæ non adfectatæ, vel curæ, præſtant vacationem, quandiu adminiſtrantur: ut tamen plurium pupillorum tutela, vel cura eorundem bonorum, veluti fratrum, pro una computetur.

*§. V.*

*Præterea triplicis tutelæ, aut munera curæ Excuſant, donec tutela, aut cura geratur. Multiplicis verò pupilli, aut puberis, una, Multorū ut fratrum, tutela, aut cura putanda eſt.*

§. VI.

Sed & propter paupertatem excuſationem tribui, tam divi fratres, quàm per ſe Divus Marcus reſcripſit, ſi quis impatem ſe oneri injuncto poſſit docere.

*§. VI.*

*Excuſatur inops rerum, quas poſtulat uſus, Hunc Divi fratres, Divus cognomine Marcus Reſcripsère, parem haud oneri ſe poſſe docere.*

§. VII.

Item propter adverſam valetudinem, propter quam ne ſuis quidem negotiis intereſſe poteſt, excuſatio locum habet.

*§. VII.*

*Nō ſubit hæc onera adverſa valetudine preſſus, Propter quam ipſe ſuis rebus non poſſit adeſſe.*

§. VIII.

Similiter eos, qui literas neſciunt, eſſe excuſandos, Divus Pius reſcripſit: quamvis & imperiti literarum poſſint ad adminiſtrationem negotiorum ſufficere.

*§. VIII.*

*At Pius incultos doctrina, & Palladis arte Excuſat, quamvis poſſint bona, reſque tueri.*

§. IX.

Item ſi propter inimicitias aliquem teſtamento tutorem pater dederit: hoc ipſum præſtat ei excuſationem: ſicuti per contrarium non excuſantur, qui ſe tutelam adminiſtraturos patri pupillorum promiſerant.

*§. IX.*

*Hoſtis, quem ſcripſit Patris ſuprema voluntas Tutorem in tabulis, tutamine liber habendus. Contrà pollicitus, pueros defendere, Patri, Non excuſatur tutelæ, aut munere curæ.*

§. X.

Non eſſe autem admittendam excuſationem ejus, qui hoc ſolo utitur, quòd ignotus patri pupillorum ſit, divi fratres reſciſerunt.

*§. X.*

*Ut Divi fratres ſcripsère, haud ſolvitur ille, Cognitus infantis genitor cui tempore nullo.*

§. XI.

Inimicitiæ, quas quis cum patre pupillorum, vel adultorum exercuit: ſi capitales fuerunt, nec reconciliatio intervenit: à tutela, vel cura ſolent excuſare.

*§. XI.*

*Si funeſta fuit quondam cum Patre ſimultas Puberis, aut pupilli, nec diſcordia ceſſit, Excuſare ſolet tutelæ, ac munere curæ.*

§. XII.

Item is, qui ſtatus controverſiam à pupillorum patre paſſus eſt, excuſatur à tutela.

*§. XII.*

*Inſuper ille, ſtatus cui controverſia mota A Patre pupilli, tutela eſt liber habendus.*

§. XIII.

Item major ſeptuaginta annis à tutela, & cura

*§. XIII.*

*Cui ſenio confecta ætas, & plurima mento* Ca-



Digitized by Google

cura ſe poteſt excuſare: minores autem viginti quinque annis olim quidem excuſabantur: noſtra autem conſtitutione prohibentur ad tutelam, vel curam adſpirare: adeo,ut nec excuſatione opus ſit.Qua conſtitutione cavetur, ut nec pupillus ad legitimam tutelam vocetur,nec adultus: cum ſit incivile, eos, qui alieno auxilio in rebus ſuis adminiſtrandis egere noſcuntur, & ab aliis reguntur,aliorum tutelam,vel curam ſubire.

*Canities,cura,& tutela eſt liber ab omni.*
*Annis at quondam viginti quinque minoris*
*Excuſabantur,noſtra ſed lege vetamus,*
*Hos adſpirare ad tutelæ munera poſſe;*
*Quare omnino illis opus excuſatio nulla,*
*Quin onus ad tale eſt ſacro nec jure vocandus*
*Pupillus,nec adultus,eum nam dedecet,omne*
*Qui petit auxilium cunctis in rebus agendis,*
*Puberis aut curam,pueri aut tutamen adire.*

§. XIV.

Idem & in milite obſervandum eſt,ut nec volens ad tutelæ onus admittatur.

*Hoc ſervatur idem clypeato in milite; namque*
*Ipſe volens nullum tutelæ munus adibit.*

§. XV.

Item Romæ grammatici, rhetores, & medici, & qui in patria ſua has artes exercent,& intra numerum ſunt; à tutela,& cura habent vacationem.

*Grammaticus, medicus, Romana Rhetor in Urbe,*
*Quique ſua in patria ſimiles exerceat artes,*
*Tutela immunis fuerit,curaque vacarit.*

§. XVI.

Qui autem vult ſe excuſare, ſi plures habeat excuſationes, & de quibusdam non probaverit: aliis uti intra tempora (conſtituta)non prohibetur. Qui autem excuſare ſe volunt,non appellant:ſed intra quinquaginta dies continuos, ex quo cognoverint, ſe eſſe tutores, vel curatores datos,ſe excuſare debent, cujuſcunque generis ſint, id eſt, qualitercunque dati fuerint tutores: ſi intra centeſimum lapidem ſunt ab eo loco, ubi tutores dati ſunt. Si verò ultra centeſimum lapidem habitant: dinumeratione facta viginti millium diurnorum, & amplius triginta dierum: qui tamen (ut Scævola dicebat) ſic debent computari, ne minus ſint, quàm quinquaginta dies.

*At qui ſe excuſare velit,cauſaſque probarit*
*Non omnes,retinens plures, permittitur illi*
*Uti aliis intra fines,tempusque ſtatutum.*
*Non verò appellant, qui ſe excuſare requirũt;*
*Intra quinquaginta dies, ſed tempore ab illo,*
*Ex quo tutelæ munus,curæque tributum*
*Eſſe ſibi cognorint, ſe excuſare neceſſe,*
*Sint quicunq;dati, aut quavis ratione vocati,*
*Intra ſi centum lapides hi longius abſint;*
*Sin habitent aliqua magis in regione remota,*
*Quiſque oriens dederit viginti millia Phœbus,*
*Inſuper addendum ſpatium triginta dierum,*
*Attamen ut clarus dicebat Scævola,debet*
*Quiſque minus quinquaginta haud numerare diebus.*

§. XVII.

Datus autem tutor, ad univerſum patrimonium datus eſſe creditur.

*Ad bona cuncta datus tutor cenſebitur eſſe.*

§. XVIII.

Qui tutelam alicujus geſſit,invitus curator ejusdem fieri non compellitur: in tantum, ut licet paterfamilias, qui teſtamento tutorem dedit, adjecerit ſe eundem curatorem dare: tamen invitum eum curam ſuſcipere non cogendum, Divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt.

*Sed qui tutelam geſſit,non cogitur eſſe*
*Curator.Quamvis Patris ſuprema voluntas,*
*Curæ Tutorem tabulis deſcripſit eundem;*
*Attamen haud cogi ſubeunda ad munera curæ,*
*Divi Antoninus ſcripſerunt,atque Severus.*

§. XIX.

Iidem reſcripſerunt, maritum uxori ſuæ curatorem datum excuſare ſe poſſe,licet ſe immiſceat.

*Hi quoque ſcripſerunt,poſſe excuſare maritum*
*Se Curatorem,quamvis ſe immiſceat ipſe.*

§. XX.

Si quis autem falſis allegationibus excuſationem tutelæ meruerit:non eſt liberatus onere tutelæ.

§. *XX.*

*At ſi quis falſis tutelæ munera cauſis Liquit,non onere eſt tutelæ liber habendus.*

## *De ſuſpectis Tutoribus, vel Curatoribus*

## TITVLVS XXVI.

Sciendum eſt, ſuſpecti crimen ex lege duodecim tabularum deſcendere.

*Tutoris crimen ſuſpecti eſt lege ſtatutum.*

§. I.

Datum eſt autem jus removendi tutores ſuſpectos Romæ Prætori, & in Provinciis Præſidibus earum,& legato Proconſulis.

§. *I.*

*Eſt data Prætori Romæ removere poteſtas Suſpectos,aliis noſtri ſed partibus orbis Hoc jus præſidibus,legato & conſulis extat.*

§. II.

Oſtendimus, qui poſſint de ſuſpecto cognoſcere: nunc videamus, qui ſuſpecti fieri poſſint. Et poſſunt quidem omnes tutores fieri ſuſpecti,ſive ſint teſtamentarii,ſive non ſint: ſed alterius generis tutores. Quare & ſi legitimus fuerit tutor, accuſari poterit. Quid ſi patronus? Adhuc idem erit dicendum: dummodo meminerimus famæ patroni parcendum eſſe, licet ut ſuſpectus remotus fuerit.

§. *II.*

*Qui poſſint de ſuſpecto cognoſcere viſum eſt, Nunc qui ſuſpecti poſſint fieri videamus. Suſpectus poterit Tutor quicunque putari, Legitimuſque etiam deformi hac labe notatur. Crimine & arguitur ſuſpecti jure Patronus, Dummodo parcatur famæ,licet inde remotus.*

§. III.

Conſequens eſt,ut videamus, qui poſſunt ſuſpectos poſtulare. Et ſciendum eſt, quaſi publicam eſſe hanc accuſationem, hoc eſt, omnibus patere. Quinimo & mulieres admittuntur(ex reſcripto Divorum Severi, & Antonini:)ſed eæ ſolæ, quæ pietatis neceſſitudine ductæ, ad hoc procedunt: utputa mater,nutrix quoq; & avia; poteſt & ſoror; ſed & ſi qua alia mulier fuerit, quam Prætor propeſam pietati intellexerit, ſexus verecundiã non egredientem,ſed pietate productam non ſuſtinere injuriam pupillorum: admittet eam ad accuſationem.

§. *III.*

*Hinc videamus,ſuſpectos qui poſtulet ipſos. Accuſare poteſt ſuſpectos quilibet: iſta Publica cum fuerit, patet accuſatio cunctis; Quin reſcripto Antonini,Divique Severi, Fœmina procedit cognato ſanguine vincta, Qualis mater erit,nutrix,Avia,atq; ſorores, Sed ſi qua fuerit mulier, quam neverit eſſe Ipſe piam Prætor,damnum & tolerare puelli Non poſſe,hac poterit tutorẽ arceſſere fraudis.*

§. IV.

Impuberes non poſſunt tutores ſuos ſuſpectos poſtulare: puberes autem curatores ſuos ex conſilio neceſſariorum ſuſpectos poſſunt arguere; & ita Divi Severus,& Antoninus reſcripſerunt.

§. *IV.*

*Hac maculare nequit tutorem labe puellus; Sed Curatorem potis eſt arceſſere adultus Conſilio,Antoninus ait,Divuſque Severus.*

§. V.

Suſpectus autem eſt,qui non ex fide tutelam gerit, licet ſolvendo ſit, ut Julianus quoque reſcripſit. Sed & ante, quàm incipiat

§. *V.*

*Qui verò haud fida tutelam mente repoſcit, Quamvis ſolvendo fuerit,ſuſpectus habendus,* Ut

piat tutelam gerere tutor, poſſe enim quaſi ſuſpectum removeri: idem Julianus ſcripſit, & ſecundum eum conſtitutum eſt.

*Ut Juriſcõſultus ait;nihil ille miniſtret,* Iulian. *Principioque ut ſuſpectus removendus in ipſo.*

§. VI.

Suſpectus autem remotus, ſi quidem ob dolum, famoſus eſt, ſi ob culpam, non æquè.

*Ille dolo ſolùm fuerit quicunque remotus, Non culpa ſuſpectus, erit famoſus habendus.*

§. VII.

Si quis autem ſuſpectus poſtulatur: quoad cognitio finiatur: interdicitur ei adminiſtratio, ut Papiniano viſum eſt.

*Arguitur ſi quis ſuſpectus, cognita cauſa Judice donec erit, pueri bona nulla gubernet, Claro ut Papiniano viſum eſt, atque probatum.*

§. VIII.

Sed ſi ſuſpecti cognitio ſuſcepta fuerit, poſteaquam tutor, vel curator deceſſerit, extinguitur ſuſpecti cognitio.

*Si verò fuerit ſuſpecti notio cœpta, Curator, ſuperis, tutorve ut ceſſit ab oris, Cognitio cauſæ ſuſpecti extinguitur omnis.*

§. IX.

Si quis tutor copiam ſui non faciat, ut alimenta pupillo decernantur, cavetur epiſtola Divorum Severi, & Antonini, ut in poſſeſſionem bonorum ejus pupillus mittatur; & quæ mora deteriora futura ſunt, dato curatore diſtrahi jubentur. Ergo ut ſuſpectus removeri poterit, qui non præſtat alimenta.

*Si verò tutor latitet, ne alimenta puello Decernantur, erit rerum poſſeſſio danda Pupillo, ut literis ſtatuit Divusque Severus, Atque Antoninus. Sunt & quæcunque futura Deteriora mora, avelli, vendique jubentur, Curatore dato. Tutor removebitur ergo Ille ut ſuſpectus, puero qui alimenta negabit.*

§. X.

Sed ſi quis præſens negat propter inopiam alimenta poſſe decerni: ſi hoc per mendacium dicat: remittendum eum eſſe ad Præfectum Urbi puniendum, placuit: ſicut ille remittitur, qui data pecunia miniſterium tutelæ acquiſierit, vel redemerit.

*Sin quis nutrimen decerni poſſe negarit Propter pauperiem, vanæ mendacia linguæ Dicens, ut placuit, Præfecto traditur Urbi, Ut ſolvat pœnas, debet velut ille remitti, Tutelam petiit qui nummis, ſive redemit.*

§. XI.

Libertus quoque ſi fraudulenter tutelam filiorum, vel nepotum patroni geſſiſſe probetur, ad Præfectum Urbi remittitur puniendus.

*Si quoque libertus fallax geſſiſſe probetur Nati Tutelam Patroni, ſive Nepotis, Ut meritas ſubeat, dignas & crimine pœnas, Eſt mittendus ei, toti qui præſidet Urbi.*

§. XII.

Noviſſimè autem ſciendum eſt, eos, qui fraudulenter tutelam adminiſtrant, etiam ſi ſatis offerant, removendos eſſe à tutela: quia ſatisdatio tutoris propoſitum malevolum non mutat, ſed diutius graſſandi in re familiari facultatem preſtat. Suſpectum etiam eum putamus, qui moribus talis eſt, ut ſuſpectus ſit. Enimverò tutor, vel curator, quamvis pauper eſt, fidelis tamen, & diligens removendus non eſt, quaſi ſuſpectus.

*Aſt à tutela removeri denique debet, Qui bona pupilli ſcelerata fraude gubernat, Atque dolis variis, quamvis ſatis offerat aptè; Quando ſatisdatio tutorẽ haud mutat iniquũ; Graſſandi at potius præſtatur prõpta facultas. Eſt quoq; ſuſpectus, cui ſunt ſua crimina mores; Hinc tutor quamvis pauper, tamen ipſe fidelis Non quaſi ſuſpectus removeri à munere debet.*

FINIS LIBRI PRIMI.

IN-

# INSTITUTIONUM,

SEU

# ELEMENTORUM DIVI JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS.

*Liber Secundus.*

## A JOANNE BAPTISTA PISACANE

*V. I. Doctore, ac Regio Auditore Caſtri Novi Neap.*

IN CARMINA REDACTUS.

### *De rerum diviſione, & acquirendo ipſarum Dominio*

### TITVLVS PRIMVS.

SUperiore libro de jure perſonarum expoſuimus: modò videamus de rebus, quæ vel in noſtro patrimonio, vel extra patrimonium noſtrum habentur. Quædam enim naturali jure communia ſunt omnium, quædam publica, quædam univerſitatis, quædam nullius, pleraque ſingulorum, quæ ex variis cauſis cuique adquiruntur, ſicut ex ſubjectis apparebit.

Et

*VIdimus in primo perſonæ jura libello,*
*Et modò de cũctis nobis eſt rebus agẽdũ,*
*Quæ noſtræ, aut extra patrimonia noſtra putãtur;*
*Naturali etenim cunctis cõmunia jure*
*Sunt quædã, quædam dicuntur publica, multa*
*Et retinent cives generatim, multaq; nullus*
*Civis habet, rerum eſt aliarũ quiſque potitus,*
*Quas variis poterit quiſquã ſibi quærere cauſis,*
*Rebus ut aſpiciet ſubjectis quilibet infra.*

*Sunt*

§. I.

Et quidem naturali jure communia ſunt omnium hæc: aer, aqua profluens, & mare, & per hoc litora maris. Nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur, dum tamen à villis, & monumentis, & ædificiis abſtineat: quia non ſunt juris gentium, ſicut eſt mare.

§. II.

Flumina autem omnia, & portus, publica ſunt, ideoque jus piſcandi omnibus commune eſt in portu, fluminibuſque.

§. III.

Eſt autem litus maris, quatenus hybernus fluctus maximus excurrit.

§. IV.

Riparum quoque uſus publicus eſt jure gentium, ſicut ipſius fluminis; itaque naves ad eas appellere, funes arboribus ibi natis religare, onus aliquod in his reponere, cuilibet liberum eſt, ſicuti per ipſum flumen navigare: ſed proprietas earum illorum eſt, quorum prędiis hærent, qua de cauſa arbores quoque in iiſdem natæ, eorundem ſunt.

§. V.

Litorum quoque uſus publicus eſt, & juris gentium, ſicut & ipſius maris, & ob id cuilibet liberum eſt caſam ibi ponere, in quam ſe recipiat: ſicut retia ſiccare, & ex mari deducere. Proprietas autem eorum poteſt intelligi nullius eſſe, ſed ejuſdem juris eſſe, cujus & mare: & quæ ſubjacet mari, terra, vel arena.

§. VI.

Univerſitatis ſunt, non ſingulorum, quæ in civitatibus ſunt theatra, ſtadia, & ſi qua alia ſunt communia civitatum.

§. VII.

Nullius autem ſunt res ſacræ, & religioſæ, & ſanctæ, quod enim divini juris eſt, id nullius in bonis eſt.

§. VIII.

Sacræ res ſunt, quæ ritè per Pontifices Deo conſecratæ ſunt: veluti ædes ſacræ, & donaria, quæ rite ad miniſterium Dei dedicata ſunt: quæ etiam per noſtram conſtitutionem alienari, & obligari prohibuimus: excepta cauſa redemptionis captivorum. Si quis autem auctoritate ſua quaſi ſacrum ſibi conſtituerit, ſacrum non eſt, ſed profanum. Locus autem, in quo ædes ſacræ ſunt ædificatæ, etiam diruto ædificio, ſacer adhuc manet, ut & Papinianus ſcripſit.

§. *I.*

*Sunt naturali cunctis communia jure*  
*Aer, atque imber, vaſtum mare, Litora ponti.*  
*Ad maris hinc omnes poſſunt accedere litus,*  
*Dum tamẽ à villis, monumẽtis, ædibus abſint,*  
*Quæ non ſunt juris gentis velut æquoris unda.*

§. *II.*

*Publicus eſt portus, ſunt publica flumina cũcta,*  
*In quibus eſt nobis piſcandi jure facultas.*

§. *III.*

*Sed maris eſt litus, cõmotus quatenus Auſtris*  
*Flantibus hyberno pervènit tempore fluctus.*

§. *IV.*

*Eſt quoque communi Riparum publicus uſus*  
*Jure, velut fluvii, licet ergo appellere naves*  
*Illùc, arboribuſque graves religare rudentes,*  
*Aut aliquod ripis immane reponere pondus,*  
*Ut licet in fluvio remis impellere puppes.*  
*Proprietas verò eſt ejus, qui poſſidet agros*  
*Non procùl. Hinc etiã virgulta margine nata*  
*Dicimus illius, qui proxima poſſidet arva.*

§. *V.*

*Publicus eſt etiam ſinuoſi Litoris uſus*  
*Ut maris, atq; ideo licitũ eſt ibi ponere parvas*  
*Cuiq; caſas, audax habitet quas navita, caſſes*  
*Exſiccare, & eas refluis abducere ab undis.*  
*Proprietas autem eſt oræ nullius habenda,*  
*Ejuſdem & juris, cujus latum aequor habetur,*  
*Tellus, vel madidum ſabulum, quod ſubjacet alto.*

§. *VI.*

*Sed bona ſunt Urbi toti communia, Cives*  
*Quæ retinent omnes, veluti ſtadia, atque Theatra.*

§. *VII.*

*Sunt res nullius ſacræ, ſanctæ, atque ſepulcra,*  
*Nam quod nullius Juris, nullius habendum.*

§. *VIII.*

*Quæ per Pontifices de more dicata Tonanti,*  
*Sunt ſacra, ut tẽpla, & donaria, quę prohibẽtur*  
*Vendi, ſervorum ni grata redemptio cogat.*  
*Si quis forte ſuo quaſi ſacrum jure reſumat,*  
*Amplius haud ſacrum remanet, fietq; profanũ.*  
*Eſt ſacer ille locus, fuerant ubi condita templa,*  
*Papinianus ait, quamvis ſit diruta ſedes.*

§. IX.

Religioſum locum unuſquiſque ſua voluntate facit, dum mortuum infert in locum ſuum. [ In communem autem locum purum invito ſocio inferre non licet, ] in commune verò ſepulchrum etiam invitis cæteris licet inferre. [ Item ſi alienus uſusfructus eſt, proprietarium placet, niſi conſentiente uſufructuario, locum religioſum non facere. ] In alienum locum conſentiente domino licet inferre: & licet poſtea ratum [ non ] habuerit, quam illatus eſt mortuus, tamen locus religioſus fit.

§. IX.

*Relligioſa facit loca cujuscumque voluntas,*
*Ad ſua quis loca dũ trãsfert informe cadaver.*
*Non licet, invito ſocio, in communia pura*
*Inferre, at ſocio invito, ad commune ſepulcrum*
*Ferre licet corpus, vitæ cui lumen ademptũ.*
*Non poterit Dominus proprio ſepelire cadaver*
*In fundo, Dominus fructus ſi diſcrepet alter.*
*Defunctũ at licet alterius traducere in agrũ,*
*Si ſemel hæc Domino fundi ſit certa voluntas;*
*Et quamvis poſtquã eſt illatus mortuus illùc,*
*Non rata, ſed fuerit Domino mutata volũtas,*
*Attamen ille locus ſit Relligione verendus.*

§. X.

Sanctæ quoque res veluti muri, & portæ [ civitatis, ] quodammodo divini juris ſunt: & ideo nullius in bonis ſunt. Ideo autem muros ſanctos dicimus, quia pœna capitis conſtituta eſt in eos, qui aliquid in muros deliquerint. Ideo & legum eas partes, quibus pœnas conſtituimus adverſus eos, qui contra leges fecerint, ſanctiones vocamus.

§. X.

*Sancta etiã, veluti portæ, munimina & Urbis*
*Mœnia, Divini quadam ratione videntur*
*Juris, & in rebus debent nullius haberi.*
*At verò idcircò nos mœnia ſancta vocamus,*
*Quòd capitis pœna eſt in eos à jure ſtatuta,*
*Qui in muros aliquid delinquent. Sãctio dicta*
*Hinc lex, frangenti leges qua pœna jubetur.*

§. XI.

Singulorum autem hominum multis modis res fiunt; quarundam enim rerum dominium nanciſcimur jure naturali, quod (ſicut diximus) appellatur jus gentium: quarundam [ verò ] jure civili. Commodius eſt itaque à vetuſtiore jure incipere. Palam eſt autem vetuſtius eſſe jus naturale, quod cum ipſo genere humano rerum natura prodidit, civilia autem jura tunc eſſe cœperunt, cum & civitates condi, & magiſtratus creari, & leges ſcribi cœperunt.

§. XI.

*Quiſque autem rerum varia ratione potitur;*
*Jure etenim naturali, quod diximus ante*
*Gentis, quarũdam Domini nos reddimur, atq;*
*Quarundam rerum civili jure potimur.*
*Eſt igitur nobis primùm de jure vetuſto*
*Dicere commodius; natura eſt namq; profectũ,*
*Cum genus humanum rerum natura creavit;*
*Jus verò populi exortum, cum mœnia ducta,*
*Atque magiſtratus ſcripti, Regeſque creati.*

§. XII.

Feræ igitur beſtiæ, & volucres, & piſces, & [ omnia ] animalia, quæ Mari, Cælo, & Terra naſcuntur: ſimul atque ab aliquo capta fuerint, jure gentium ſtatim illius eſſe incipiunt; quod enim ante nullius eſt, id naturali ratione occupanti conceditur, nec intereſt, feras beſtias, & volucres utrum in ſuo fundo quis capiat, an in alieno. Plane, qui alienum fundum ingreditur venandi, aut aucupandi gratia: poteſt à domino, ſi is præviderit, prohiberi, ne ingrediatur. Quicquid autem eorum ceperis, eo uſque tuum eſſe, intelligitur, donec tua cuſtodia coercetur. Cum verò tuam evaſerit cuſtodiam, & in libertatem naturalem ſeſe recepe-

§. XII.

*Ergo feræ, volucres, piſces, animalia cuncta,*
*Quæ in Cælo, in Terra, liquidis naſcuntur in undis,*
*Ut primùm vigili fuerint indagine capta,*
*Naturæ incipiunt venantis legibus eſſe;*
*Nam quæ nullius, capienti jure dabuntur*
*Naturæ. Nullum debet diſcrimen haberi*
*Utrum quis proprio fundo, volucresq; ferasq;*
*Captet, an alterius. Planè qui captus amore*
*Venandi, fundum ingreditur, ſylvasq; pererrat,*
*Alterius, fundi Dominus ſi prævidat, ipſe*
*Jam prohibere poteſt, venãs ne ſe inferat illic.*
*Sed quamcunque feram venando ceperis illic,*
*Eſſe tuam ſcito, donec cuſtodia ſervat*
*Hanc tua. Sin fugiens avis, aut fera vincula rumpat,*

F At-

ceperit: tuum eſſe deſinit, & rurſus occupantis fit. Naturalem autem libertatem recipere intelligitur, cum vel oculos tuos effugerit, vel ita ſit in conſpectu tuo, ut difficilis ſit ejus perſequutio.

*Atque ſuam ad libertatem ſe duxerit, illa*
*Deſinit eſſe tua, & rurſus capientis habēda eſt.*
*Libertas autem naturæ acquiritur illi,*
*Sive tuos oculos fugiens è carcere vadat,*
*Sive licet videas, fuerit tamen ardua captu.*

§. XIII.

Illud quæſitum eſt, an ſi fera beſtia ita vulnerata ſit, ut capi poſſit, ſtatim tua eſſe intelligatur? [ Et ] quibusdam placuit, ſtatim eſſe tuam: & eouſque tuam videri, donec eam perſequaris, quòd ſi deſieris perſequi: deſinere eſſe tuam, & rurſus fieri occupantis. Alii verò putaverunt, non aliter tuam eſſe, quàm ſi eam cæperis. Sed poſteriorem ſententiam nos confirmamus, quòd multa accidere ſoleant, ut eam non capias.

§. *XIII.*

*Illud quæſitum eſt an ſi fera vulnere læſa,*
*Poſſit ut ipſa capi, ferientis protinus eſſe*
*Sit cenſenda? ſtatim, placuit plerisq; putandā*
*Illius eſſe feram, donec ſectabitur ipſam.*
*Quod ſi deſierit ſectari, deſinit eſſe*
*Percutientis eam, & rurſus capientis habetur.*
*Aſt alii ferientis tunc ſolùm eſſe putarunt,*
*Vulnere eum lædens fugientem cæperit. Atqui*
*Poſterior nobis remanet ſententia firma,*
*Cum fera ſæpe capi nequeat confoſſa ſagittis.*

§. XIV.

Apium quoque fera natura eſt. Itaque [ apes, ] quæ in arbore tua conſederint, antequam à te alueo includantur, non magis tuæ intelliguntur eſſe, quàm volucres; quæ in arbore tua nidum fecerint, ideoque ſi alius eas incluſerit: is earum dominus erit. Favos quoque, ſi quos effecerint, eximere quilibet poteſt. Plane integra re, ſi prævideris ingredientem fundum tuum, poteris eum jure prohibere, ne ingrediatur. Examen quoque, quod ex alueo tuo evolaverit, eouſque intelligitur eſſe tuum, donec in conſpectu tuo eſt, nec difficilis perſequutio ejus eſt, alioquin occupantis fit.

§. *XIV.*

*Eſt fera mellificantis apis natura putanda;*
*Ergo tua agmen apū ſiſtit quod in arbore, nullo*
*Jure tuum fiet, proprio ni incluſeris alueo,*
*Ut tua non volucris, quæ fecit in arbore nidū,*
*Idcirco fiet Dominus, qui incluſerit illud.*
*Si quoque mella thymo fecit flagrantia, jure*
*Sumere quisque poteſt. Sed ſi prævideris, ipſe*
*Jure tuum prohibere potes, ne accedat in agrū.*
*Sin ſublime volans ſua cerea caſtra reliquit*
*Agmen apū, proprius donec tua lumina cernūt,*
*Ardua nec nimium fuerit captura, feretur*
*Eſſe tuum, capiens alioquin illud habebit.*

§. XV.

Pavonum quoque, & Columbarum fera natura eſt, nec ad rem pertinet, quòd ex conſuetudine evolare, & revolare ſolent; nam & apes idem faciunt, quarum conſtat feram eſſe naturam. Cervos quoque quidam ita manſuetos habent, ut in Sylvam ire, & redire ſoleant: quorum & ipſorum feram eſſe naturam, nemo negat. In iis autem animalibus, quæ ex conſuetudine abire, & redire ſolent, talis regula comprobata eſt: ut eouſque tua eſſe intelligantur, donec animum revertendi habeant, nam ſi revertendi animum habere deſierint: etiam tua eſſe deſinunt, & fiunt occupantium. Revertendi autem animum videntur deſinere habere tunc, cum revertendi conſuetudinem deſeruerint.

§. *XV.*

*Eſt fera verſicolor Pavo, cui ſidera cauda*
*Fulgent, ac volucris Veneri dilecta columba,*
*Hæ quāvis iterū, atq; iteru de more volarint,*
*Ut fera dicuntur, volitāt quæ examina āpis.*
*Sunt quoq; manſueti Cervi, qui ire, atq; redire*
*In Silvam ſoleant, quamvis hos eſſe ferarum*
*Nemo negat naturæ. Hæc verò norma probata eſt*
*Omnibus in brutis, ſolitum queis more redire,*
*Ut tua ſint, donec redeundi permanet uſus;*
*Namque revertendi ſi animus deſiverit illis,*
*Non tua ſunt, fiunt illius, qui occupat ipſa.*
*Tunc verò redeundi animū poſuiſſe videntur,*
*Cū obſervata prius veſtigia cūcta relinquunt.*

§. XVI.

Gallinarum autem, & anſerum non eſt. fera

§. *XVI.*

*Nec fera Gallina eſt naturà, & garrulus Anſer,* Ro-

fera natura, Idque ex eo poſſumus intelligere, quòd aliæ ſunt gallinæ, quas feras vocamus: item alii ſunt anſeres, quos feros appellamus. Ideoque ſi anſeres tui, aut gallinæ tuæ, aliquo modo turbati, turbatæve evolaverint: licet conſpectum tuum effugerint, quocumque tamen loco ſint, tui, tuæve eſſe intelliguntur: & qui lucrandi animo ea animalia detinet, furtum committere intelligitur.

*Romanæ quondam ſervator candidus arcis;*
*Namque feras alias gallinas dicimus, anſer*
*Efferus eſt alius. Si ergo fidiſſima cuſtos*
*Pullorum gallina tuis evaſerit hortis,*
*Turbatuſque anſer quadam ratione volarit,*
*Effugiantque tuum aſpectũ, nec videris uſquã,*
*In quæcunque loco fuerint, ac ſede morentur,*
*Dicimus eſſe tuos, verum & committere furtũ,*
*Qui cauſa Lucrandi animalia detinet iſta.*

§. XVII.

Item ea, quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt; adeo quidem, ut & liberi homines in ſervitutem noſtram deducantur; qui tamen, ſi evaſerint noſtram poteſtatem, & ad ſuos reverſi fuerint: priſtinum ſtatum recipiunt.

§. *XVII.*

*Noſtra ſtatim fiunt rurſus de jure vetuſto,*
*Quæ capimus bello, devictis hoſtibus, ipſe*
*Vt quoq; liber homo ſit noſtra ad jura redactus,*
*Si captus fuerit: Patriç quẽ ad tecta reverſum*
*Amplius haud retinet Dominorũ noſtra poteſtas,*
*Ille ſtatum accipiet primum, ſua priſtina jura.*

§. XVIII.

Item lapilli, & gemmæ, & cætera, quæ in litore maris inveniuntur, jure naturali ſtatim inventoris fiunt.

§. *XVIII.*

*Qui nitidas gẽmas, adamantes, atque lapillos*
*Aut ſimile inveniat ſinuoſo in littore ponti,*
*Protinus acquiret naturç jure repertor.*

§. XIX.

Item ea, quæ ex animalibus dominio tuo ſubjectis nata ſunt, eodem jure tibi adquiruntur.

§. *XIX.*

*Quod tibi ſubjectis fuit ex animalibus ortum,*
*Jure tua naturali in ditione tenebis.*

§. XX.

Præterea, quod per alluvionem agro tuo flumen adjecit, jure gentium tibi adquiritur. Eſt autem alluvio incrementum latens. Per alluvionem autem id videtur adiici, quod ita paulatim adiicitur, vt intelligi non poſſit, quantum quoque temporis momento adiiciatur.

§. *XX.*

*Fluminis Alluvio quidquid conjunxerit agris*
*Improviſa tuis, communi ex jure fatendum*
*Eſſe tuum. Alluvio Latitans acceſſio fertur,*
*Cum nequeat, quãtum paulatim jungitur illa,*
*Temporis inſtabilis ſpatio quocunque videri.*

§. XXI.

Quod ſi vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit, & vicini prædio attulerit: palam eſt, eam tuam permanere. Plane ſi longiore tempore fundo vicini tui hæſerit, arboreſque, quas ſecum traxit, in eum fundum radices egerint: ex eo tempore videntur vicini fundo acquiſitæ eſſe.

§. *XXI.*

*Si verò rapidum flumen detraxerit agro*
*Partem aliquam, tuleritque propinqui ad prçdia, conſtat,*
*Hanc remanere tuam. Longo ſin tẽpore inhæſit*
*Vicini fundo, ac terram complectitur arbos*
*Fibris, quam ſecum traxit vi flumen inundãs,*
*Finitimi fundo acquiſita eſt tempore ab illo.*

§. XXII.

Inſula, quæ in mari nata eſt, (quod rarò accidit) occupantis fit, nullius enim eſſe creditur. At inſula in flumine nata (quod frequenter accidit) ſi quidem mediam partem fluminis tenet; communis eſt eorum, qui ab utraque parte fluminis prope ripam prædia poſſident, pro modo [ſcilicet] latitudinis cujuſque fundi, quæ prope ripam ſit. Quod ſi alteri parti proximior ſit: eorum eſt tantùm, qui ab ea parte prope ripam

§. *XXII.*

*Inſula, quæ medio ſpectatur in æquore nata (*
*Quod rarò evenit) nullius creditur eſſe,*
*Idcircò capientis erit. Sed flumine nata*
*In medio (fluvii quod ſæpè obtingit in undis)*
*Illorum communis erit, qui in fluminis oris*
*Roſcida rura tenẽt, quãtũ ſe extendat agellus,*
*Qui propè ſit ripam; ſin pars magis una propinqua eſt*
*Alteri, & ipſius fuerit, qui proximus arvis.*

 Si

pam prædia poſſident. Quod ſi aliqua parre diviſum ſit flumen, deinde infra unitum, agrum alicujus in formam inſulæ redegerit; ejusdem permanet is ager, cujus & fuerat.

§. XXIII.

Quod ſi naturali alveo in univerſum derelicto, ad aliam partem fluere cœperit: prior quidem alveus eorum eſt, qui prope ripam ejus prædia poſſident: pro modo ſcilicet latitudinis cujusque agri, quæ prope ripam ſit: novus autem alveus ejus juris eſſe incipit, cujus & ipſum flumen eſt, id eſt publicus. Quod ſi poſt aliquod tempus ad priorem alveum reverſum fuerit flumen: rurſus novus alveus eorum eſſe incipit, qui prope ripam ejus prædia poſſident.

§. XXIV.

Alia ſanè cauſa eſt, ſi cujus totus ager inundatus fuerit, neque enim inundatio fundi ſpeciem commutat, & ob id, ſi receſſerit aqua; palam eſt cum fundum ejus manere, cujus & fuit.

§. XXV.

Cum ex aliena materia ſpecies aliqua facta ſit ab aliquo: quæri ſolet, quis eorum naturali ratione dominus ſit, utrum is, qui fecerit, an potius ille, qui materiæ dominus fuerit? ut ecce, ſi quis ex alienis uvis, aut olivis, aut ſpicis, vinum, aut oleum, aut frumentum fecerit; aut ex alieno auro, vel argento, vel ære vas aliquod fecerit: vel ex alieno vino, & melle mulſum miſcuerit: vel ex medicamentis alienis emplaſtrum, aut collyrium compoſuerit; vel ex aliena lana veſtimentum fecerit: vel ex alienis tabulis navem, vel armarium, vel ſubſellia fabricaverit, & poſt multam Sabinianorum, & Proculianorum ambiguitatem, placuit media ſententia exiſtimantium, ſi ea ſpecies ad priorem, & rudem materiam reduci poſſit: eum videri dominum eſſe, qui materiæ Dominus fuerit: ſi non poſſe reduci: eum potius intelligi dominum, qui fecerit: ut ecce, vas conflatum poteſt ad rudem materiam æris, vel argenti, vel auri reduci: vinum autem, vel oleum, aut frumentum ad uvas, vel olivas, vel ſpicas reverti non poteſt, at ne mulſum quidem ad vinum, & mel reſolvi poteſt. Quod ſi partim ex ſua materia, partim ex aliena ſpeciem aliquam fe-

*Si verò qua parte vagus diſpeſcitur amnis,*
*Inde ſuis conjunctus aquis incluſerit agrum,*
*Eſt ager illius, Dominus qui proprius ante.*

§. *XXIII.*

*Si verò primum, totumque reliquerit alveum,*
*Cœperit atque aliam partem percurrere flumẽ,*
*Eſt prior illorum, propriùs qui fluminis oras*
*Prædia poſſideant, alveus ſed publicus eſse*
*Incipit ipſe novus. Quod ſi fuit inde reverſus*
*Ad primam ſedem fluvius, novus incipit eſſe*
*Alveus illorum, qui in margine rura tenebunt.*

§. *XXIV.*

*Totus inundatus fuerit ſi pinguis agellus,*
*Non fundi ſpeciem commutat flumen inundãs.*
*Quare ſi campo fluitans deceſſerit unda,*
*Fundus in antiqui Domini ditione manebit.*

§. *XXV.*

*Materia alterius fuerit ſi facta figura,*
*Vel ſpecies, Dominus naturæ jure putandus*
*Qui ſit, quæſitum eſt, formã is, qui fecerit, utrũ,*
*Materię an potius Dominus? ſi ſcilicet uvis*
*Alterius vinum, aut oleum formarit olivis,*
*Frumẽtu aut ſpicis, aut vas formaverit auro,*
*Ære, aut argento, miſcendo mella Falerno*
*Fecerit aut mulsũ, ẽplaſtra, aut collyria miſcẽs*
*Finxerit alterius medicamine, vellere molli*
*Texuerit, tyriave nitentem murice veſtem,*
*Struxerit è tabulis navem, aut armaria, ſellas.*
*Poſt variã illorum mentem, qui ſ pè ſabinum,*
*Sectati, ac Proculum, placet hæc ſententia nobis:*
*Nempè rudem, ac primam formam ſi acquirere poſſit*
*Materies, perfectum opus in ditione tenebit*
*Materiæ Dominus Nequeat ſi verò priorem*
*Adduci ad formam, potius, qui fecerit ante,*
*Cenſendus Dominus. Variis conflata metallis*
*Vaſa, rudẽ poterunt, primãque novare figurã;*
*At nequeunt oleum, vinũ, & frumenta reverti*
*Ad ſpicas, uvas, oleas, velut ante fuère,*
*Aut mulſum ad vinum, & flagrantia mella resolvi.*
*Quod ſi forte ſua partim partimque figuram*
*Materia alterius faciat, ſi grata Falerno*

*Mulſa*

fecerit quis : veluti ex ſuo vino , & alieno melle mulſum miſcuerit, aut ex ſuis, & alienis medicamentis emplaſtrum , aut collyrium, aut ex ſua lana, & aliena veſtimentum fecerit: dubitandum non eſt, hoc caſu eum eſſe dominum, qui fecerit: cum non ſolùm operam ſuam dederit, ſed & partẽ eiuſdem materiæ præſtiterit.

§. XXVI.

Si (tamen) alienam purpuram veſtimento ſuo quis intexuerit : licet prætioſior ſit purpura, tamen acceſſionis vice cedit veſtimẽto: & qui dominus fuit purpuræ, adverſus eum, qui ſubripuit, habet furti actionem , & condictionem: ſive ipſe ſit, qui veſtimentum fecit, ſive alius, nam extinctæ res , licet vindicari non poſſint, condici tamen furibus, & quibuſque aliis poſſeſſoribus poſſunt.

§. XXVII.

Si duorũ materiæ ex voluntate dominorum confuſæ ſint: totum id corpus , quod ex confuſione fit, utriuſque commune eſt : veluti ſi qui vina ſua confuderint , aut maſſas argenti, vel auri conflaverint . Sed & ſi diverſæ materiæ ſint , & ob id propria ſpecies facta ſit: forte ex vino, & melle mulſum, aut ex auro, & argento electum, idem juris eſt, nam & hoc caſu communem eſſe speciem non dubitatur. Quod ſi fortuitu , & non voluntate dominorum confuſæ fuerint , vel ejuſdem generis materiæ, vel diverſæ: idem juris eſſe placuit.

§. XXVIII.

Quod ſi frumentum Titii frumento tuo miſtum fuerit, ſi quidem ex voluntate veſtra, commune eſt: quia ſingula corpora , id eſt; ſingula grana , quæ cujuſque propria fuerunt , ex conſenſu veſtro communicata ſunt . Quod ſi caſu id miſtum fuerit , vel Titius id miſcuerit ſine tua voluntate, non videtur commune eſſe; quia ſingula corpora in ſua ſubſtantia durant. Sed nec magis iſtis caſibus commune ſit frumentum , quam grex intelligitur eſſe communis , ſi pecora Titii tuis pecoribus miſta fuerint. Sed ſi ab alterutro veſtrum totum id frumentum retineatur; in rem quidem actio pro modo frumenti cujuſque competit: arbitrio autem judicis continetur , ut ipſe æſtimet , quale cuiuſque frumentum fuerit.

§. XXIX.

*Mulſa ſuo, alterius ſed dulci melle reformet,*
*Sive ſuis ſuccis, alienis atque medelis*
*Fecerit emplaſtrum, aut collyria, texat amictũ*
*Sive ſua lana, atque alieno ex vellere, conſtat*
*Caſibus his, Dominum, formam qui fecerit, eſſe;*
*Nam dat materiæ partem, ſpeciemque reponit.*

§. *XXVI.*

*Si tamen alterius texat quis murice tinctum*
*Velamen, quamvis ipſo pretioſius oſtrum,*
*Attamen accedens inſignis purpura cedit*
*Veſti. Verùm oſtri Domino datur actio furti*
*In fures, ipſe, aut alius formarit amictum ;*
*Namque bona acquiri quamvis extincta nequibunt,*
*Condici at poſſunt furi, & cuicunque tenenti.*

§. *XXVII.*

*Si ſint materiæ Dominorum ex mente duorum*
*Confuſæ: totum quod fiet corpus, utrique*
*Commune eſt : veluti ſua ſi confundat uterque*
*Vina, vel argenti maſſas conflarit, & auri.*
*Sin variæ ſint materiæ, fiatque figura,*
*Ac ſpecies propria, ut cõmiſto ex melle Falerno*
*Mulſa, vel Electrum ex argento fiat , et auro,*
*Juris idẽ eſt, remanet ſpecies cõmunis utrique.*
*Quod ſi materias varias, ſimileſve voluntas*
*Non Domini, aſt aliquis caſus cõfũdat, habetur*
*Juris idem, atque eadem arridet sẽtẽtia nobis.*

§. *XXVIII.*

*Si commiſta tua, ac Titii frumenta fuère,*
*Hæc quoniam fuerat miſcendi veſtra volũtas,*
*Sunt vobis communia; nam quæ ſingula grana*
*Cuique fuere ſua, aſſenſu communia fiunt.*
*Si verò ex caſu miſcentur, ſive voluntas*
*Non tua, ſed fuerit Titii, qui miſcuit illa,*
*Non hæc cenſentur fieri communia vobis;*
*Singula namque ſua in natura corpora durãt.*
*Nec mage commune eſt frumentũ caſibus iſtis,*
*Quàm quæ paſcũtur virides armẽta per agros,*
*Lanigerique greges communes eſſe putantur,*
*Si fœcunda manent Titii pecuaria mixta*
*Forte tuo pecori. Veſtrum ſin poſſidet inde*
*Alteruter frumentũ, in rem actio cõpetit, atque*
*Judicis arbitrio dependet, ut æſtimet ipſe,*
*Quale & frumentum fuerit cuiuſque, reviſat.*

§. *XXIX.*

### §. XXIX.

Cum in ſuo ſolo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipſe intelligitur dominus ædificii, quia omne, quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. Nec tamen ideo is, qui materiæ dominus fuerat, deſinit dominus ejus eſſe: ſed tantiſper, neque vindicare eam poteſt, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem duodecim tabularum, qua cavetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, ſed duplum pro eo præſtet per actionem, quæ vocatur de tigno juncto. Appellatione autem tigni omnis materia ſignificatur, ex qua ędificia fiunt. Quod ideo proviſum eſt, ne ædificia reſcindi neceſſe ſit. Quod ſi aliqua ex cauſa dirutum ſit ædificium, poterit materiæ dominus, ſi non fuerit duplum jam conſequutus, tunc eam vindicare, & ad exhibendum de ea re agere.

### §. XXIX.

*At proprio quicunque ſolo conſtruxerit ędes*
*Materia alterius, Dominus cenſebitur eſſe;*
*Namque ſolo cedit, quodcunque educitur illic.*
*Non tamen idcircò proprię quis deſinit eſſe*
*Materię Dominus. Verùm non vindicat illā,*
*Et neque, ut exhibeat, datur actio; nāq; cavetur*
*Deſcripta in tabulis duodenis lege, tigillum*
*Ne alterius junctum cogatur ab ędibus ullus*
*Tollere, ſed prę́ſtet duplum, velut actio poſcit,*
*Quam de conjuncto tigno dixère Priores.*
*Materia aſt omnis ſignatur nomine tigni,*
*Ex qua conſtruitur Domus: ut ne tecta neceſſe*
*Sit ſcindi, hoc ideo proviſum. Diruta vero*
*Sin Domus hęc, precium duplū nec forte ſolutū,*
*Materię Dominus poterit ſibi quęrere tignum.*

### §. XXX.

Ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo ex ſua materia domum ædificaverit, illius ſit dominus, cujus & ſolum eſt. Sed hoc caſu materiæ dominus proprietatem ejus amittit: quia voluntate ejus intelligitur eſſe alienata, utique ſi non ignorabat ſe in alieno ſolo ædificare: & ideo licet diruta ſit domus, materiam tamen vindicare non poteſt. Certè illud conſtat, ſi in poſſeſſione conſtituto ędificatore, ſoli dominus petat domum ſuam eſſe, nec ſolvat pretium materiæ, & mercedes fabrorum: poſſe eum per exceptionem doli mali repelli, utique ſi bonę fidei poſſeſſor fuerit, qui ædificavit. Nam ſcienti alienum ſolum eſſe, poteſt obiici culpa, quod ædificaverit temere in eo ſolo, quod intelligebat alienum eſſe.

### §. XXX.

*Si quis in alterius fundo conſtruxerit ædes*
*Materia ex propria, tectis dominabitur ille,*
*Qui Dominus fundi, at tectū qui cōdidit, omnē*
*Materiam amittit propriam; ſi nāque ſciebat*
*Alterius fabricare ſolo, voluiſſe putatur*
*Se dare materiā; & quamvis ſit diruta ſedes,*
*Quā ſtruxit, tignū collapsū haud vīdicat ipſe.*
*Sed ſi poſſeſſor fundi fabricaverit ędes,*
*Atque deinde ſoli Dominus quęſiverit ipſas,*
*Solvat nec fabrorū operas, preciumque tigilli,*
*Jure mali deſcripta doli hunc exceptio pellit,*
*Tecta bonę fidei poſſeſſor ſi extruat illa;*
*Solùm namque poteſt opponi culpa ſcienti,*
*Eſſe ſolum alterius, temere quia ſtruxit in illo,*
*Noverat alterius quod ſub ditione teneri.*

### §. XXXI.

Si Titius alienam plantam in ſolo ſuo poſuerit, ipſius erit. Et ex diverſo, ſi Titius ſuam plantam in Mævii ſolo poſuerit, Mævii planta erit, ſi modo utroque caſu radices egerit: ante enim, quam radices egerit, ejus permanet, cujus fuerat. Adeo autem ex eo tempore, quo radices egerit plāta, proprietas ejus commutatur: ut ſi vicini arbor ita terram Titii preſſerit, ut in ejus fundum radices egerit: Titii effici arborem dicamus: ratio enim non permittit, ut alterius arbor eſſe intelligatur, quam cujus in fundum radices

### §. XXXI.

*Si proprio terram fodiens commiſerit horto*
*Alterius plantam Titius, cenſebitur arbos*
*Ipſius; at contra Męvi ſi ponet in agro*
*Virgultum, debet Dominus cenſeri eſſe*
*Męvius, utroque in caſu modo fecerit imas*
*Fibras, nāque prius, quàm fibras egerit illud,*
*Permanet illius, cujus permanſerat ante;*
*Aſt adeo plantę mutatur tempore ab illo,*
*Quo terrę validis radicibus hæſerit arbos,*
*Proprietas, Titii ut proprium ſi preſſerit agrū,*
*Ipſiuſque ſolo radices egerit, illa*
*Dicatur Titii; eſt illius namque putanda,*

Cu-

dices egerit: Et ideo prope confinium arbor poſita, ſi etiã in vicini fundum radices egerit, communis fit.

*Cujus tellurem fibris complectitur, arbos:*
*Idcircò communis erit, ſi extenderit altas*
*Radices etiam ad viridantia rura propinqui.*

§. XXXII.

Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coaleſcunt, ſolo cedunt, eadem ratione frumenta quoque, quæ ſata ſunt, ſolo cedere intelliguntur. Cæterum ſicut is, qui in alieno ſolo ædificavit: ſi ab eo dominus petat ædificium, defendi poteſt per exceptionem doli mali, ſecundum ea, quæ diximus: ita ejuſdem exceptionis auxilio tutus eſſe poteſt is, qui alienum fundum ſua impenſa, (bona fide) conſevit.

§. *XXXII.*

*Qua ratione ſolo cedunt firmamine plantę,*
*Quæ ſata ſunt etiam frumẽta putantur eadem*
*Cedere telluri. Aſt exceptio dicta tuetur*
*Illum, tecta ſua impenſa qui ſtruxit in horto*
*Alterius, Domino poſcente, ita reddere tutum*
*Jure poteſt eadem, ſi alieno cultor in arvo*
*Quiſque bona fecunda fide ſua ſemina ſpargat.*

§. XXXIII.

Litteræ quoque, licet aureæ ſint, perinde chartis, membraniſve cedunt, ac ſolo cedere ſolent ea, quæ inædificantur, aut inſeruntur; ideoque ſi in chartis, membraniſue tuis carmen, vel hiſtoriam, vel orationem Titius ſcripſerit: hujus corporis non Titius, ſed tu dominus eſſe videris. Sed ſi à Titio petas tuos libros, tuaſue membranas, nec impenſas ſcripturæ ſolvere paratus ſis: poterit ſe Titius defendere per exceptionem doli mali, utique ſi earum chartarum, membranarumve poſſeſſionem bona fide nactus eſt.

§. *XXXIII.*

*Sic etiam cedunt chartis, aurove notatis (vãt,*
*Membranis literę, ut ſua qua fundamina ſer-*
*Cedere tecta ſolo debent, aut arbor inhęrens;*
*Quare deſcribat Titius ſi carmina chartis,*
*Membraniſue tuis, priſci vel temporis acta,*
*Facunduſue ſatis ſuadentia verba notavit,*
*Nõ Titius Dominus chartę, ſed tu eſſe videris.*
*Sin repetas chartam, & ſcripturæ impendia promptus*
*Solvere non fueris, jam exceptio lata tuetur*
*Jure doli pravi Titium, ſi ſcilicet ipſe*
*Eſſe ſuas chartas ulla ſine fraude putavit.*

§. XXXIV.

Si quis in aliqua tabula pinxerit, quidam putant tabulam picturæ cedere, aliis videtur, picturam, qualiſcumque ſit, tabulæ cedere: ſed nobis videtur melius eſſe, tabulam picturæ cedere. Ridiculum eſt enim, picturam Apellis, vel Parthaſii in acceſſionem viliſſimæ tabulæ cedere. Vnde ſi à domino tabulæ imaginem poſſidente, is, qui pinxit, eam petat, nec ſolvat pretium tabulę, poterit per exceptionem doli ſubmoveri. At ſi is, qui pinxit, (eam) poſſideat: conſequẽs eſt, ut utilis actio Domino tabulæ adverſus eum non detur: quo caſu ſi non ſolvat impenſam picturæ, poterit per exceptionem doli mali repelli, utique ſi bona fide poſſeſſor fuerit ille, qui picturam impoſuit. Illud enim palam eſt, quod ſive is, qui pinxit, ſubripuit tabulas, ſive alius, competit domino tabularum furti actio.

§. *XXXIV.*

*Si quis in alterius tabula depinxerit, ipſi*
*Cedere picturæ tabulam plerique putarunt:*
*Picturam placuit multis cuicunque tabellæ*
*Cedere. Sed melior ſententia prima videtur;*
*Nam riſu eſt dignum, pingendi clarus Apelles,*
*Parrhaſiuſue ſua mira quam finxerat arte,*
*Cedere contemptæ tabulæ debere figuram.*
*Sin verò effigiem pictor, quã expreſſerat ante,*
*Poſtulet a tabulæ Domino, qui poſſidet illam,*
*Nec tabulæ precium ſolvat, removebitur ipſa,*
*Quæ data jure doli dicta eſt exceptio pravi.*
*Si verò qui effinxit, eam poſſederit, æquum eſt,*
*Vt Domino tabulę detur utilis actio. Solvat*
*Is niſi formę impenſam, exceptio dicta reſiſtet,*
*Ni formæ fictor fuerit poſſeſſor iniquus.*
*At ſi ſubripuit tabulam, qui pinxerat, ille,*
*Sive alius, tabulæ Domino datur actio furti.*

§. XXXV.

Si quis à non dominio, quem dominum eſſe crediderit, bona fide fundum emerit, vel ex donatione, aliave qualibet juſta

cauſa

§. *XXXV.*

*Qui non à Domino, Dominũ quẽ credidit eſſe,*
*Nulla fraude emit fũdum, aut ex munere cauſa*
*Qualibet aut alia juſta ratione tenetur*

*Red-*

cauſa æque bona fide acceperit, naturali ratione placuit fructus, quos percepit, ejus eſſe pro cultura, & cura. Et ideo ſi poſtea dominus ſupervenerit, & fundum vindicet, de fructibus ab eo conſumptis agere nõ poteſt. Ei verò, quì alienum fundum ſciens poſſederit, non idem conceſſum eſt: itaque cum fundo etiam fructus, licet conſumpti ſint, cogitur reſtituere.

§. XXXVI.

Is verò, ad quem uſusfructus fundi pertinet, non aliter fructuum dominus efficitur, quàm ſi ipſe eos perceperit. Et ideo licet maturis fructibus, nondum tamẽ perceptis, deceſſerit: ad hæredes ejus non pertinent, ſed domino proprietatis adquiruntur. Eadem fere & de colono dicuntur.

§. XXXVII.

In pecudum fructu etiam fœtus eſt, ſicuti lac, pilus, & lana, itaque agni, hædi, & vituli, & equuli, & ſucculi ſtatim naturali jure domini fructuarii ſunt. Partus verò ancillæ in fructu non eſt, itaque ad dominum proprietatis pertinet, abſurdum enim videbatur, hominem in fructu eſſe: quum omnes fructus rerum natura gratia hominis comparaverit.

§. XXXVIII.

Sed ſi gregis uſumfructum quis habeat, in locum demortuorum capitum ex fœtu fructuarius ſubmittere debet (ut & Juliano viſum eſt) & in vinearum demortuarum, vel arborum locum, alias debet ſubſtituere; rectè enim colere, & quaſi bonus pater familias uti debet.

§. XXXIX.

Theſauros, quos quis in loco ſuo invenerit, diuus Hadrianus naturalem æquitatem ſequutus, ei conceſſit, qui (eos) invenerit. Idemque ſtatuit, ſi quis in ſacro, aut religioſo loco fortuito caſu invenerit. At ſi quis in alieno loco, non data ad hoc opera, ſed fortuitò invenerit, dimidium domino ſoli conceſſit, & dimidium inventori. Et convenienter, ſi quis in Cæſaris loco invenerit, dimidium inuentoris, & dimidium eſſe Cæſaris ſtatuit. Cui conveniens eſt (ut) ſi quis in fiſcali loco, vel publico, vel (civitatis) invenerit, dimidium ipſius eſſe (debeat) & dimidium fiſci, vel civitatis.

§. XXXX.

*Reddere non ulla fructus, quos legerat, illes*
*Sed pro cultura ſundi, curaque tenebit.*
*Propterea Dominus veniens ſi vindicet agrũ,*
*Conſũptis agere haud poterit de fructibus, idq;*
*Jura negãt ipſi, ãpla ſciens qui poſſidet arva,*
*Namque etiã fructus cõſumptos reddere debet.*

§. *XXXVI.*

*Fructibus haud aliter ſundi dominabitur ille,*
*Ad quem uſusfructus alieni pertinet arvi,*
*Quàm ſi percipiat; Vitæ hinc ſi liquerit auras,*
*Maturis non dum collectis fructibus, ipſos*
*Acquirit Dominus proprius, non illius hæres.*
*Sunt de ſollicito hęc eadem dicenda colono.*

§. *XXXVII.*

*In pecudum fructu fętus etiam eſſe putantur,*
*Lac veluti, villi, lanæ, timidique bidentes,*
*Succula, pugnaces equuli, caper, atq; juvencus,*
*Omnia quæ Domini fructus de jure tenebunt.*
*Ancillæ verò partus non fructus habetur.*
*Ad proprios ergo Dominos hic pertinet. Ipſe*
*Abſurdũ viſum eſt, homines in fructibus: omnes*
*Cum fructus hominum cauſa natura crearit.*

§. *XXXVIII.*

*Sin pecudum fructus quęrendi jura tenebit*
*Quis, vice functorũ capitum ſubmittere debet*
*Ex fętu (ut Juriſconſultus jure putavit)*
*Et vice vineti extincti, vitaque peremptę*
*Arboris, arbuſta, ac vites plantare recentes;*
*Nam colere hic debet recte, haud ſecus atque*
*Parentes,*
*Qui moderãtur opes, vigiles et cũcta gubernãt.*

§. *XXXIX.*

*Quos proprio quis defoſſos invenerit agro*
*Theſauros, Hadrianus ei ſanctiſſimus; qui*
*Servator conceſſit, opum qui nactus acervos.*
*Hoc etiam ſtatuit, caſu ſi invenerit Æde,*
*Sive loco. ſuerat qui Relligione verendus.*
*Fortuitò in fundo alterius ſi invenerit, agri*
*Accipiet partem Dominus, partẽque repertor:*
*Cęſaris in quocunque loco comperta ſit auri*
*Congeries, partem decrevit Cęſaris eſſe,*
*Et partem illius, fuerit qui forte repertor.*
*Fiſci, Urbiſve loco ſed ſi comperta ſit, Urbi*
*Pars media, aut Fiſco, inventori cętera danda.*

§. *XXXX.*

### §. XXXX.

Per traditionem quoque jure naturali res nobis adquiruntur; nihil enim tam conveniens eſt naturali æquitati, quàm voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi; & ideo, cujuſcunque generis ſit, corporalis res tradi poteſt, & à domino tradita alienatur. Itaque ſtipendiaria quoque, & tributaria prædia eodem modo alienantur. Vocantur autem ſtipendiaria, & tributaria prædia, quæ in provinciis ſunt, interquæ, necnon & Italica prædia, ex noſtra conſtitutione nulla eſt differentia: ſed ſi quidem ex cauſa donationis, aut dotis, aut qualibet alia ex cauſa traduntur, ſine dubio transferuntur.

*Traditione etiam, naturæ jure parantur*
*Res nobis. Nihilum naturæ legibus aptum*
*Eſt mage, quàm Domini conſtans, ac certa voluntas,*
*Rẽ propriã ad Domin..s alios trãsferre volẽtis.*
*Qualibet hinc veſtita poteſt res corpore tradi,*
*Atque alienata eſt, Dominus ſi tradidit ipsã.*
*Sic etiam alterius fieri quoque prædia poſſunt,*
*Queis certum tribuere tributa, ſtipẽdia nomen.*
*Sunt autem tali cognomine prædia dicta*
*Omnia, quæ tellure ſua Provincia claudit,*
*Quæ inter, et Italiæ nullum diſcrimen habetur*
*Prædia, uti noſtro remanet de Jure ſtatutum.*
*Sed quando dotis cauſa, vel muneris ipſa*
*Traduntur cuiquam, certè translata putãtur.*

### §. XXXXI.

Venditæ verò res, & traditæ, non alitèr emptori adquiruntur, quàm ſi is venditori pretium ſolverit, vel alio modo ei ſatisfecerit: veluti ex promiſſore, aut pignore dato, quod quãquam cavetur ex lege duodecim tabularum, tamen rectè dicitur & jure gentium, ideſt, jure naturali, id effici: ſed ſi is, qui vendidit, fidem emptoris ſequutus fuerit, dicendum eſt, ſtatim rem emptoris fieri.

*Vendita tunc verò emptoris res tradita fiet,*
*Cum ſolvet precium, aut alia ratione priori*
*Ipſe ſatisfaciet Domino, ſeu pignore nempe,*
*Sive fide certa: quod quanquam lege cavetur*
*Deſcripta in tabulis duodenis; attamen eſſe*
*Dicitur hoc rectè naturæ jure ſtatutum.*
*Venditor ille fidem fuerit ſi fortè ſecutus*
*Emptoris, ſubitò ipſius res vendita fiet.*

### §. XXXXII.

Nihil autem intereſt, utrum ipſe dominus tradat alicui rem ſuam, an voluntate ejus, alius, cui ejus rei poſſeſſio permiſſa ſit.

*Sed nihil intererit, Dominus rẽ præbeat utrũ,*
*An ne alius, permiſſa cui eſt poſſeſſio rerum,*
*Dummodò ſit Domini hæc conſtans, & certa voluntas.*

### §. XXXXIII.

Qua ratione, ſi cui libera univerſorum negotiorum adminiſtratio permiſſa fuerit à domino, iſque ex his negotiis rem vendiderit, & tradiderit: faciet eam accipientis.

*Libera cunctarum rerum ſi fortè gerendi*
*Cui fuit à Domino pariter conceſſa facultas,*
*Vẽdidit atque aliquã ex ipſis, et tradidit ille,*
*Cum ſemel accepit, quæſivit protinus emptor.*

### §. XXXXIV.

Interdum etiam ſine traditione nuda voluntas domini ſufficit ad rem transferendam, veluti ſi rem, quam tibi aliquis commodaverit, aut locaverit, aut apud te depoſuerit, (poſtea aut vendiderit tibi,) aut donaverit, (aut dotis nomine dederit.) Quamvis enim ex ea cauſa tibi eam non tradiderit: eo tamẽ ipſo, quòd patitur tuam eſſe, ſtatim tibi adquiritur proprietas, perinde ac ſi eo nomine tibi tradita fuiſſet.

*Sufficit interdũ Domini quoque nuda volũtas,*
*Commodet ut ſi quid, deponat, ſive locarit,*
*Inde tibi vendat, donet, det nomine dotis.*
*Nam licet ex illa cauſa haud tradatur ab ipſo*
*Res, tamen à te ſi patitur ditione teneri,*
*Tu proprius Dominus, res ut ſi tradita, fies.*

### §. XXXXV.

Item ſi quis merces in horreo depoſitas vendiderit, ſimul atque claves horrei tradiderit

*At ſi quis vẽdat, ſervant quas horrea, merces,*
*Ipſorum & claves emptori tradat, opimis*

diderit emptori, transfert proprietatem mercium ad emptorem.

*Acquirit merces emptor, rerumque potitur.*

### §. XXXXVI.

Hoc amplius, interdum & in incertam perſonam collata volũtas domini transfert rei proprietatem: ut ecce, prætores, & conſules, cum miſſilia lactant in vulgus, ignorant, quod eorum quiſque ſit excepturus: & tamen quia volunt, quod quiſque acceperit, ejus eſſe, ſtatim eum dominum efficiunt.

### §. XXXXVI.

*Inſuper in dubiam Domini collata voluntas*
*Perſonam interdum rerum transferre videtur*
*Jura, velut Prætor, Conſul cum jactat egenũ*
*Miſſilia in vulgus, quamvis is neſciat, ejus*
*Munera quis Plebis fuerit capturus opima,*
*Attamen efficitur Dominus, qui ceperit illa,*
*Cum talis fuerit Dominorum certa voluntas.*

### §. XXXXVII.

Qua ratione verius eſſe videtur, ſi rem pro derelicto à domino habitam occupaverĩt quis, ſtatim eum dominum effici. Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id (in numero) rerum ſuarum eſſe nolit: ideoque ſtatim dominus ejus eſſe deſinit.

### §. XXXXVII.

*Si quis rem capiat miſſam, à Dominoq; relictã,*
*Protinus efficitur Dominus. Res illa relicta*
*Dicitur, in numero quam haud amplius eſſe ſuarum*
*Rerum vult Dominus. Verùm ſi deiicit ipſe,*
*Continuò illius Dominus jam deſinit eſse.*

### §. XXXXVIII.

Alia ſanè cauſa eſt earum rerum, quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa eiiciuntur, hæ enim dominorum permanent: quia palam eſt, eas non eo animo eiici, quòd quis eas habere nolit, ſed quò magis cum ipſa navi maris periculum effugiat. Qua de cauſa, ſi quis eas fluctibus expulſas, vel etiam in ipſo mari nactus, lucrandi animo abſtulerit, furtum, committit. Nec longè videntur diſcedere ab his, quæ de theda currente, non intelligentibus dominis, cadunt.

### §. XXXXVIII.

*Si cum tempeſtas toto furit æquore, merces*
*Quis jactet, relevet prono quò pondere navim,*
*Hę Domini remanẽt, quoniam projecerit illas,*
*Evadat Neptuni ut cum ipſa nave periclum.*
*Quare ſi quis eas expulſas fluctibus inde*
*Abſtulerit, medio turbati in gurgite ponti*
*Vel nactus, cauſa lucrandi forte reſervet,*
*Dicitur ex templo crimen committere furti.*
*Si quod fertur equis rapidis, celeriue quadriga*
*Decidat in terram, Dominus nec ſentiat, ille*
*Qui capiet lucri cauſa, fur eſse putatur.*

## *De rebus Corporalibus, & Incorporalibus*

## TITVLVS II.

Quædam præterea res corporales ſunt, quædam incorporales.

*Corporeę quædam res ſunt, ſine corpore quædam.*

### §. I.

Corporales hæ ſunt, quæ tangi poſſunt: veluti fundus, homo, veſtis, aurum, argentum, & denique aliæ res innumerabiles.

### §. I.

*Illæ veſtitæ cenſentur corpore, tangi*
*Quæ poſsũt, ut fundus, homo, ſic veſtis, et aurũ,*
*Et quibus innumeris corpus natura creavit.*

### §. II.

Incorporales autem ſunt, quæ tangi non poſſunt, qualia ſunt ea, quæ in jure conſiſtunt: ſicut hæreditas, uſusfructus, uſus (&) obligationes quoquo modo contractæ. Nec ad rem pertinet, quod in hæreditate res corporales ſunt: & id, quod ex aliqua obli-

ga-

### §. II.

*Corporis at molem rebus natura negavit,*
*Quæ tãgi nequeũt, qualeſque in jure putãtur,*
*Jus omne ut defũcti, ad quod ſucceſserat hęres,*
*Atque uſusfructus, & cuncta ligamina Juris,*
*Multa quibus præſtare homines coguntur, et*
*Ad rẽ nec faciet noſtrã, quod jura relata (uſus.*

Con-

gatione nobis debetur, plerumque corporale eſt: veluti fundus, homo, pecunia; nam ipſum jus hæreditatis, & ipſum jus utendi, fruendi, & ipſum jus obligationis incorporale eſt.

*Contineant, induta manet quæ corpore, multa;*
*Nam quoque corpus habet fructus perceptus ab agro,*
*Debitor & nobis debet quod ſolvere jure,*
*Sicut fundus, homo, numerata pecunia; at omne*
*Defuncti jus, ipſa utendi jura, fruendi*
*Fructibus, & juris privantur corpore vincla.*

§. III.

Eodem numero ſunt jura prædiorum urbanorum, & ruſticorum, quæ etiam ſervitutes vocantur.

*§. III.*

*Omnia dicuntur pariter ſine corpore Jura,*
*Prædia queis ſiunt urbana, & ruſtica ſerva,*

## *De ſervitutibus prædiorum*

## TITVLVS III.

RUſticorum prædiorum jura ſunt hæc: iter, actus, via, aquæ ductus. Iter eſt jus eundi, ambulandi, hominis, non etiam jumentum agendi, (vel vehiculum.) Actus eſt jus agendi, vel jumentum, vel vehiculum. Ità qui habet iter, actum nõ habet: qui actum habet (eoque uti poteſt) etiam ſine jumento. Via eſt jus eundi, & agendi, & ambulandi: nam & iter, & actum via in ſe continet. Aquæ ductus eſt jus aquæ ducendæ per fundum alienum.

*SUnt autem jura hæc, queis ruſtica prędia ſerva,*
*Legibus expreſſa, Actus, Iter, Via, Ductus (aquarum.*
*Cũ quis in alterius gradiatur, et ambulet agro*
*Jure, iter eſt, modò nec jumentum, aut currus agatur.*
*Jus eſt vel currum, vel jumentum Actus agẽdi:*
*Quiſquis habebit Iter, tunc Actũ fertur habe-*
*At tribuetur iter, cui permittetur et actus, (re,*
*Quo ſine jumento poterit, ſine curribus uti.*
*Jus via dicetur gradiendi, & eundi, et agendi;*
*Namq; iter, atq; actum pariter complectitur. Vndas*
*Ducere per fundum alterius, jus ductus aquarum eſt.*

§. I.

Prædiorum urbanorum ſervitutes ſunt hæ, quæ ædificiis inhærent; ideo urbanorum prædiorum dictæ, quoniam ædificia omnia, urbana prædia appellamus, etſi in villa ædificata ſint. Item urbanorum prædiorum ſervitutes ſunt, ut vicinus onera vicini ſuſtineat: ut in parietem ejus liceat vicino tignum immittere: ut ſtillicidium, vel flumen recipiat quis in ædes ſuas, vel in aream, vel in cloacam: ne altius quis tollat ædes ſuas, vel luminibus vicini officiat.

*§. I.*

*Jura, quibus ſiunt Vrbana hæc prædia ſerva;*
*Aut parvis tectis, celſis aut ſedibus hærent.*
*Prędia ſed quæcũque domus urbana vocẽtur,*
*Quas habitãt homines, quãvis in rure locẽtur.*
*At variis urbana modis ſunt Prædia ſerva,*
*Suſtineat propior vicini ut pondera: celſum*
*In murum ut liceat vicino immittere tignum;*
*Rivũ ut quis ſtillãtis aquæ, vel flumẽ in ædes,*
*Areã et in propriã capiat, fœdamue cloacam:*
*Ne ſublime ſuas poſſit quis tollere ſedes:*
*Altis ne lædat vicini lumina muris.*

§. II.

Inter ruſticorum prædiorum ſervitutes quidam computari rectè putant aquæ hauſtum, pecoris ad aquam adpulſum, jus paſcendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ.

*§. II.*

*Inter jura, quibus ſunt ruſtica prædia ſerva,*
*Ad lymphas pecudum adpulſus numeratur, aquarum*
*Atq hauſtus, viridiis paſcendi in gramine cãpi,*
*Ac ſabuli fodiendi jus, calciſque coquendæ.*

§.III.



*§.III.*

§. III.

Ideo autem hæ ſervitutes prædiorum appellantur, quoniam ſine prædiis conſtitui non poſſunt; nemo enim poteſt ſervitutem acquirere vrbani, vel ruſtici prædii, niſi qui habet prædium.

*§. III.*

*Idcirco hęc tali dicuntur nomine Jura,*
*Quod ſine cōſtructis domibus, ſine ruris amęni*
*Æquore conſtitui nequeant; acquirere namq;*
*Prędio in urbano, viridi uel rure relata*
*Nemo jura poteſt, ni prędia poſſidet ipſa.*

§. IV.

Si quis velit vicino aliquod jus conſtituere, pactionibus, atque ſtipulationibus id efficere debet. Poteſt etiam teſtamēto quis hæredem ſuum damnare, ne altius tollat ædes ſuas, ne luminibus ædium vicini officiat: vel ut patiatur, eum tignum in parietem ſuum immittere, ſtillicidiumve adverſus eum habere: vel ut patiatur, eum perſundum ire, agere, aquamue ex eo ducere.

*§. IV.*

*Hęc verò ſtatuent pacta, aut ſtipulatio jura.*
*In tabulis poterit quoq; quis damnare ſupremis*
*Hęredem, ipſe ſuas extollat nè altùis ædes,*
*Officiat ne luminibus propio ris: ut illum*
*In proprium murum patiatur mittere tignum,*
*Jura adverſus eum lymphę ſtillantis habere:*
*Ut patiatur, eum latum tranſire per agrum,*
*Atq; agere, aut claras undas abducere ab illo.*

## *De Vſufructu*

## TITVLVS IV.

Uſusfructus eſt jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalva rerum ſubſtantia. Eſt autem jus in corpore: quo ſublato, & ipſum tolli neceſſe eſt.

*Alterius rebus jus utendi, atque fruendi,*
*Rerū natura incolumi, ſalvaq; manēte,*
*Eſt uſusfructus. Verū hoc jus corpore inhæret,*
*Quo ſine jus remanere nequit, tolliq; neceſſe eſt.*

§. I.

Uſusfructus à proprietate ſeparationem recipit, idque pluribus modis accidit: ut ecce, ſi quis uſumfructum alicui legaverit, nā hæres nudam habet proprietatem, legatarius verò uſumfructum. Et contra, ſi fundum legaverit, deducto uſufructu: legatarius nudam habet proprietatem; hæres verò uſumfructum. Item alii uſumfructum, alii deducto eo, fundum legare poteſt. Sine teſtamento (verò) ſi quis velit uſumfructum alii conſtituere: pactionibus, & ſtipulationibus id efficere debet. Ne tamen in univerſum inutiles eſſent proprietates, ſemper abſcendente uſufructu, placuit certis modis exringui uſumfructum, & ad proptietatem reverti.

*§. I.* *(ter*

*Eſt alter Dominus proprius, Dominatur et al-*
*Fructibus; idq; modis poterit cōtingere multis,*
*Ut ſi quis fructum Titio legaverit uſum,*
*Is cunctis utetur fructibus, atque fruetur:*
*Verùm proprietas hæredi nuda manebit;*
*At ſi deducto fructu legaverit uſu* *(betur,*
*Fundum, tum Titius proprius Dominator ha-*
*Aſt hęres toto fructu dominabitur uſu.*
*Præterea ſuprema poteſt legare voluntas*
*Jus alii fructus, aliique relinquere fundum,*
*Fructibus exceptis. Signis verò abſq; ſupremis*
*Uſum conſtituent fructum ſtipulatio, Pacta.*
*Verum proprietas ne ſemper inutilis eſſet,*
*Hoc jus finiri varia ratione jubemus,*
*Et verum ad Dominum, propriumque deinde reverti.*

§. II.

Conſtituitur autem uſusfructus non tantùm in fundo, & ædibus, verùm etiam in ſervis, & jumentis, & cæteris rebus: (exceptis iis, quæ ipſo uſu conſumuntur.) Nam hæ res neque naturali ratione, neque civili recipiunt uſumfructum, quo (in) numero ſunt vinum, oleum, frumentum, veſtimenta:

quibus

*§. II.*

*Non autem ſolùm uſusfructus ſedibus, agris,*
*Sed quoque jumentis, ſervis ſtatuetur, & omni*
*In re, quæ nullo poterit conſumier uſu.*
*Ponere namque bonis, ſubitus quę deſtruit uſus,*
*Hoc jus naturæ, ac civilia jura negarunt,*
*In quo ſunt numero frumentū, oleūq; Falernū,*
*Veſtis, queis numerata pecunia proxima;*

*perdit* *Hanc*

Digitized by Google

quibus proxima eſt pecunia numerata, namque ipſo uſu aſſiduæ permutatione quodammodo extinguitur. Sed utilitatis cauſa Senatus cenſuit, poſſe etiam earum rerum uſumfructum conſtitui: ut tamen eo nomine hæredi utiliter caveatur. Itaque ſi pecuniæ uſufructus legatus ſit: ita datur legatario ut ejus fiat, & legatarius ſatiſdet hæredi de tanta pecunia reſtituenda, ſi morietur, aut capite minuetur. Cæteræ quoque res ita traduntur legatario, ut ejus fiant: ſed æſtimatis his, ſatis datur: ut ſi moriatur, aut capite minuatur, tanta pecunia reſtituatur, quanti hæ fuerint (æſtimatæ.) Ergo ſenatus non fecit quidem earum rerum uſumfructum, (nec enim poterat) ſed per cautionem quaſi uſumfructum conſtituit.

*Hanc etenim ratione aliqua mutatio, & uſus*
*Aſſiduus. Verùm ut ſenſit, ſtatuitq; Senatus,*
*Harũ etiam rerum cum non ſit inutilis, uſus*
*Fructus conſtitui poterit, ſed cautio danda*
*Utilis hæredi. Si ergo legaveris uſum*
*Fructum nummorũ, nummis dominabitur ille,*
*Cui fuerat pretioſa relicta pecunia; verùm*
*Hæredi caveat tantundem reddere, mortem*
*Si ſubeat, capite aut fuerit si forte minutus.*
*At verò legata etiam ſic cætera dantur,*
*Illius ut fiant, debetque ſatisdare, ut auras*
*Si vitæ linquat, capitiſue minutio fiat,*
*Hæredi reddatur tanta pecunia, quanti*
*Hæc habita, in queis fructum legatarius uſum*
*Obtinuit. Sapiens fecit non ergo Senatus*
*Illarũ rerũ uſumfructum, namque nequibat,*
*Sed quaſi conſtituit, fuerit cum cautio juſſa.*

§. III.

Finitur autem uſusfructus morte uſufructuarii, & duabus capitis diminutionibus maxima, & media, & nõ utendo per modũ, & tempus: quæ omnia noſtra ſtatuit conſtitutio. Item finitur uſusfructus, ſi domino proprietatis ab uſufructuario cedatur: (nam cedendo extraneo, nihil agitur) vel ex contrario ſi uſufructuarius proprietatem rei adquiſierit: quæ res conſolidatio appellatur. Eo amplius conſtat, ſi ædes incendio conſumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio ſuo corruerint: extingui uſumfructum, & ne areæ quidem uſumfructum deberi.

§. *III.*

*At perit uſusfructus, noſtra ut lege ſtatutũ eſt,*
*Si Dominus fructus vitales liquerit auras,*
*Sũma aut ſit, media aut capitis ratione minu-*
*Si non ipſe modo utatur, nec tẽpore. Rurſus (tus,*
*Si proprio Domino cedatur; deſinit eſse.*
*(Ceditur atque aliis fruſtra) Finitur, ab illo*
*Proprietas etiam rerum ſi acquiritur, uſum*
*Fructum qui tenuit: Quod conſolidatio fertur.*
*Et magis eſt verum, triſti ſi merſa favilla*
*Tecta jacent, terræ aut motu collapſa repente,*
*Aut proprio vitio ingentem traxère ruinam,*
*Uſus finiri fructus, hæc jura perire,*
*Areæ & omninò fructum deperdier uſum.*

§. IV.

Cum autẽ finitus fuerit totus uſusfructus, revertitur ſcilicèt ad proprietatem, & ex eo tempore nudæ proprietatis dominus incipit plenam in re habere poteſtatem.

§. *IV.*

*Aſt uſusfructus quo tempore deſinit eſſe, (le*
*Qui proprius fuerat Dominus, dominabitur il-*
*Fructibus, atque rei fuerit ſibi plena poteſtas.*

## *De Vſu, & Habitatione*

## TITVLVS V.

Iiſdem illis modis, quibus uſusfructus cõſtituitur, etiam nudus uſus conſtitui ſolet, iiſdemque illis modis finitur, quibus & uſusfructus deſinit.

*Conſtitui ſolet uſus, ſicut diximus ante,*
*Vsũ conſtitui fructum; ille peribit eadẽ,*
*Qua ratione perit, fructuſq; extinguitur uſus.*

§. I.

Minus autem juris eſt in uſu, quàm in uſufructu, nam iis, qui fundi nudum habet uſum, nihil ulterius habere intelligitur,

quam

§. *I.*

*At minus uſus habet juris, quàm continet uſus*
*Fructus; nam fundi, qui uſum cenſetur habere,*
*Non habet ulterius, quam ut crebrò utatur ad*
*uſum*

*Flo-*

quam ut oleribus,pomis,floribus,fœno,ſtramentis, & lignis ad uſum quotidianum vtatur, in eoque fundo hactenus ei morari licet,ut neque domino fundi moleſtus ſit,neque iis,per quos opera ruſtica fiunt,impedimento:nec ulli alii jus,quod habet, aut locare,aut vendere,aut gratis concedere poteſt, ( quamvis,quiuſumfructum habet,poſſit hæc omnia facere. )

*Floribus,ac fœno,pomiſque, virentibus herbis,*
*Straminib⁹,lignis.Licet hactenus ipſe morari,*
*Ut neque ſitDomino fūdi gravis,atq;moleſtus,*
*Villicum et impediat,findit qui vomere terrā,*
*Vendere nec poterit,concedere,ſive locare*
*Jus aliis,quod habet,quāvis Dominator in uſu*
*Fructu hæc efficiet cuncta, ut de Jure ſtatutū*
*eſt.*

§. II.

Item is,qui ædium uſum habet, hactenus jus habere intelligitur,ut ipſe tantùm inhabitet, nec hoc jus ad alium transferre poteſt;& vix receptum eſſe videtur, ut hoſpitem ei recipere liceat: & cum uxore, liberiſque ſuis, item libertis: nec non perſonis aliis liberis,quibus non minus,quàm ſervis utitur,habitandi jus habeat. Et convenienter, ſi ad mulierem uſus ædium pertineat, cum marito ei habitare liceat.

*§. II.*

*Præterea retinet qui ſolum in Sedibus uſum,*
*Hactenus hunc uſum retinere putatur, ut ipſe*
*Tantùm habitet, dabitur nec jus transferre*
*poteſtas.*
*Hoſpitē ut accipiat,permiſsū haud eſſe videtur,*
*Cumque ſuis natis,fida cum conjuge ſervis,*
*Libertis,famulis,aliis,quibus utitur ille*
*Non ſecus ac ſervis,habitandi jura tenebit.*
*Si pariter mulier retinebit in ædibus uſum,*
*Cum thalami ſocio licet ipſi habitare marito.*

§. III.

Item is, ad quem ſervi uſus pertinet, ipſe tantùm opera, atque miniſterio ejus uti poteſt,ad alium verò nullo modo jus ſuum transferre ei conceſſum eſt. Idem ſcilicet juris eſt & in jumento.

*§. III.*

*Ipſe miniſterio ſervi,ad quem pertinet uſus,*
*Atque operis uti poterit. Data nulla facultas*
*Hoc Jus ad perſonā aliā transferre. Et in uſu*
*Jumenti hæc ſervanda eadem de jure videtur.*

§. IV.

Sed & ſi pecorum, vel ovium uſus legatus ſit: neque lacte,neque agnis, neque lana utetur uſuarius; quin ea in fructu ſunt. Plane ad ſtercorandum agrum ſuum pecoribus uti poteſt.

*§. IV.*

*Aſt is,cui pecorum,aut ovium legaveris uſum,*
*Non lactè,aut lanis,ullis aut utitur agnis;*
*Hæc etenim ſunt in fructu:permittitur ipſi*
*Aſt uſus pecorum,proprios quò ſtercoret agros.*

§. V.

Sed ſi cui habitatio legata, ſive aliquo modo conſtituta ſit,neque uſus videtur, neque uſusfructus, ſed quaſi proprium aliquod jus: quanquam habitationem habentibus,propter rerum utilitatem, ſecundum Marcelli ſententiam, noſtra deciſione promulgata,permiſimus non ſolùm in ea degere,ſed etiam aliis locare.

*§. V.*

*At verò ſi cui legata habitatio,ſive*
*Ex aliqua fuerit ratione ſtatuta,videtur*
*Non uſus,non uſusfructus, ſed quaſi quoddam*
*Jus proprium,quanquam,ſicut deciſio noſtra*
*Juſſit,Marcellique fuit ſententia,rerum*
*Ut petit utilitas,cunctis permiſimus illis,*
*Queis talis fuerat conceſſa habitatio, in illa*
*Degere non ſolùm,aſt aliis,multiſque locare.*

§. VI.

Hæc de ſervitutibus, & uſufructu, & uſu, & habitatione dixiſſe ſufficiat. De hæreditatibus autem, & obligationibus, ſuis locis proponemus. Expoſuimus ſummatim, quibus modis jure gentium res adquiruntur: modò videamus,quibus modis legitimo, & civili jure adquiruntur.

*§. VI.*

*Hæc dixiſſe ſatis de his Juribus, atque colendi*
*Jure domos,de uſufructu,de quolibet uſu;*
*Aſt alibi planè defuncti jura ferentur, (ris.*
*Et quæ homines obſtringunt,omnia vincula ju-*
*Qua ratione queāt,ſummatim diximus,omnes*
*Res gentis jure acquiri,mox omnia nobis*
*Quomodo quærantur civili jure,videndum eſt.*

*De*

## *De uſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus*

# TITVLVS VI.

JUre civili conſtitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum eſſe, rem emerit, vel ex donatione, aliave quavis juſta cauſa acceperit, is eam rem, ſi mobilis erat anno ubique uno: ſi immobilis, biennio tantùm in Italico ſolo uſucaperet, ne rerum dominia in incerto eſſent. Et quum hoc placitum erat putantibus antiquioribus, dominis ſufficere ad inquirendas res ſuas præfata tempora, nobis melior ſententia reſedit, ne domini maturiùs ſuis rebus defraudentur, neque certo loco beneficium hoc concludatur, & ideo conſtitutionem ſuper hoc promulgavimus, qua cautum eſt, ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò per longi temporis poſſeſſionem (id eſt inter præſentes decennio, inter abſentes viginti annis) uſucapiantur, & his modis non ſolùm in Italia, ſed etiam in omni terra, quæ in noſtro Imperio gubernatur, dominia rerum, juſta cauſa poſſeſſionis præcedente, adquirantur.

*CIvili quondam fuerat de jure ſtatutum,*
*Ut qui à non Domino, Dominum quem credidit eſſe,*
*Rē ſine fraude emit, donove, aut qualibet æqua*
*Accepit cauſa, rem uno, ſi mobilis, anno*
*Poſſet ubique uſu capere, at ſi immobilis eſſet,*
*Italia tantùm bis denis menſibus, atque*
*Quattuor, ut rerum Ditio nè incerta maneret.*
*Hoc verò veteres Dominis ſatis eſſe putarunt*
*Tempus ad inquirenda ſua. At ſententia nobis*
*Inſedit melior, ſubitò ne fraude repulſi*
*Sint rebus Domini, neu ſit concluſa ſtatutis*
*Temporis iſta locis conceſſio; lege cavetur*
*Idcirco noſtra: ut rerum quęcumq; moventur,*
*Per ternos annos uſucapiantur; at illa*
*Quæ remanēt immota locis, diuturna requirūt*
*Tempora. Nimirū Dominus ſi vixerit abſens*
*Annos viginti, poſſeſſio firma tenenda eſt*
*Rerum; ſin præſens, anni bis quinque petuntur;*
*Hiſque modis rerū Dominatus omnibus orbis*
*In terris, noſtra quę ſub ditione tenentur,*
*Dummodò pręcedat cauſa, & poſſeſſio juſta.*

### §. I.

Sed aliquando etiam ſi maximè quis bona fide rem poſſederit, non tamen illi uſucapio ullo tempore procedit: veluti ſi quis liberum hominem, vel rem ſacram, vel religioſam, vel ſeruum legitimum poſſideat.

### *§. I.*

*At quamvis quandoque fide quis tēpore longo*
*Ingenua quicquam poſſederit, attamen illi*
*Nullo uſucapio procedit tempore, ſacram*
*Rem veluti, multa vel Relligione colendam,*
*Aut hominem Domini nullius jure ligatum*
*Si quis poſſideat, ſeruum teneatve fugacem.*

### §. II.

Furtivæ quoque res, & quæ vi poſſeſſæ ſunt, nec ſi prædicto longo tempore bona fide poſſeſſæ fuerint, uſucapi poſſunt, nam furtivarum rerum lex duodecim tabularū, & lex Atilia, inhibent uſucapionem, vi poſſeſſarum, lex Julia, & Plautia.

### *§. II.*

*Res quoq; furtiva, aut quæ vi poſſeſſa tenetur,*
*Abſque dolo poſſeſſa licet, nec tempore dicto*
*Præſcribi poterit. Furtivam namque negavit*
*Uſu poſſe capi in duodenis ſcripta tabellis*
*Lex, & Atilia. ſed quæ vi poſſeſſa tenentur*
*Julia lex inhibet præſcribi, Plautia & arcet.*

### §. III.

Quod autem dictum eſt, furtivarum, & vi poſſeſſarum rerum uſucapionem per leges prohibitam eſſe: non eo pertinet, ut ne ipſe fur, quive per vim poſſidet, uſucapere poſſit (nam his alia ratione uſucapio non competit, quia ſcilicet mala fide poſſident) ſed ne ullus alius, quamvis ab eis bona fide emerit, vel ex alia cauſa acceperit, uſucapiendi

### *§. III.*

*Quod verò furtiva, aut vi poſſeſſa negarunt*
*Uſu poſſe capi leges, non pertinet illuc,*
*Ne vi poſſeſſor, fur aut præſcribere poſſit.*
*Nā ratione alia haud præſcriptio cōpetit illis,*
*Nempe malæ fidei poſſeſſio poſſe vetabit,*
*Hos uſu capere; at ne alius, licet emerit, ullus,*
*Aut alia cauſa quamvis acceperit æqua,*
*Jus habeat præſcribendi. Hinc acquirere longo*

piendi

*Mo-*

piendi jus habeat. Unde in rebus mobilibus non facilè procedit, ut bonæ fidei poſſeſſoribus uſucapio competat. Nam, qui [ ſciens ] alienam rem vendiderit, vel ex alia cauſa tradiderit, furtum ejus committit.

*Mobilia haud facilè is poterit poſseſſor ab uſu;*
*Nam quicumq; ſciens rē alienam vēdidit, atq;*
*Tradidit, hic turpi fœdatur crimine furti.*

§. IV.

Sed tamen id aliquaudo aliter ſe habet; nam ſi hæres rem defuncto commodatam, aut locatam, vel apud eum depoſitam, exiſtimans hæreditariam eſſe, bona fide accipienti vendiderit, aut donaverit, aut dotis nomine dederit: quin is, qui acceperit, uſucapere poſſit, dubium non eſt: quippe cum ea res in furti vitium non ceciderit: quam utique hæres, qui bona fide tauquam ſuam alienaverit, furtum non committat.

§. *IV.*

*Sed tamen hoc aliter debet quandoque putari,*
*Namq; datam defuncto rem utendam, atque locatam,*
*Hunc uel apud poſitam, propriam quam credidit hæres,*
*Si vendat, dederit dono, vel nomine dotis,*
*Nō dubiū eſt, accipiens uſu quin quærere poſſit.*
*Res quippe in furti vitium non venerat illa;*
*Poſseſsor fideique bonæ cum diſtrahat hæres*
*Rē veluti propriā, furti haud eſt labe notādus.*

§. V.

Item ſi is, ad quem ancillæ uſusfructus pertinet, partum ſuum eſſe credens vendiderit, aut donaverit, furtum non committit, furtum enim ſine affectu furandi non committitur.

§. *V.*

*Si quis præterea ancillæ, ad quē pertinet uſus*
*Fructus, vēdiderit, dederit vel munere partu,*
*Eſse ſuū credens, furtū haud cōmittere fertur;*
*Nam ſine furandi affectu furtū eſſe nequibit.*

§. VI.

Aliis quoque modis accidere poteſt, ut quis ſine vitio furti, rem alienam ad aliquem transferat, & efficiat, ut à poſſeſſore uſucapiatur.

§. *VI.*

*Idque modis aliis poterit contingere, furti*
*Abſq; ullo vitio, alterius rē transferat ut quis*
*Ad quendā, et faciat pariter præſcribere eūdē.*

§. VII.

Quod autem ad eas res, quæ ſolo continentur, expedit, jus ita procedit, ut ſi quis loci vacantis poſſeſſionem propter abſentiam, aut negligentiam domini, aut quia ſine ſucceſſore deceſſerit, ſine vi nanciſcatur, quamvis ipſe mala fide poſſideat (quia intelligit, ſe alienum fundum occupaſſe) tamen ſi alii bona fide accipienti tradiderit, poterit ei longa poſſeſſione res adquiri: quia neque furtiuum, neque vi poſſeſſum acceperit. Abolita eſt enim quorundam veterum ſententia exiſtimantium, etiam fundi, locive furtum fieri, & eorum utilitati, qui res ſoli poſſident, principalibus conſtitutionibus proſpicitur, ne cui longa, & indubitata poſſeſſio debeat auferri.

§. *VII.*

*Verū quod res ad ſtabiles, ita jure ſtatutū eſt:*
*Ut ſi cui fuerit poſseſsio fortè vacantis*
*Non vi capta loci, vitam quia vixerit abſēs,*
*Sive piger fuerit Dominus, ſeu liquerit auras*
*Hic ſine ſucceſsore; licet poſseſsor iniquus*
*Ille, quòd alterius cognoverit arva tenere;*
*Juſtus at accipiens præſcribet tempore longo,*
*Nā neque furtiva hæc, neq; vi poſseſsa recepit.*
*Deleta eſt etenim veterum ſententia, fundi,*
*Sive loci furtum fieri qui poſse putabant.*
*Proſpicitur verò noſtris ab Juribus illi,*
*Qui res poſſideat ſtabiles, terraque manentes,*
*Ut ne tollatur longa, & poſseſsio certa.*

§. VIII.

Aliquando etiam furtiva, vel vi poſſeſſa res uſucapi poteſt: veluti ſi in domini poteſtatem reverſa fuerit, tunc enim vitio rei purgato, procedit ejus uſucapio.

§. *VIII.*

*Res quoq; vi poſseſsa interdum quæritur uſu,*
*Vel furtiva, ſuum ad Dominum ſi nempè reverſa;*
*Nam tunc, purgato vitio, præſcriptio currit.*

§. IX. §. *IX.*

§. IX.

Res fiſci noſtri uſucapi non poteſt. Sed Papinianus ſcripſit, bonis vacantibus fiſco nondum nunciatis, bonæ fidei emptorem traditam ſibi rem ex his bonis uſucapere poſſe:& ità diuus Pius, & divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt.

*§. IX.*

*Noſtri res Fiſci præſcribere nulla poteſtas.*
*Aſt,ut Papinianus ait,non cognita Fiſco*
*Si bona adhuc eſſent nonnulla vacantia, juſtus*
*Quodlibet ex illis emptor ſibi cæperit uſu,*
*Ut Pius,Antoninus ſcripſerat,atque Severus.*

§. X.

Noviſſimè ſciendum eſt,rem talem eſſe debere,ut in ſe non habeat vitium,ut à bonæ fidei emptore uſucapi poſſit, vel qui ex alia juſta cauſa poſſidet.

*§. X.*

*Res verò vitium non ullum debet habere*
*In ſe,ut jure emptor juſtus præſcribere poſſit,*
*Aut alia juſta cauſa qui poſſidet illam.*

§. XI.

Error autem falſæ cauſæ uſucapionem non parit; veluti ſi quis cum non emerit, emiſſe ſe exiſtimans, poſſideat: vel cum ei donatum non fuerit,quaſi ex donatione poſſideat.

*§. XI.*

*Falſæ at cauſæ uſucapionē haud parturit error,*
*Ut ſi poſſideat quis,quod non emerit,ante*
*Se ſe emiſſe putans: conceſſum munere credens.*
*Vel quaſi poſſideat,quod nō dono ante tributū.*

§. XII.

Diutina poſſeſſio, quæ prodeſſe cæperat defuncto, & hæredi, & bonorum poſſeſſori continuatur, licet ipſe ſciat, prædium alienum eſſe: quòd ſi ille initium juſtum non habuerit:hæredi,& bonorum poſſeſſori,licet ignoranti, poſſeſſio non prodeſt. Quod noſtra conſtitutio ſimilitèr & in uſucapionibus obſervari conſtituit, ut tempora continuentur. Inter venditorem quoque,& emptorem conjungi tempora, divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt.

*§. XII.*

*Quæ verò vita functum poſſeſsio cæpit*
*Longa juvare,hæredi etiam prodeſſe, bonorum*
*Ac poſſeſſori debet,licet ipſe putarit*
*Alterius fundum.Verùm ſi exordia juſta*
*Non habet ille, juvat nunquam poſseſsio, quamvis*
*Ignoret.Pariter mandat quod ſanctio noſtra*
*Servari in cunctis uſucapionibus omne*
*Tēpus continuum.Inter eum,qui vēdidit inde,*
*Inter & emptorem juſtum debere Severus,*
*Atque Antoninus conjungi tempora ſcripſit.*

§. XIII.

Edicto divi Marci cavetur eum, quià fiſco rem alienam emit, ſi poſt venditionem quinquennium præterierit, poſſe dominum rei exceptione repellère. Conſtitutio autem divæ memoriæ Zenonis bene proſpexit iis,quià fiſco per venditionem, aut donationem,vel alium titulum accipiunt aliquid: vt ipſi quidem ſecuri ſtatim fiant: & victores exiſtant,ſive experiantur, ſive conveniantur.Adversùs autem ſacratiſſimum ærarium uſque ad quadriennium liceat eis intendere,qui pro dominio,vel hypotheca earum rerum,quæ alienatæ ſunt,putaverint ſibi quaſdam competere actiones. Noſtra autem divina conſtitutio, quam nuper promulgavimus etiam de iis,qui à noſtra, vel venerabilis Auguſtæ domo aliquid acceperint,hæc ſtatuit,quæ in fiſcalibus alienationibus præfatæ Zenonianæ conſtitutionis continentur.

*§. XIII.*

*Ut Divi Marci edicto, juſsuque cavetur,*
*Qui emerit à Fiſco rem alienā,lapſus et inde*
*Annus ſit quintus,Dominum tunc ille repellat*
*Jure ſuo,defendat eum cum exceptio Juris.*
*Sanctio ſed divi Zenonis conſulit illi,*
*Dono aliquid qui a Fiſco,aut vēditione recepit,*
*Aut alio titulo,reddatur ut illicò tutus,*
*Et victor, ſeu conveniat, ſeu conveniatur.*
*At verò liceat ſacrata æraria contra*
*Quattuor uſque annos illis intendere, rerum*
*Qui diſtractarū pro hypotheca poſse putarint,*
*Vel dominatu agere. At quam promulgavimus ante,*
*Sāctio de his,qui à noſtra, vel venerabilis ęde*
*Auguſtæ accipiunt aliquid,ſervarier illa*
*Mandavit:fuerant Zenonis lege ſtatuta*
*Quæ prius, a Fiſco cum ſit diſtractio rerum.*

H De

## *De Donationibus*

# TITVLVS VII.

EST & aliud genus adquiſitionis donatio. Donationum autem duo ſunt genera; mortis cauſa, & non mortis cauſa.

§. I.

Mortis cauſa donatio eſt, quæ propter mortis fit ſuſpitionem: cum quis ita donat, ut ſi quid humanitùs ei contigiſſet, haberet is, qui accepit: ſin autem ſupervixiſſet: is, qui donavit, reciperet: vel ſi eum donationis pœnituiſſet, aut prior deceſſerit, cui donatum ſit. Hæ mortis cauſa donationes ad exemplum legatorum redactæ ſunt per omnia: nam cum prudentibus ambiguum fuerat, utrum donationis, an legati inſtar eam obtinere oporteret, & utriuſque cauſæ quędā habebat inſignia, & alii ad aliud genus eam retrahebant: à nobis conſtitutum eſt, ut per omnia fere legatis connumeretur, & ſic procedat, quemadmodum noſtra conſtitutio eam formavit. Et in ſumma mortis cauſa donatio eſt, cum magis ſe quis velit habere, quàm eum, cui donat: magiſque eum, cui donat, quàm hæredem ſuum: ſic & apud Homerum Telemachus donat Piræo.

Πεῖραι, οὐ γάρ τ' ἴδμεν ὅπως ἔςαι τάδε ἔργα.
Εἴκεν ἐμὲ μνηςῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι.
Λάθρῃ κτείναντες. πατρώια πάντα δάσωνται.
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ' ἐπαυρέμεν ἤ τινα τῶνδε
Εἰ δέ κ' ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

§. II.

Aliæ autem donationes ſunt, quæ ſine ulla mortis cogitationes fiunt, quas inter vivos appellamus, quæ non omnino comparantur legatis: quæ ſi fuerint perfectæ, temerè revocari non poſſunt. Perficiuntur autem, cum donator ſuam voluntatem ſcriptis, aut ſine ſcriptis manifeſtaverit. Et ad exemplum venditionis noſtra conſtitutio eas etiam in ſe habere neceſſitatem traditionis voluit: ut etiam ſi non traduntur, habeant pleniſſimum, & perfectum robur, & tra-

*ET donis etiam poterit dominatio rerum*
*Acquiri. Duplex autem donatio, prima*
*Eſt mortis cauſa, non cauſa eſt altera mortis.*

§. I.

*Jam verò mortis cauſa donatio fertur,*
*Quæ mortis confecta è ſuſpicione putatur,*
*Cum quis donat ità, ut vita ſi liquerit auras,*
*Ille habeat, qui accepit, ſin autem ipſe ſuperſtes,*
*Donans accipiat: grati aut ſi muneris ipſum*
*Pœniteat, vitave prior deceſſerit ille,*
*Cui ſit donatum. Fuerant per cuncta reducta*
*Omnis ad exemplum legati munera mortis*
*Cauſa; viſū etenim fuerat prudētibus anceps,*
*Utrum legatorum, an muneris inſtar haberi*
*Deberent; utriuſque et cauſæ inſignia quædam*
*Servabant, aliudq; alii ad genus illa trahebāt.*
*Ut verò à nobis ſacro de jure ſtatutum,*
*Iſt par legatis donatio dicta putanda,*
*Proceditque velut mandarat ſanctio noſtra.*
*In ſumma mortis cauſa donatio fiet,*
*Cum mage ſe cupiat quis eo, cui donat, habere,*
*Et mage cui donat, quàm illum, qui ſcriptus et hæres.*
*Telemachus verò numeris ſic donat Homeri:*

*Pirçi, incertus quoniā rerum exitus harū eſt,*
*Si tacita incautum ſtolidi me fortè necare*
*Morte proci poterūt, & opes vexare paternas:*
*Hæc ego te malo, quā illorū quempiam habere;*
*Sin ego eos juſta meritos affecero clade,*
*Tum mihi tu læto reddes illa omnia lætus.*

§. II.

*Altera non mortis cauſa donatio fiet,*
*Quam nos inter vivos appellare ſolemus,*
*Atque parē haud penitus legatis eſſe fatemur,*
*Perfectamq; aliquis temerè revocare nequibit.*
*Perficitur verò ſcriptis donatio talis,*
*Aut ſine ſcriptura, donantis certa voluntas*
*Prodita cum fuerit. Divina & ſanctio noſtra*
*Venditionis ad exemplum rem tradere juſſit*
*Donantē debere, etiam, ut non tradita quāvis*
*Res fuerit, perfectum habeat donatio robur,*
*De-*

traditionis neceſſitas incumbat donatori. Et cum retro Principum diſpoſitiones inſinuari eas actis intervenientibus volebant,ſi majores fuerant ducentorum ſolidorum: conſtitutio noſtra eam quantitatem uſque ad quingentos ſolidos ampliavit,quam ſtare etiam ſine inſinuatione ſtatuit: ſed & quaſdam donationes invenit, quæ penitus inſinuationem fieri minimè deſiderant, ſed in ſe pleniſſimam habent firmitatem. Alia inſuper multa ad uberiorem exitum donationum invenimus: quæ omnia ex noſtris conſtitutionibus, quas ſuper his expoſuimus,colligenda ſunt. Sciendum eſt tamen, quòd etſi pleniſſimæ ſint donationes: ſi tamen ingrati exiſtant homines, in quos beneficium collatum eſt, donatoribus per noſtram conſtitutionem licentiã præſtitimus, certis ex cauſis eas revocare, ne illi, qui ſuas res in alios contulerint, ab his quandam patiantur injuriam, vel jacturam ſecundum enumeratos in conſtitutione noſtra modos.

*Debeat & donatã rem ipſam tradere donans.*
*Priſci Regnantes cum interveuientibus actis*
*Inſinuari illam vellent, ſi fortè fuiſset*
*Bis eentum major ſolidis. At ſanctio noſtra*
*Ad ſolidos voluit quingentos creſcere poſse,*
*Stare et decrevit, licet inſinuatio abeſset,*
*Invenitque alias, queis inſinuatio nulla*
*Poſcitur: in ſe quæ pleniſſima robora habebunt.*
*Plurima ad uberiorem doni invenimus ipſi*
*Præterea finem, fuerint quæ cuncta legenda*
*Legibus è noſtris, ſuper his quas edimus ante.*
*At verò quamvis fuerit donatio plena,*
*Attamen ingrato ſi animo fortaſse notati*
*Exiſtant homines, queis ſit donatio facta,*
*Certis ex cauſis illam revocare facultas*
*Donanti noſtro fuerat de jure tributa,*
*Nè qui contulerint aliis ſua, fortè graventur,*
*Multũq; accipiant damnũ, nullumq juvamen.*
*Idque modis fiet, numerat quos ſanctio noſtra.*

§. III.

Eſt & aliud genus inter vivos donationis, quod veteribus quidem prudentibus penitus erat incognitum,poſteà autem à junioribus divis Principibus introductum eſt, quod ante nuptias vocabatur:& tacitè in ſe conditionem habebat, ut tunc ratum eſſet, cum matrimonium eſſet inſequutum. Ideoque ante nuptias appellabatur, quòd ante matrimonium efficiebatur, & nunquam poſt nuptias celebratas talis donatio procedebat. Sed primus quidem divus Juſtinus pater noſter, cum augeri dotes & poſt nuptias fuerat permiſſum: ſi quid tale evenerit,& ante nuptias augeri donationem,& conſtante matrimonio,ſua conſtitutione permiſit: ſed tamen nomen inconveniens remanebat,cum ante nuptias quidem vocabatur,poſt nuptias autem tale accipiebat incrementum. Sed nos pleniſſimo fini tradere ſanctiones cupientes,& conſequentia nomina rebus eſſe ſtudentes, conſtituimus,ut tales donationes non augeãtur tantùm, ſed etiam,conſtante matrimonio,initium accipiant: & non antè nuptias, ſed propter nuptias vocentur: & dotibus in hoc exæquentur,ut quemadmodum dotes conſtante matrimonio, non ſolùm augentur, ſed

§. III.

*Eſt inter vivos etiam donatio quædam,*
*Antiquis penitus Juris non nota peritis.*
*Hæc verò introducta fuit venientibus inde*
*Principibus Divis, ſacra ante jugalia dicta,*
*Atque in ſe tacitam conſuevit claudere legem,*
*Ut rata tunc eſset, connubia ſacra ſecuta*
*Cũ eſſent; idcircò antè jugalia ſacra vocata eſt*
*Illa, quòd antè ſacri ſocialia fædera lecti*
*Fiebat, nunquam lecti poſt jura jugalis.*
*Juſtinus verò primus permiſerat, ante*
*Cum fuerat permiſſum, poſt connubia dotes*
*Augeri, paritèr ſi quid contingeret, antè*
*Connubium augeri dona, & conſtante jugali*
*Jure, tamen non conveniens, aptumq; manebat*
*Nomen; nam dicta eſt talis donatio ſacros*
*Ante thoros, ſacri accipiens poſt fœdera lecti*
*Incrementum. Perfecto ſed tradere fini*
*Nos cupidi leges, & convenientia rebus*
*Nomina cuncta ſuis, voceſque aptare ſtudẽtes,*
*Juſſimus ut non hæc tantùm donatio creſcat,*
*Sed quoque principium capiat, conſtante jugali*
*Jure, neque antè, at propter fœdera ſacra vocetur.*
*At verò exæquatur in hoc jam dotibus illa,*
*Ut veluti dotes creſcunt, fiuntque, jugali*
*Jure manente, pari ratione jugalia propter*

ſed etiam fiunt: ità & iſtæ donationes, quæ propter nuptias introductæ ſunt, non ſolùm antecedant matrimonium, ſed eo etiam contracto, augeantur, & conſtituantur.

*Præcedat, quæ inducta fuit donatio, ſacro*
*Non modò connubio, lecti ſed fœdere juncto;*
*Concreſcat, piriterq; habeat primordia prima.*

§. IV.

Erat olim, & alius modus civilis adquiſitionis, per jus adcreſcendi, quod eſt tale: Si communem ſeruum habens aliquis cum Titio, ſolus libertatem ei impoſuerit, vel vindicta, vel teſtamento: eo caſu pars ejus amittebatur, & ſocio adcreſcebat. Sed cum peſſimum fuerat exemplum, & libertate ſeruum defraudari: & ex eo humanioribus quidem dominis damnum inferri, ſævioribus autem dominis lucrum accedere, hoc quaſi invidia plenum, pio remedio per noſtram conſtitutionem mederi neceſsarium duximus. Et invenimus viam, per quam & manumiſſor, & ſocius ejus, & qui libertatem accepit, noſtro beneficio fruantur, libertate cum effectu procedente (cujus favore antiquos legum latores multa etiam contra communes regulas ſtatuiſſe, manifeſtum eſt) & eo, qui eam libertatem impoſuit, ſuæ libertatis ſtabilitate gaudente: & ſocio indemni conſervato, pretiumque ſervi ſecundum partem dominii, quod nos definivimus, accipiente.

§. IV.

*Aſt alitèr poterat quondam dominatio rerum*
*Per jus adcreſcendi acquiri, nempè fidelem*
*Si quis habens ſeruum, & cõmunẽ, triſte ligamẽ*
*Solverit illius vindicta, ſivè ſupremis*
*In tabulis, ſocio adcreſcebat portio grata*
*Libertatis. Erat verò quia peſſima imago,*
*Seruum fraudari tum libertate, benignis*
*Tum damnum inferri Dominis, accedere lucrũ*
*Et Sævis. Hoc invidia velut undique plenum*
*Nos pietate mederi duximus eſſe neceſſum,*
*Atque vias tandem faciles invenimus ipſi,*
*Quò ipſe manumiſſor, ſociuſq; favore fruatur*
*Noſtro, & libertus. Libertas inde manebit,*
*Pro qua latores legum jam multa priores*
*Communes contra normas ſtatuiſse, videntur;*
*Et qui diſſoluit ſervilia vincula ſervi,*
*Gaudeat ille ſui largi firmamine doni,*
*Indemnis ſocius ſervetur, denique partem*
*Accipiat pretii, quod definivimus ante.*

## *Quibus alienare licet, vel non*

## TITVLVS VIII.

ACcidit aliquando; ut qui dominus ſit, alienare non poſſit: & contra, qui dominus non ſit, alienandæ rei poteſtatem habeat. Nam dotale prædium maritus, invita muliere, per legem Juliam prohibetur alienare: quamvis ipſius ſit dotis cauſa ei datum: quod nos legem Juliam corrigentes, in meliorem ſtatum deduximus. Cum enim lex in ſolis tantummodò rebus locum habebat, quæ Italicæ fuerant: & alienationes inhibeat, quæ invita muliere fiebãt, hypothecas autem earum rerum, etiam volente ea: utrique remedium impoſuimus, ut etiã in eas res, quæ in provinciali ſolo poſitæ ſunt, interdicta ſit alienatio, vel obligatio, ut neutrum eorum neque conſentientibus mulieribus procedat; ne ſexus muliebris

*ACcidit interdum, ut Domino ſit nulla facultas*
*Res alienandi: contra hæc conceſſa poteſtas*
*Non rerum eſt Domino; dotalia nãque marito*
*Prædia lex fieri alterius, ſi fœmina nolit,*
*Julia conſtituit, quamvis data nomine dotis*
*Ipſius fuerint. Verùm correximus ipſi*
*Hanc legem, inque ſtatum meliorem duximus, ipſa*
*Namq; locum Italicis tantùm lex rebus habebat,*
*Atque alienari prohibebat conjugis ullo*
*Rem ſine conſenſu dotalem, ipſaque volente*
*Rerum hypothecas. Nos autẽ moderamẽ utriq;*
*Addimus, ut poſitæ quæ aliis sũt partibus orbis*
*Res alienari, ipſarum atq; hypotheca vetetur,*
*Ut neutrum procedat eorum, conjugis ante*
*Quam-*

bris fragilitas in pernicem ſubſtantiæ earum convertatur.

§. I.

Contra autem creditor pignus ex pactione,quamvis ejus ea res non ſit,alienare poteſt. Sed hoc forſitan ideò videtur fieri, quòd voluntate debitoris intelligitur pignus alienari, qui ab initio contractus pactus eſt,ut liceat creditori pignus vẽdere,ſi pecunia non ſolvatur.Sed ne creditores jus ſuum proſequi impedirentur, neque debitores temerè ſuarum rerum dominium amittere viderentur: noſtra conſtitutione conſultum eſt, & certus modus impoſitus eſt, per quem pignorum diſtractio poſſit procedere:cujus tenore utrique parti, creditorũ,& debitorũ,ſatis abũdè proviſũ eſt.

§. II.

Nunc admonendi ſumus, neque pupillum,neque pupillam ullam rem ſine tutoris auctoritate alienare poſſe. Ideòque ſi mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem: quia pecuniam non facit accipientis, ideoque vindicari nummi poſſunt,ſicubi extant. Sed ſi nummi, quos mutuo minor dederit, ab eo, qui accepit, bona fide conſumpti ſunt:condici poſſunt, ſi mala fide, ad exhibendum de his agi poteſt. At ex contrario, omnes res pupillo, & pupillæ ſine tutoris auctoritate,rectè dari poſsũt.Ideoq;ſi debitor pupillo ſolvat,neceſſaria eſt debitori tutoris auctoritas,alioqui nõ liberabitur. Sed hoc etiã evidentiſſima ratione ſtatutũ eſt in conſtitutione, quam ad Cæſarienſes advocatos ex ſuggeſtione Triboniani, viri eminentiſſimi, quæſtoris ſacri palatij noſtri, promulgavimus, qua diſpoſitum eſt, ità licere tutori,vel curatori debitorem pupillarem ſolvere,ut priùs judicialis ſententia ſine omni damno celebrata, hoc permittat: quo ſubſequuto,ſi & judex pronunciaverit, & debitor ſolverit, ſequatur huiuſmodi ſolutionem pleniſſima ſecuritas. Sin autem alitèr,quàm diſpoſuimus, ſolutio facta fuerit, pecuniam autem ſalvam habeat pupillus, aut ex ea locupletior ſit, & adhuc eandem pecuniæ ſummam petat: per exceptionem doli mali poterit ſubmoveri. Quòd ſi malè conſumpſerit,aut furto, (aut vi) amiſerit:nihil proderit debitori doli mali ex-

ceptio,

*Quamvis adfuerit quæcumque aſſentio certa,*
*Fœmina nè fragilis propriæ ſit cauſa ruinæ.*

§ I.

*Ex adverſo quiſque poteſt ſed vendere pignus*
*Creditor ex pacto,quamvis non ipſius illa*
*Res fuerit;tamen hoc fieri fortaſſe videtur,*
*Debentis Domini quòd noſcitur eſſe voluntas*
*Alterius fieri pignus,quia fœdus inivit*
*Principio contractus,ipſe ut vendere poſſet*
*Creditor hoc pignus,fuerit ni fortè ſolutum,*
*Quod debetur ei: Sed ne ſua quærere jura*
*Creditor impediatur, ne ſua debitor ullus*
*Amittat temerè,noſtro de jure ſtatutum eſt,*
*Impoſituſque modus certus,procedere poſſit*
*Pignoris illius ut diſtractio: Cujus utrique*
*Proviſum eſt parti nimiumque,ſatiſq;tenore.*

§. II.

*Aſt à pupillo rerum diſtractio nulla*
*Confieri poterit,tutor ni comprobet actum;*
*Hinc data ſi fuerit pretioſa pecunia ab illo*
*Mutua, ni id Tutor præſẽs corroboret Auctor,*
*Nullus contractus fuerit, nihil obligat unquã,*
*Accipienſque ſuos nummos non fecerit, illos*
*Idcircò Dominus pupillus vindicat,extant*
*Sicubi.Si accipiens nummos conſumpſerit inde,*
*Ingenuaque fide,condici poſſe videntur;*
*Sin fortaſſe fide prava,conceſſa putatur*
*Actio,ut exhibeat, nummos quicumq;tenebit.*
*At ſine tutoris conſenſu jura puello*
*Cuncta dari poſſunt. Ideo ſi debitor illi*
*Solvat,ſolventi tutor depoſcitur auctor,*
*Non erit hic alioqui alieno liber ab ære.*
*Sed fuit hoc etiam clara ratione ſtatutum*
*Jure,quod edidimus,noſtro quæſtore diſerto,*
*Et claro dictante viro,dedimuſque Patronis*
*Cæſareis,puero debens ut poſſit ab ipſo*
*Tutore abſolvi,verùm celebrata ſit ante*
*Judicis abſque omni prudens ſententia damno:*
*Qua poſita,eſt ſolvens tutus,penituſq;ſolutus.*
*Sin aliter fuerit confecta ſolutio,nummos*
*Et ſalvos habeat pupillus,ſive locuples*
*Sit magis ex illis,& adhuc expoſcat eoſdem,*
*Jure doli hunc removere poteſt exceptio pravi.*
*Sin male perdiderit,furto,aut vi amiſerit,illi,*
*Qui ſolvit,talis quicquam haud exceptio prodeſt.*

*Sed*

ceptio, ſed nihilominus condemnabitur: quia temerè ſine tutoris auctoritate, & non ſecundùm noſtram diſpoſitionem ſolverit. Sed ex diverſo, pupilli, vel pupillæ ſolvere ſine tuturis auctoritate non poſsūt, quia id, quod ſoluunt, non fit accipientis: quum ſcilicet nullius rei alienatio eis ſine tutoris auctoritate conceſſa ſit.

*Sed quoniam temerè, cōtraque eſt jura ſolutū,*
*Tutoriſque ſine aſsenſu, dominabitur ille.*
*At ſine conſilio Tutorum ſolvere nunquam*
*Pupilli poſsunt; quidquid ſit namque ſolutum,*
*Id non accipientis erit, eum ſcilicet ipſis,*
*Tutore abſente, haud detur diſtractio rerum.*

## *Per quas Perſ( nas cuique adquiritur*

## TITVLVS IX.

ADquiritur vobis non ſolùm per voſmetipſos, ſed etiam per eos, quos in poteſtate habetis: (item per ſervos, in quibus uſumfructum habetis:) item per homines liberos, & per ſervos alienos, quos bona fide poſſidetis, de quibus ſingulis diligentiùs diſpiciamus.

*NOn ſolùm vobis per vos adquiritur ipſos,*
*Sed per eos etiam, retinet quos veſtra poteſtas,*
*Per ſervos itidē, in quibus uſusfructus habetur,*
*Atque per ingenuos homines, nec non alienos*
*Per ſervos, ipſi quos nulla fraude tenetis.*

### §. I.

Igitur liberi veſtri utriuſque ſexus, quos in poteſtate habetis, olim quidē, quicquid ad eos pervenerat (exceptis videlicet caſtrenſibus peculiis) hoc parentibus ſuis adquirebant ſine ulla diſtinctione, & hoc ita parentum fiebat, ut etiam eſſet eis licentia, quod per unum, vel unam eorum adquiſitum eſſet, alii filio, vel extraneo donare, vel vendere, vel quocunque modo voluerant, adplicare. Quod nobis inhumanum viſum eſt, & generali conſtitutione emiſſa, & liberis pepercimus, & patribus honorem debitum reſervavimus. Sancitum etenim à nobis eſt, ut ſi quid ex re patris ei obveniat, hoc ſecundùm antiquam obſervantiam totum parenti adquiratur. Quæ enim invidia eſt, quod ex patris occaſione profectum eſt, hoc ad eum reverti? Quod autem ex alia cauſa ſibi filius familias adquiſivit: hujus uſumfructum patri quidem adquirat, dominium autem apud eum remaneat: ne quod ei ſuis laboribus, vel proſpera fortuna acceſſerit, hoc in alium perveniens, luctuoſum ei procedat.

### *§. I.*

*Veſtri igitur geniti, cohibet quos veſtra poteſtas*
*Jure, ad eos certè quidquid pervenerat olim,*
*Exceptis tantùm rebus caſtrenſibus, omne*
*Quærebant vobis, habito diſcrimine nullo.*
*Idq; ità fiebat patrum, ut quoq; certa facultas*
*His conceſſa foret, quod quæſivere per unum*
*Natum, alii genito, aut externo tradere dono,*
*Aut alienare, ex quavis ratione placeret.*
*Quod ſat inhumanū viſū eſt. Hinc jure ſtatuto,*
*Parcimus & nato, nataque, ipſique Parenti,*
*Qui meritò debetur ei, ſervamus honorem;*
*Namq; fuit noſtro generatim jure ſtatutum,*
*Rebus ut è Patris ſi quicquam obvenerit illi,*
*Quæratur totum antiquo de more Parenti;*
*Quæ nāque invidia eſt ad Patrē poſse reverti,*
*Antequod ex ipſo fuerat genitore profectum?*
*Quod verò ex alia adquiſivit origine gnatus,*
*Patri uſumfructum adquirat, dominetur & ipſe,*
*Nè quod ei acceſſit fortuna ſive ſecunda,*
*Sive labore ſuo, cum alios advenerit, ipſi*
*Sit plenum multo luctu, nimioque dolore.*

### §. II.

Hoc quoque à nobis diſpoſitum eſt, & in ea ſpecie, ubi parens emancipando liberos ſuos ex rebus, quæ adquiſitionem effugiebant, ſibi tertiam partem retinere (ſi voluerat)

### *§. II.*

*Hoc quoque diſpoſitum à nobis, ubi tertia jure,*
*Antiquo poterat retineri portio Patri*
*Ex rebus nati, Dominus quarū eſse nequibat*
*Poſtquam eſſet patrio prognatus Jure ſolutus,*

lucrat) licentiam ex anterioribus conſtitutionibus habebat, quaſi pro pretio quodammodo emancipationis: & inhumanum quiddam accidebat, ut filius rerum ſuarum ex hac emancipatione dominio pro parte (tertia) defraudaretur: & quod honoris ei ex emancipatione additum erat, quòd ſui juris effectus eſſet, hoc per rerum diminutionem decreſceret. Ideòque ſtatuimus, ut parens pro tertia parte dominii, quam retinere poterat, dimidiam non dominii rerū, ſed uſusfructus retineat. Ità etenim res intactæ apud filium remanebunt, & pater ampliore ſumma fruetur, pro tertia dimidia potiturus.

*Cum quaſi pro pretio quadam ratione teneret*
*Hāc partē: quod inhumanū eveniebat, ut, ante*
*Quòd Patris fuerat prognatus jure ſolutus,*
*Immeritò ipſi auferretur pars tertia rerum,*
*Et quod honoris ei diſſolvi jure Parentis*
*Addidit, hoc auferret facta minutio rerum.*
*Ideircò eſt nobis ſacro de Jure ſtatutum,*
*Ut pro parte priùs dicta, retinere parentes*
*Quā poterant, nunc dimidio dominētur in uſuFructu. Sic genitis ſua res intacta manebit,*
*Hac ratione Patres ſumma majore fruentur*
*Dimidiam partem prò terna parte habituri.*

§. III.

Item vobis adquiritur, quod ſervi veſtri ex traditione nanciſcuntur, ſive quid ſtipulentur, ſive ex donatione, vel ex legato, vel ex qualibet alia cauſa adquirant. Hoc enim vobis ignorantibus, & invitis obvenit. Ipſe enim ſeruus, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt. Sed ſi hæres inſtitutus ſit, non aliàs niſi veſtro juſſu, hæreditatem adire poteſt. Et ſi vobis jubentibus adierit: vobis hæreditas adquiritur, perinde ac ſi vos ipſi hæredes inſtituti eſſetis. Et convenientèr ſcilicet vobis legatum per eos adquiritur. Non ſolùm autē proprietas per eos, quos in poteſtate habetis, vobis adquiritur: ſed etiam poſſeſſio: Cuiuſcunque enim rei poſſeſſionem adepti fuerint, id vos poſſidere videmini. Unde etiam per eos uſucapio, vel longi temporis poſſeſſio vobis accidit.

§. *III.*

*Illud præterea vobis adquiritur omne,*
*Quod ſervi adquirunt veſtri, quia traditur ipſis,*
*Sive datur dono, legati aut nomine, cauſa*
*Aut alia; vobis etenim ignorantibus iſtud*
*Obvenit, atq; invitis; Seruus namq; poteſtas*
*Quem premit alterius, rerum nil juris habere*
*Ipſe poteſt. Verùm fuerit ſi ſortè ſtatutus*
*Hæres, non alitèr veſtris niſi juſſibus ille*
*Jura hæredis adire poteſt. Mandantibus hæres*
*Si vobis fuerit, vobis As quæritur omnis,*
*Non ſecus atque ipſi defuncti ad jura vocati*
*Eſſetis. Vobis paritèr legata per illum*
*Quæruntur. Vobis autem conquiritur omnis*
*Non modò proprietas, verùm poſſeſſio ab illo,*
*Quē veſtra imperioſa premit ſub jure poteſtas;*
*Nam rerum ſervi Dominus poſſeſſor habetur,*
*Tempore quas omni ſeruus poſſederit ipſe.*
*Unde etiam per eum vobis præſcriptio Jure,*
*Temporis aut longi poſſeſſio contigit omnis.*

§. IV.

De iis autem ſervis, in quibus tantummodò uſumfructum habetis, ità placuit: ut quicquid ex re veſtra, vel ex operis ſuis adquirant, id vobis adiiciatur; quod verò extra eas cauſas conſequuti ſunt, id ad dominum proprietatis pertineat. Itaque ſi is ſeruus hæres inſtitutus ſit, legatumve quid ei, aut donatum fuerit: non uſufructuario, ſed domino proprietatis adquiritur. Idem placet & de eo, qui à vobis bona fide poſſidetur: ſive is liber ſit, ſive alienus ſeruus. Quod enim placuit de uſufructuario, idem placet & de bonæ fidei poſſeſſore. Itaque quod extra iſtas duas cauſas adquiritur: id vel

§. *IV.*

*De ſervo verò, cujus tantummodò habetis*
*Uſumfructum, ſic placuit diſponere jure,*
*Ut quod veſtra ex re, aut operis quæſiverit ille,*
*Quæratur nobis: quod eas quæſiuerit extra*
*Cauſas, ad proprium ſpectet Dominum. Ergo ſtatutus*
*Hæres ſi fuerit ſeruus, legata relicta,*
*Donatū aut quid ei, Domino nō quæritur uſuFructus, ſed proprio. Paritèr decernere nobis*
*Et de illo eſt placitum, cujus poſſeſſio habetur*
*Forte fide ingenua, Domini ſeu liber ab omni*
*Jure ſit, alterius ſeu ſeruus pondere preſſus;*
*Namque bonæ fidei de poſſeſſore ſtatutum*
*Eſt,*

vel ad ipſum pertinet, ſi liber eſt: vel ad dominum, ſi ſeruus eſt. Sed bonæ fidei poſſeſſor eum uſucæperit ſeruum, ( quia eo modo dominus fit ) ex omnibus cauſis per eum ſibi adquirere poteſt. Fructuarius verò uſucapere non poteſt; primùm, quia non poſſidet, ſed habet jus utendi, fruendi: deinde, quia ſcit ſeruum alienum eſſe. Non ſolùm autem proprietas per eos ſervos, in quibus uſumfructum habetis, vel quos bona fide poſſidetis, aut per liberam perſonam, quæ bona fide vobis ſervit, vobis adquiritur, ſed etiam poſſeſſio. Loquimur autem in utriuſq; perſona ſecundùm diſtinctionem, quam proximè expoſuimus: id eſt, ſi quam poſſeſſionem ex re veſtra, vel ex ſuis operis adepti fuerint.

*Eſt, noſtro quicquid placito mādavimus uſus-*
*Fructus de Domino. Cauſas quod quęritur ergo*
*Extra præfatas, quærentem ſpectat ad ipſum,*
*Eſt ſi liber homo, ad Dominū ſi ſeruus habetur.*
*Sed quicumque bonæ fidei cum cæperit uſu*
*Poſſeſſor ſeruum ( quia dicitur eſſe )*
*Omnibus ex cauſis poterit ſibi quærere ab illo.*
*At fructus Dominus poterit præſcribere nullo*
*Pacto; nam ratione ulla haud poſſeſſor habe-*
*tur,*
*Aſt habet utendi ſolum jus, atque fruendi,*
*Et quoniam alterius noſcit ſub jure teneri.*
*Proprietas autem non ſolùm acquiritur omnis,*
*Rerum verùm etiam ſervis poſſeſſio ab illis,*
*In quibus à vobis uſus jam fructus habetur,*
*Sive bonæ quorum fidei eſt poſſeſſio vobis,*
*Seu per perſonam, quæ, quamvis libera ſervit.*
*Hæc in perſona à nobis utriuſque feruntur*
*Juxtà diſcrimen, paulò quod diximus ante,*
*Quicquam poſſideat ſeruus ſi ſcilicet, ex re*
*Quod veſtra, aut propriis operis quæſiverit*
*ipſe.*

§. V.

Ex his itaque apparet, per liberos homines, quos neque veſtro juri ſubjectos habetis, neque bona fide poſſidetis: item per alienos ſervos, in quibus neque uſumfructum habetis, neque poſſeſſionem juſtam: nulla ex cauſa vobis adquiri poſſe. Et hoc eſt, quod dicitur, per extraneam perſonam nihil adquiri poſſe: excepto eo, quod per liberam perſonam (veluti per procuratorem) placet, non ſolùm ſcientibus, ſed & ignorantibus vobis adquiri poſſeſſionem, ſecundùm divi Severi conſtitutionem: & per hanc poſſeſſionem etiam dominium, ſi dominus fuerit, qui tradidit: vel uſucapionem, aut longi temporis præſcriptionem, ſi dominus non ſit.

§. *V.*

*Per perſonā ergo, vinclo quę libera ab omni eſt,*
*Quā neq; vos veſtro Dominorū jure premetis,*
*Nec poſſeſſores juſti ſine fraude tenetis,*
*Per ſervos etiam, quorum poſſeſſio juſta*
*Non fuit, atque uſusfructus non ullus habetur,*
*Non aliqua ex cauſa vobis res quęritur ulla.*
*Idque eſt, quod fertur, perſonam haud quærere*
*quicquam*
*Externam vobis. Verùm poſſeſſio rerum*
*Vobis gnaris, ignariſque acquiritur omnis*
*Omninò per perſonam, quæ libera habetur,*
*Ut placuit nobis, ſtatuit Diuuſq; Severus:*
*Et dominatū etiā hæc vobis poſſeſſio trāsfert,*
*Si Dominus fuerit quiſquis rem tradidit illā,*
*At ſi non Dominus, facit id pręſcriptio longa.*

§. VI.

Hactenus tantiſper admonuiſſe ſufficiat, quemadmodū ſingulæ res vobis adquiruntur; nam legatorum jus, quo & ipſo ſingulæ res vobis adquiruntur: item fideicommiſſorum, ubi ſingulæ res vobis relinquuntur: opportuniùs inferiore loco referemus. Videamus itaque nunc, quibus modis per univerſitatem res vobis adquirantur. Si cui ergo hæredes facti ſitis, ſive cujus bonorum poſſeſſionem petieritis, vel ſi quem adrogaveritis, vel ſi cujus bona libertatum cōſervan-

darum

§. *VI.*

*Hactenus admonuiſſe ſatis, qua ſingula vobis*
*Quærantur ratione; etenim opportuniùs infra*
*Legati, & fideicommiſſi jura ferentur,*
*In quibus inſpicitur, vobis quodcumque reli-*
*ctum eſt.*
*Nunc age cunctarum vobis dominatio rerum*
*Quomodo quęratur videamus. Si ergo ſtatutus*
*Hæres cui fueris, ſi cujus fortè bonorum*
*Poſſeſſor factus, ſi cujus adoptio nati*
*Sit perfecta tibi, bona ſive addicta parandam*
*Ob libertatem ſint, ad te cuncta repentè*

*Ejus*

darum cauſa vobis addicta fuerint: ejus res omnes ad vos tranſeunt. Ac priùs de hæreditatibus diſpiciamus, quarum duplex conditio eſt; nam vel ex teſtamento, vel ab inteſtato ad vos pertinent. Et priùs eſt, ut de his diſpiciamus, quæ ex teſtamento vobis obveniunt: qua in re neceſſarium eſt, initium de ordinandis teſtamentis exponere.

*Ejus tranſierint. Verùm ſpectabimus ante*
*Hæredum, quæ bina vigent, ſpecialia jura.*
*Hæc vel ab inteſtato etenim, tabulisve ſupremis*
*Ad vos ſpectabunt. Priùs at ſunt jura videnda*
*Quæ ex tabulis veniunt: quæ in te proferre neceſſe,*
*Qua ratione ſuprema eſt diſponenda voluntas*

## *De Teſtamentis ordinandis*

## TITVLVS X.

TEſtamentum ex eo appellatur, quòd teſtatio mentis ſit.

*TEſtamentum dictum, nam eſt teſtatio mentis.*

### §. I.

Sed ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, ſciendum eſt, olim quidem duo genera Teſtamentorum in uſu fuiſſe; quorum altero in pace, & otio utebantur, quod calatis comitiis appellabant: altero, cum in præliũ exituri eſſent, quod procinctum dicebatur. Acceſſit deindè tertium genus teſtamentorum, quod dicebatur per æs, & libram: ſcilicet quod per emancipationem, idest, imaginariam quandam venditionem agebatur, quinque teſtibus, & libri pende, civibus Romanis puberibus præſentibus, & eo, qui familiæ emptor dicebatur. Sed illa quidem priora duo genera teſtamentorum ex veteribus temporibus in deſuetudinem abjerũt: quod verò per æs, & libram fiebat, licet diutiùs permanſerit, attamen paſſim & hoc in uſu eſſe deſiit.

*Vt verò a vobis teneantur cuncta vetuſta,*
*Noſcendum, duplex olim teſtamen in uſu*
*Omne fuiſſe: uno utebantur tempore pacis,*
*Et tribuère calata ipſi comitia nomen:*
*Altero in atrocis cũ eſſent diſcrimina Martis*
*Venturi, hoc fuerat procinctum nomine dictũ;*
*Acceſſitque deinde per æs, libramque vocatum*
*Teſtamen: Quadam conferre hoc ficta ſolebat*
*Venditio, cives præſentes quinque petebat,*
*Libri teſtis erat pendens, ſpectator & emptor.*
*Illa quidem ex veteri deſueſcere tẽpore prima*
*Cæpère, & quodcũque per æs, librãque vocarũt*
*Teſtamen, quamvis longo permanſerit ævo;*
*Attamen hoc hominum paſſim deceſſit ab uſu.*

### §. II.

Sed prædicta quidem nomina teſtamentorum ad jus civile referebantur, poſteà verò ex edicto prætoris forma alia faciendorum teſtamentorum introducta eſt. Jure enim honorario nulla emancipatio deſiderabatur: ſed ſeptem teſtium ſigna ſufficiebant, cum jure civili ſigna teſtium non eſſent neceſſaria.

*Civilis prædicta quidem teſtamina juris*
*Eſſe ferebantur: Diverſa eſt forma ſupremæ*
*Deinde inducta voluntatis, Prætore jubente;*
*Venditio per Prætorem nam nulla dabatur*
*Ficta, at erant ſolùm ſepteno teſte notata*
*Signa ſatis, quæ civili non jure notanda.*

### §. III.

Sed cum paulatim tàm ex uſu hominum, quàm ex conſtitutionum emendationibus cœpit in unam conſonantiam jus civile, & prætorium jungi: conſtitutum eſt, ut uno eodemque tempore (quod jus civile quodammodo exigebat) ſeptem teſtibus adhibitis, & ſub-

*Aſt hominũ eum mos, emendatumque ſtatutum*
*Jungere paulatim civile incœpit in unum*
*Jus, & Prætoris, placuit decernere Jure,*
*Teſtibus ut corã ſeptem uno, ac tempore eodẽ, (*
*Jus quodammodo quod Civile petebat habere,)*

& ſubſcriptione teſtium (quod ex conſtitutionibus inventum eſt, & ex edicto prætoris) ſignacula teſtamentis imponerentur: ita, ut hoc jus tripartitum eſſe videatur: & teſtes quidem,& eorum præſentia uno contextu teſtamenti celebrandi gratia, à jure civili deſcendant: ſubſcriptiones autem teſtatoris, & teſtium ex ſacrarum conſtitutionum obſervatione adhibeantur: ſignacula autem,& teſtium numerus ex edicto prætoris.

§. IV.

Sed his omnibus noſtra conſtitutione propter teſtamentorum ſinceritatem,ut nulla fraus adhibeatur,hoc additum eſt: vt per manus teſtatoris, vel teſtium nomen hæredis exprimatur, & omnia ſecundùm illius conſtitutionis tenorem procedant.

§. V.

Poſſunt autem omnes teſtes & uno annulo ſignare teſtamentum; quid enim ſi ſeptem annuli una ſculptura fuerint,ſecundùm quod Papiniano viſum eſt?Sed & alieno quoque annulo licet ſignare (teſtamentum.)

§. VI.

Teſtes autem adhiberi poſſunt ij, cum quibus teſtamenti factio eſt. Sed neque mulier,neque impubes, neque ſervus, neque furioſus,neque mutus,neque ſurdus, neque is, cui bonis interdictum eſt, neque ij,quos leges jubent improbos,inteſtabileſque eſſe: poſſunt in numerum teſtium adhiberi.

§. VII.

Sed cum aliquis ex teſtibus teſtamenti quidem faciendi tempore liber exiſtimabatur,poſtea autem ſervus apparuit: tàm divus Hadrianus Catonio, quàm poſteà divi Severus,& Antoninus reſcripſerũt, ſubvenire ſe ex ſua liberalitate teſtamento: ut ſic habeatur (firmum,ac ſi,ut oportebat, factum eſſet: cum eo tempore, quo teſtamentum ſignaretur, omnium conſenſu hic teſtis liberi loco fuerit: neque quiſquam eſſet, qui ſtatus ei quæſtionem moveret.

§. VIII.

Pater,nec non is,qui in poteſtate ejus eſt, item duo fratres, qui in ejuſdem patris poteſtate ſunt,utique teſtes in uno teſtamento fieri poſſunt:quia nihil nocet, ex una domo plures teſtes alieno negotio adhiberi.

§. IX.

*Qui tabulas quoq; debebãt ſubſcribere, (iuſſum*
*Hoc edicto Prætoris,legiſque ſtatuto*
*Inventum eſt,)tabulis etiam ſua ſigna locarẽt.*
*Hoc verò tres in partes jus eſſe videtur*
*Diviſum,ut teſtes veniant, præſentia & horâ*
*E Civili Jure uno teſtamen habendi*
*Contextu cauſa celebre: at ſubſcriptio eorum,*
*Teſtantiſque ſimul ſacrato ex Jure habeatur,*
*Edicto numerus prætoris,ſignaque ſeptem.*

§. *IV.*

*Additum at his cũctis eſt noſtra lege,ſuprema*
*Sincera ut maneãt tabula,fraus nulla,doluſq;*
*Sit nullus,teſtes ut,teſtatorve,notarent*
*Hæredis nomen, cedant & cuncta ſecundùm*
*Illius placiti in tabulis, legiſque tenorem.*

§. *V.*

*Annulo & unius cuncti teſtamina teſtes*
*Obſignare valent. Quid enim ſi talia ſigna*
*Sculptura fuerint una, ſimilique notata,*
*Papinianus ait? Supremas teſtibus ipſis*
*Annulo & alterius tabulas ſignare licebit.*

§. *VI.*

*Sed teſtes poſſunt adhiberi, factio queiſcum*
*Eſt teſtamenti. Sed ſervus, fœmina, ſurdus,*
*Impubes,mutus, furioſus, quique jubetur*
*Improbus a jure, inteſtabilis atque refertur,*
*Cuique bonis interdictum eſt,teſtaminis eſſe*
*Nõ poterũt teſtes,tabulaſque notare ſupremas.*

§. *VII.*

*Tempore condendi ſi quis teſtamina teſtis*
*Eſt habitus liber,ſervuſque apparuit inde,*
*Reſcripſere Hadrianus,Divus & ipſe Severus*
*Atque Antoninus,faciles, nimiumque benignos*
*Iſtis ſe tabulis,ſigniſque favere ſupremis,*
*Ut valeant, veluti ſi condita jure fuiſſent;*
*Hæc etenim ſignabantur quo tempore,teſtis*
*Liber erat cunctis habitus, ſervuſque latebat,*
*Ulla ſtatus ipſi fuerat nec quæſtio mota.*

§. *VIII.*

*Et Pater,& natus,cohibent quẽ jura Parentis,*
*Atque duo fratres ſub jure Parentis eodem,*
*Conſieri poſſunt uno in teſtamine teſtes:*
*Officit haud aliquid,plures in rebus adeſſe*
*Alterius teſtes una de ſtirpe,domoque.*

§. *IX.*

Digitized by Google

§. IX.

In teſtibus autem non debet eſſe is, qui in poteſtate teſtatoris eſt. Sed filiusfamilias de caſtrenſi peculio poſt miſſionem faciat teſtamentum: nec pater ejus rectè adhibetur teſtis, nec is, qui in poteſtate ejuſdem patris eſt; reprobatum eſt enim in ea re domeſticum teſtimonium.

§. *IX.*

*Quem verò retinet teſtans ſub jure Parentis,*
*Eſſe nequit teſtis. Patrio ſin jure ligatus*
*De re caſtrenſi faciat teſtamina, poſtquam*
*Miſſio facta fuit, Pater, & qui jure tenetur*
*Ejuſdem Patris, nequicquam teſtis habetur;*
*Teſtis nãque domus ejuſdẽ haud jure probatur.*

§. X.

Sed neque hæres ſcriptus, neque is, qui in poteſtate ejus eſt, neque pater ejus, qui eum habet in poteſtate, neque fratres, qui in ejuſdem patris poteſtate ſunt, teſtes adhiberi poſſunt: quia hoc totum negotium, quod agitur teſtamenti ordinandi gratia, creditur hodie inter teſtatorem, & hæredem agi. Licet autem totum jus tale conturbatum fuerat, & veteres quidem familiæ emptorem, & eos, qui per poteſtatem ei conjuncti fuerant, à teſtamentariis teſtimoniis repellebant: hæredi (autem) & iis, qui per poteſtatem ei conjuncti fuerant, concedebant teſtimonia in teſtamentis præſtare: licet ij, qui id permittebant, hoc jure minimè abuti eos debere ſuadebant; tamen nos eandem obſervationem corrigentes, & quod ab illis ſuaſum eſt, in legis neceſſitatem transferentes, ad imitationem priſtini familiæ emptoris, meritò nec hæredi, (qui imaginem vetuſtiſſimi familiæ emptoris obtinet) neque aliis perſonis, quæ ei (ut dictum eſt) conjunctæ ſunt, licentiam concedimus, ſibi quodammodo teſtimonia præſtare; ideoque nec ejuſmodi veteres conſtitutiones noſtro Codici inſeri permiſimus.

§. *X.*

*Hæres nec ſcriptus, nec qui ſub jure tenetur*
*Ejus, nec Genitor, cujus Romana poteſtas*
*Stringit eum, Fratres patrio nec jure ligati*
*Ejusdem Patris, poterunt teſtaminis eſſe*
*Teſtes; Omnis agi in tabulis res nãque putatur*
*Teſtantem inter, & hæredem. Sed talia jura*
*Conturbata licet fuerint, veteresque repellant*
*Familiæ Emptorẽ teſtẽ, quemque ante poteſtas*
*Illi conjunxit, tabulis tamen eſſe ſupremis*
*Hæredem teſtem voluerunt poſſe Priores,*
*Atque illos, ipſi junxit quos ante poteſtas;*
*Quãquã qui id permisère, haud his legibus uti*
*Sunt hortati illos, tamen id correximus ipſi,*
*Quodque fuit ſuaſum, ſervari juſſimus, inſtar*
*Familiæ emptoris veteris meritòque negamus*
*Quemlibet hæredem, eſt qui Emptoris imago vetuſti,*
*Atque illos, Patris junxit quos ante poteſtas,*
*Poſſe ullo pacto teſtis ſibi munere fungi.*
*Codici & hinc veterem hanc legem haud permiſimus addi.*

§. XI.

Legatariis autem, & fideicommiſſariis, quia non juris ſucceſſores ſunt, & aliis perſonis eis conjunctis teſtimonium non denegamus: immò in quadam noſtra conſtitutione, & hoc ſpecialiter ei conceſſimus: Et multò magis iis, qui in eorum poteſtate ſunt, vel qui eos habent in poteſtate, hujuſmodi licentiam damus.

§. *XI.*

*Cui ſunt legata, aut fideicommiſſa relicta,*
*Eſt quia non juris ſucceſſor, ſanguine junctas*
*Haud alias teſtes perſonas eſſe negamus*
*In tabulis; immò noſtris ſpecialiter iſtud*
*Legibus eſt conceſſum. Illis multò iſta facultas*
*Concedenda magis, patrio qui jure tenentur,*
*Aut his, qui retinent ipſos ſub jure Parentis.*

§. XII.

Nihil autem intereſt, teſtamentum in tabulis, an in chartis, membranisve, vel in alia materia fiat.

§. *XII.*

*Nil verò, an membranis, chartis, ſive tabellis,*
*Materiave alia fiant teſtamina, refert.*

§. XIII.

Sed & unum teſtamentum pluribus codicibus conficere quis poteſt ſecundùm obtinen-

§. *XIII.*

*Verùm quiſque poteſt teſtamen pluribus unum*

tinentem tamen obſervationem omnibus factis: quod interdum etiam neceſſarium eſt, veluti ſi quis navigaturus & ſecum ferre, &(domi) relinquere judiciorum ſuorum conteſtationem velit, vel propter alias innumerabiles cauſas, quæ humanis neceſſitatibus imminent.

*Condere Codicibus, fuerit quod ſæpe neceſſe;*
*Ut ſi quis facturus iter terraque, marique,*
*Ferre velit ſecum ſcripta hæc moderamina mentis,*
*Atque domo in propria paritèr deponere, cauſis*
*Pluribus aut alijs, quæ homini cõtingere poſsũt.*

§. XIV.

Sed hæc quidem de teſtamentis, quæ ſcriptis conficiuntur, (ſufficiunt,) ſi quis autem ſine ſcriptis voluerit ordinare jure civili teſtamentum, ſeptem teſtibus adhibitis, & ſua voluntate coram eis nuncupata, ſciat hoc perfectiſſimum teſtamentum jure civili, firmumque conſtitutum.

§. XIV.

*Hæc dixiſſe ſatis ſint de teſtamine, ſcriptis*
*Quod fiet, ſed civili ſi condere jure*
*Quis ſine ſcriptura cupiet teſtamina, ſeptem*
*Supremas tabulas oſtendat teſtibus ipſe,*
*Atque fuiſſe ſciat civili jure ſtatutum*
*Perfectum hoc teſtamẽ, firmũ ac robur habere.*

## *De Militari Teſtamento*

## TITVLVS XI.

Supra dicta diligens obſervatio in ordinandis teſtamentis, militibus propter nimiam imperitiam eorum, conſtitutionibus (principalibus) remiſſa eſt. Nam quamvis ii neque legitimum numerum teſtium adhibuerint, neque aliam teſtamentorum ſolemnitatẽ obſervaverint: rectè nihilominus teſtantur, videlicet cum in expeditionibus occupati ſunt: quod meritò noſtra conſtitio introduxit. Quoquo enim modo voluntas ejus ſuprema inveniatur, ſive ſcripta, ſive ſine ſcriptura: valet teſtamentum ex voluntate ejus. Illis autem temporibus, per quæ citra expeditionum neceſſitatem in aliis locis, vel ſuis ædibus degunt: minimè ad vendicandum tale privilegium adjuvantur; ſed teſtati quidem, etſi filijfamiliarum ſint, propter militiam decedunt: jure tamen communi eadem obſervatio eſt in eorum teſtamentis adhibenda, quam in teſtamentis paganorum proximè expoſuimus.

*Sedula militibus fuit obſervatio propter*
*Ignaros animos ipſorum lege remiſſa*
*Principis in tabulis cõdendis; omnia quamvis*
*Servare haud ſoleant ipſi ſolemnia, ſeptem*
*Nec teſtes adſint, tamen obteſtata voluntas,*
*Eſt valida ipſorum, ſi ſint pugnare parati:*
*Quod non immeritò introduxit ſanctio noſtra;*
*Nam quocumque modo illorũ ſuprema volũtas*
*Inveniatur deſcripta, aut non ſcripta valebit.*
*Temporibus verò. proprijs cum ſedibus ipſi*
*Degunt, ſive locis alijs, ad prælia prompti*
*Nec ſunt, non prodeſt hæc gratia Principis illis.*
*Verùm teſtati, quamvis ſub jure Parentum,*
*Propter militiam decedunt. Attamen illa*
*Sunt adhibenda, fuit cõmuni ut jure ſtatutum,*
*In tabulis paganorum quæ diximus ante.*

§. I.

Plane de teſtamentis militum divus Trajanus Catilio Severo ita reſcripſit: Id privilegium, quod militãtibus datum eſt, ut quoquo modo facta ab his teſtamenta rata ſint: ſic intelligi debet, ut utique priùs conſtare de-

§. I.

*At de teſtamento militis iſta Severo* Catil.
*Divus Trajanus reſcripſit: Gratia, quondam*
*Quæ data militib[9], firma ut teſtamina ab ipſis*
*Condita ſint quocumque modo, hac ratione putanda eſt,*

*Facta*

debeat, teſtamentum factum eſſe, quod & ſine ſcriptura,& à non militantibus fieri poteſt. Si ergo miles, de cujus bonis apud te quæritur, convocatis ad hoc hominibus, ut voluntatem ſuam teſtaretur, ita loquutus eſt,ut declataret,quem vellet ſibi hæredem eſſe,& cui libertatem tribuere:poteſt videri ſine ſcripto hoc modo eſſe teſtatus,& voluntas ejus rata habenda eſt. Cæterum ſi (ut plerumque ſermonibus fieri ſolet)dixit alicui, (*ego te hæredem facio*,) aut *bona mea tibi relinquo*: non oportet hoc pro teſtamento obſervari. Nec ullorum magis intereſt,quā ipſorum, quibus id privilegium datum eſt, ejuſmodi exemplum non admitti. Alioqui non difficulter poſt mortem alicujus militis teſtes exiſterent, qui adfirmarent,ſe audiſſe dicētem aliquem,relinquere ſe bona,cui viſū ſit,& per hoc vera judicia ſubverterētur.

§. II.

Quinimo & mutus,& ſurdus miles teſtamentum facere poteſt.

§. III.

Sed hactenus hoc illis à principalibus conſtitutionibus conceditur, quatenus militant,& in caſtris degunt. Poſt miſſionem verò veterani, vel extra caſtra (alii,) ſi faciant adhuc militantes teſtamentum, communi omnium civium Romanorum jure id facere debent. Et quod in caſtris fecerint teſtamentum, non communi jure, ſed quomodo voluerint: poſt miſſionem intra annum tantùm valebit. Quid ergo ſi intra annum quis deceſſerit,conditio autem hæredi adſcripta poſt annum extiterit?an quaſi militis teſtamentum valeat? Et placet valere quaſi militis.

§. IV.

Sed & ſi quis ante militiam non jure fecit teſtamentum, & miles factus,& in expeditione degens reſignavit illud, & quædam adjecit,ſive detraxit, vel aliàs manifeſta eſt militis voluntas hoc valere volentis: dicendum eſt, valere hoc teſtamentum quaſi ex nova militis voluntate.

§. V.

Denique & ſi in adrogationem datus fuerit miles,vel filius familias emancipatus eſt, teſtamentum ejus quaſi ex nova militis voluntate valet, nec videtur capitis diminutione irritum fieri.

§. VI.

*Facta hæc ut conſtare priùs jam debeat eſſe:*
*Quod ſine ſcripturis, atque a non bella gerente*
*Jam poterit fieri. Sic miles ſi ergo locutus,*
*Cujus apud te de rebus jus quæritur omne,*
*Teſtibus idcircò accerſitis, ſigna ſuprema*
*Ipſe voluntatis quò prodat, & exprimat inde,*
*Quem velit hæredē ſibi, duro ac pondere ſervū*
*Solvat, teſtatus poterit ratione videri*
*Hic ſine ſcriptura, atque putanda hæc firma voluntas.*
*Si, ut plerumque ſolet fieri, ſit talibus uſus*
*Verbis: Te facio hæredē, bona cuncta relinquo*
*Vel tibi, non ſervari hoc pro teſtamine debet.*
*Hoc magis ipſorum refert, queis gratia talis*
*Eſt conceſſa,exemplum non admittier iſtud.*
*Poſt mortem poſſet nam militis eſſe ſuperſtes*
*Teſtis,qui quendam dicentem audiſſe referret,*
*Se bona,cui viſum ſit, cuncta relinquere, vera*
*Judicia hinc ſubverſa forent,ſentētia & æqua.*

§. *II*.

*Quin ſurdus, mutus miles teſtamina condet.*

§. *III*.

*Hactenus hoc illis noſtro eſt de jure tributum;*
*Quatenus hi pugnāt,bello,caſtriſque morātur.*
*Sin bellatores veterani, caſtra vel extra*
*Teſtamen faciant, Romano id condere jure*
*Debent;at miſſi fuerint ſi poſtea,factum*
*In caſtris teſtamentum tantumodò habebit*
*Intra annum robur,cōmuni haud Jure valebit.*
*Ergo quid ſi intra annum quis deceſſerit,atque*
*Conditio hæredi,hoc elapſo tempore,ſcripta*
*Extiterit,valida an quaſi militis iſta volūtas?*
*Et placet,huic firmū quaſi militis eſſe vigorem.*

§. *IV*.

*Militiam ante ſed & ſi quis teſtamina fecit*
*Non jure, & miles factus, pugnare paratus*
*Illa reſignavit, quædā addidit, atq; retraxit,*
*Clara voluntas militis hæc valida eſſe volētis:*
*Hoc teſtamen erit dicendum robur habere;*
*Nam nova cenſetur quaſi militis eſſe volūtas.*

§. *V*.

*Si ſit miles adoptatus, vel jure ſolutus,*
*Teſtamen fertur validum quaſi militis eſſe,*
*Illius atque ſtatus vanū haud mutatio reddet.*

§. *VI*.

§. VI.

Sciendum tamen eſt,quod cum ad exemplum caſtrenſis peculii tàm anteriores leges, quàm principales conſtitutiones quibusdam quaſi caſtrenſia dederant peculia,& horum quibuſdam permiſſum fuerat etiam in poteſtate degentibus teſtari; noſtra (id) conſtitutio latius extẽdens, permiſerit omnibus in hujuſmodi peculiis teſtari quidem, ſed jure communi. Cujus conſtitutionis tenore perſpecto, licentia eſt, nihil eorum, quæ ad præfatum jus pertinent,ignorare.

*§. VI.*

*Inſtar caſtrenſis dederant quia jura peculi*
*Tam veterum, quàm noſtra quaſicaſtrentia multis,*
*Pluribus atque eſſent quamvis ſub jure Parẽtis*
*Permiſſum fuerat tabulas,ac ſigna ſupremæ*
*Edere: teſtari permiſit de omnibus iſtis,*
*Latiùs extendens cunctis id ſanctio noſtra,*
*Jure at communi. Viſo legisque tenore,*
*Omnia præſati liceat cognoſcere juris.*

## *Quibus non eſt permiſſum facere teſtamentum*

## TITVLVS XII.

NOn tamen omnibus licet facere teſtamentum. Statim enim *ii*, qui alieno juri ſubjecti ſunt,teſtamenti faciendi jus nõ habẽt: adeo quidẽ,ut quamvis parentes eis permiſerint, nihilo magis jure teſtari poſſunt: exceptis ijs, quos antea enumeravimus, & præcipuè militibus,qui in poteſtate parentum ſunt,quibus de eo,quod in caſtris adquiſiverunt,permiſſum eſt ex conſtitutionibus Principum teſtamentum facere.Quod quidem jus ab initio tantùm militantibus datum eſt, tàm ex auctoritate divi Auguſti, quàm Nervæ, necnon optimi Imperatoris Trajani: poſteà verò ſubſcriptione divi Hadriani, etiam dimiſſis à militia, id eſt veteranis conceſſum eſt. Itaque ſi quidem fecerint de caſtrenſi peculio teſtamentum: pertinebit hoc ad eum,quem hæredem reliquerunt; ſi verò inteſtati deceſſerint, nullis liberis, vel fratribus ſuperſtitibus: ad parentes eorum jure communi pertinebit. Ex hoc intelligere poſſumus, quod in caſtris adquiſierit miles,qui in poteſtate patris eſt, neque ipſum patrem adimere poſſe, neque patris creditores id vendere, vel aliter inquietare, neque patre mortuo cum fratribus commune eſſe: ſed ſcilicet proprium ejus eſſe,qui id in caſtris adquiſierit: quamquam jure civili omnium, qui in poteſtate parentum ſunt,peculia periudę in bonis parentum computentur, ac ſervorum peculia

*NOn tamen eſt licitum teſtamen condere cunctis,*
*Namq; ſtatim,alterius ſuerint qui jure retẽti,*
*Teſtatas tabulas condendi hi nulla tenebunt*
*Jura, ut quanquam illis id conceſsère Parẽtes,*
*Attamen è noſtro teſtari jure nequibunt;*
*Exceptis illis, quos enumeravimus ante,*
*Milite præſertim,patrio quem jure Poteſtas*
*Aſtringit, tabulas noſtro cui condere jure*
*Permiſſum de illo, quod caſtris ipſe pararit.*
*At jus principio tantùm bellantibus iſtud*
*Conceſſum à Divo Auguſto,Nervaque,bonoque*
*Trajano; aſt à Divo Hadriano poſtea miſſis*
*Iſt quoque militibus talis conceſſa facultas.*
*Ergo ſi fecit miles teſtamina de re*
*Caſtrenſi,quemcumque vocavit,dicitur hæres.*
*Sin inteſtatus miles deceſſerit ipſe,*
*Natis non viventibus, atque ſuperſtite nullo*
*Fratre,Parens hæres communi jure putandus.*
*Hinc poterit noſci,quidquid quæſiverit ipſis*
*In caſtris miles, Patris qui jure tenetur,*
*Illud non ipſos acquirere poſse Parentes,*
*Vendere non aliquẽ,Patris qui creditor extat,*
*Aut aliter turbare, neque hoc cũ fratribus eſſe*
*Jam cõmune,Pater poſtquã migravit ad aſtra.*
*Scilicet in caſtris quod quis quæſiverit, illud*
*Ipſius eſt proprium, quamvis ſit jure ſtatutum*
*Civili, ut cunctorum, quos ſub jure poteſtas*
*Adſtringit Patrum,bona nõ ſecus eſſe Parentũ,*
*Ac bona ſervorũ Domini ſunt cuncta, putẽtur,*

in bonis dominorum numerantur: exceptis videlicet ijs,quæ ex ſacris conſtitutionibus, & præcipuè noſtris propter diverſas cauſas non adquiruntur; præter hos igitur, qui caſtrenſe peculium, vel quaſi caſtrenſe habent, ſi quis alius filius familias teſtamētū fecerit, inutile eſt,licèt ſuæ poteſtatis factus deceſſerit.

*Illis exceptis, ſacris quæ legibus, atque*
*Noſtris per varias cauſas non poſſe putamus*
*Acquiri: hos præter, qui habeant caſtrentia ſolũ,*
*Vel quaſi, ſi efficiat teſtamen jure Parentis*
*Adſtrictus genitus, non utile debet haberi,*
*Decedat patrio quamvis a jure ſolutus.*

§. I.

Prætereà teſtamētum facere non poſſunt impuberes: quia nullum eorum animi judicium eſt. Item furioſi:quia mente carent. Nec ad rem pertinet, ſi impubes,poſteà pubes: aut furioſus,poſteà compos mentis factus fuerit,& deceſſerit. Furioſi autem,ſi per id tempus fecerint teſtamentum, quo furor eorum intermiſſus eſt: jure teſtati eſſe videntur,certe eo, quod ante furorem fecerint, teſtamento valente. Nam neque teſtamentum rectè factum, neque ullum aliud negotium rectè geſtum, poſteà furor interveniens perimit.

*Præterea nullo teſtamen condere pacto*
*Impubes poterit, cum illi conſtantia mentis*
*Deſit. Nec tabulas condent, qui mente carebant,*
*Lymphati. Factus ſi impubes poſtea pubes,*
*Non facit ad rem, aut ſi furioſus poſtea mentis*
*Decedat factus compos. Teſtamina condens,*
*Cum furor intermiſſus erit, jure eſſe videtur*
*Teſtatus, certè quod fecerit ante furorem,*
*Teſtamen validum eſt. Rectè teſtamina facta,*
*Et fuerint rectè quæcumque negotia geſta,*
*Non periment, quæ intervenient, deliria mentis.*

§. II.

Item prodigus,cui bonorum ſuorum adminiſtratio interdicta eſt, teſtamentum facere non poteſt, ſed id, quod ante fecerit, quàm interdictio bonorum ſuorum ei fiat, ratum eſt.

*Prodigus, eſt cui jam interdictio facta bonorũ,*
*Non faciet teſtamentum, ſin fecerit ante,*
*Inde ratum, validum ſemper, firmumque manebit.*

§. III.

Item ſurdus, & mutus non ſemper teſtamentum facere poſſunt. Utique autem de eo ſurdo loquimur, qui omnino non exaudit, non qui tardè exaudit, nam & mutus is intelligitur, qui eloqui nihil poteſt, non qui tardè loquitur; ſæpe enim etiam literati, & eruditi homines variis caſibus,& audiendi, & loquendi facultatem amittunt. Unde noſtra conſtitutio etiam his ſubvenit,ut certis caſibus, & modis ſecundùm normam ejus poſſint teſtari, aliaque facere, quæ eis permiſſa ſunt. Sed ſi quis poſt teſtamentum factum, adverſa valetudine, aut quolibet alio caſu mutus, aut ſurdus eſſe cœperit, ratum nihilominus manet ejus teſtamentum.

*Non ſemper Surdus, mutus teſtamina poſſunt*
*Condere. De Surdo at loquimur, nil qui excipit aure,*
*Non qui tardè audit; nam mutus dicitur ille,*
*Qui proferre poteſt nil, non qui tarda loquetur*
*Verba; viris etenim literatis ſæpe facultas*
*Caſibus è variis eſt linguæ amiſſa, vel auris.*
*Quare noſtra viris quoq; ſanctio ſubvenit iſtis,*
*Caſibus ut certis, quadam & ratione ſecũdùm*
*Illius normam teſtamen condere poſſint,*
*Pleraque & efficere, ipſis quæ permiſſa fuère.*
*Sin quis poſt factas tabulas valetudine preſſus*
*Adverſa ſurdus, mutuſque incœperit eſſe,*
*Quolibet aut caſu, robur teſtamen habebit.*

§. IV.

Cæcus autem non poteſt facere teſtamentum, niſi per obſervationem, quam lex divi Juſtini patris noſtri introduxit.

*Non poterit verò teſtamen condere cæcus,*
*Ni ſerventur ea, in ſacra quæ lege ſtatuta*
*Sunt a Juſtino Divo, noſtroque Parente.*

§. V.

Ejus,qui apud hoſtes eſt,teſtamentum, quod ibi fecit,non valet, quamvis redierit, ſed quod,dum in civitate fuerat, fecit: ſive re-

*Tempore confectũ, quo quis ſit ab hoſte retẽtus,*
*Nullum eſt teſtamẽ, ſit quamvis inde reverſus;*
*Quod verò fecit, fuerat quo tempore in urbe,*
Jure

redierit, valet jure poſtliminii: ſive illic deceſſerit, valet ex l. Cornelia.

*Jure valet Poſtliminij, ſi ad tecta reverſus*
*Is patriæ fuerit; Sed ſi deceſſerit illic,*
*Lex dedit illius tabulis Cornelia robur.*

## *De exhæredatione liberorum*

## TITVLVS XIII.

NOn tamen ut omnino valeat teſtamentum, ſufficit hæc obſervatio, quã ſupra expoſuimus, ſed qui filium in poteſtate habet, curare debet, ut eum hæredem inſtituat, vel exhæredem eum nominatim faciat; alioqui ſi eum ſilentio præterierit; inutiliter teſtabitur: adeo quidem, ut ſi vivo patre, filius mortuus ſit, nemo hæres ex eo teſtamento exiſtere poſſit, quia ſcilicet ab initio non conſtiterit teſtamentum. Sed non ita de filiabus, & aliis per virilẽ ſexum deſcendentibus liberis utriuſque ſexus antiquitati fuerat obſervatum; ſed ſi non fuerant ſcripti hæredes, ſcriptæve, vel exhæredati, exhæredatæve: teſtamentum quidem non infirmabatur, jus tamen adcreſcendi eis ad certam portionem præſtabatur, ſed nec nominatim eas perſonas exhæredare parentibus neceſſe erat, ſed licebat inter cæteros hoc facere. Nominatim autem quis exhæredari videtur, ſive ita exhæredetur: *Titius filius meus exhæres eſto*: ſive ita: *filius meus exhæres eſto*, non adjecto proprio nomine, ſcilicet ſi alius filius non exſtet.

*NOn tamen obſervatio, quam modò diximus ipſi,*
*Sufficit, ut penitus valeant teſtamina. Verùm*
*Qui natum Genitor patrio ſub jure tenebit,*
*Is debet curare, hæredem ut nuncupet ipſum,*
*Aut exhæredem faciat; ſi namque ſilebit*
*Præteriens natum, teſtamen inutile condet.*
*Idque adeò verum eſt, ut ſi, vivente Parente,*
*Decedat natus, tunc nemo exiſtere poſſit*
*Talibus è tabulis hæres, quia ſcilicet ipſæ*
*Principiò haud fuerant validæ. Sed priſca vetuſtas*
*Non ita fœminea in prole obſervaverat, atque*
*Per ſexum in venientibus utriusque virilem*
*Sexus: ſed facti, vel ni in teſtamine factæ*
*Hæredes fuerant, exhæredesve, valebat*
*Teſtamen, tamen adcreſcendi jura dabantur*
*Ad certam partem. Has perſonas nomine Patri*
*Non exhæredare neceſſe erat, atque licebat*
*Hoc inter reliquos; nã Nomine quisque videtur*
*Exhæredari, ſi talia voce ferantur:*
*Exhæres Titius ſit, qui mihi filius extat.*
*Verba vel hæc: meus exhæres ſit filius; ullo*
*Nomine non poſito, ſi alius non filius extet.*

§. I.

Poſthumi quoque liberi, vel hæredes inſtitui debent, vel exhæredari. Et in eo par omnium conditio eſt, quod & filio poſthumo, & quolibet ex cæteris liberis ſive fœminei ſexus, ſive maſculini, præterito: valet quidem teſtamẽtum, ſed poſtea adgnatione poſthumi, ſive poſthumæ rumpitur, & ea ratione totum infirmatur. Ideoque ſi mulier, ex qua poſthumus, aut poſthuma ſperabatur, abortum fecerit, nihil impedimento eſt ſcriptis hæredibus ad hæreditatem adeundam. Sed fœminini quidem ſexus perſonæ vel nominatim, vel inter cæteros exhæredari ſolebant: dum tamen, ſi inter cæteros exhæredarentur, aliquid eis legaretur, ne viderentur præteritæ eſſe per oblivionem.

Ma-

*§. I.*

*Poſthumus eſt etiam ſtatuendus filius hæres,*
*Aut exhæredandus; habetur & omnibus æqua*
*Conditio; at fuerit proles ſi poſthuma omiſſa,*
*Atque alius quicũque ex his, qui liberi habẽtur,*
*Fœminei fuerit ſexus hic, ſive virilis,*
*Eſt validum planè teſtamen; poſtea verò*
*Continuò ſobolis naſcentis rumpitur ortu,*
*Atque infirmatur. Mulier ſi fecit abortum,*
*Ex qua ſperabatur proles poſthuma, ſcripti*
*Hæredes poterunt defuncti quærere jura.*
*Verùm fœminei ſexus perſona ſolebat*
*Exhæres fieri cum aliis, vel nomine certo,*
*Dum quid legaretur ei, ne fortè relicta*
*Ipſa videretur, quòd Patrem oblivio cœpit*

*Ejus-*

Maſculos verò poſthumos,id eſt , Filios , & deinceps placuit non aliter rectè exhæredari, niſi nominatim exhæredentur hoc ſcilicet modo,*quicumque mihi filius genitus fuerit,exhæres eſto.*

*Ejusdem . Sexus fuerit ſin poſthuma proles*
*Maſculei,exhæres hac eſt ratione notanda:*
*Exhæres, qui naſcetur mihi filius, eſto.*

§. II.

Poſthumorum autem loco ſunt & hi, qui in ſui hæredis locum ſuccedendo , quaſi adnaſcendo fiunt parentibus ſui hæredes:ut ecce , ſi quis filium , & ex eo nepotem , neptemve inpoteſtate habeat , quia filius gradu præcedit,is ſolus jura ſui hæredis habet, quamvis nepos quoque, & neptis ex eo in eadem poteſtate ſint . Sed ſi filius ejus, vivo eo,moriatur,aut qualibet alia ratione exeat de poteſtate ejus : incipit nepos,neptisve in ejus locum ſuccedere , & eo modo jura ſuorum hæredum , quaſi adgnatione naniſcuntur . Ne ergo eo modo rumpatur ejus teſtamentum : ſicut ipſum filium , vel hæredem inſtituere , vel nominatim exhæredare debet teſtator, ne non jure faciat teſtamentum,ita & nepotem, neptemve ex filio neceſſe eſt ei,vel hæredem inſtituere,vel exhæredare : ne forte eo vivo,filio mortuo, ſuccedendo in locum ejus nepos, neptisve, quaſi adgnatione rumpat teſtamentum. Idque l. Julia Velleja proviſum eſt, in qua ſimilis exhæredationibus modus ad ſimilitudinem poſthumorum demonſtratur.

§. *II.*

*Poſthumi at ille loco dumtaxat dicitur eſſe,*
*Qui pro hærede ſuo ſuccedens,fit ſuus hæres*
*Patri ad naſcendo quaſi;ceu ſi ſorte tenebit*
*Quis natũ, atque ex illo neptem, ſive nepotem*
*Jure poteſtatis patriæ, quia Filius illi*
*Ipſe gradu præcedit, ſolus cuncta tenebit*
*Jura ſui hæredis, quamvis neptisque, neposque*
*Ex illo maneant quoque eodem jure ligati.*
*Sed vitam ſi natus,eo vivente,relinquat ,*
*Aut quocumque modo patrio ſit jure ſolutus,*
*Incipit inde loco illius ſuccedere neptis,*
*Atque nepos : Hæredum adquirunt jura ſuorũ*
*Sic quaſi naſcendo . Nè ergo ſuprema voluntas*
*Rumpatur , ſicut teſtans ſeu ſcribere natum*
*Hæredem,ſive exhæredem nomine debet,*
*Jure ut teſtetur, ſimili ratione nepotem,*
*Hæredem in tabulis,aut neptem ſcribere debet,*
*Aut exhæredem : illo vivo , lumine caſſo*
*Nato , nè neptis ſuccedens inde , nepoſve*
*Non ſecus ac proles naſcens teſtamina rumpat.*
*Velleja id verò fieri lex Julia ſanxit,*
*Hoc,ſimilique modo exhæres ſit poſthuma proles.*

§. III.

Emancipatos liberos jure civili neque hæredes inſtituere , neque exhæredare neceſſe eſt : quia non ſunt ſui hæredes . Sed prætor omnes tàm fœminini ſexus , quàm maſculini , ſi hæredes non inſtituantur , exhæredari jubet : virilis ſexus nominatim : fœminini verò inter cæteros , quia ſi neque hæredes inſtituti fuerint,neque ita (ut diximus) exhæredati,permittit eis prætor contra tabulas teſtamenti bonorum poſſeſſionem.

§. *III.*

*Civili lege à genitoris jure ſolutos*
*Non facere hæredes , exhæredesve neceſſe eſt;*
*Namque ſui hæredes nõ ſunt.Prætor jubet autẽ*
*Exhæredari omnes ſexus ſive virilis,*
*Fœmineive extent , teſtans ni ſcripſerit illos*
*Hæredes. Verùm exhæres ſit nomine natus ,*
*Exhæres alios inter ſit filia ; namque*
*Ni fuerint exhæredati , ut diximus antè,*
*Aut ni ſcripti hæredes , à Prætore bonorum*
*Contra teſtamen poſſeſſio traditur illis.*

§. IV.

Adoptivi liberi , quamdiu ſunt in poteſtate patris adoptivi , ejuſdem juris habentur, cujus ſunt juſtis nuptiis quæſiti: itaque hæredes inſtituendi, vel exhæredandi ſunt, ſecundùm ea , quæ de naturalibus expoſuimus.Emancipati verò à patre adoptivo,neque jure civili , neque (eo jure , ) quod ad edictum prætoris attinet, inter liberos connume-

§. *IV.*

*Natus adoptivus,donec ſub jure Parentis,*
*Non ſecus, ac juſto quæſitus fœdere,habetur.*
*Eſt hæres igitur ſtatuendus , ſivè ſecundùm*
*Illa eſt exhæredandus , quæ diximus ante*
*De naturali . At Patris ſi jure ſolutus*
*Is ſit adoptivi , non ullo natus habetur*
*Prætoris jure, aut Civili . Hinc accidit, ille*

numerantur. Qua ratione accidit, ut ex diverſo (quod ad naturalem parentem attinet) quamdiù quidem ſunt in adoptiva familia, extraneorum numero habeantur: ut eos neque hæredes inſtituere, neque exhæredare neceſſe ſit; cum verò emancipati fuerint ab adoptivo patre: tunc incipiant in ea cauſa eſſe, in qua futuri eſſent, ſi a naturali patre emancipati fuiſſent.

*Donec adoptantis fuerit ſub jure Parentis,*
*Ut naturali ſit Patri extraneus, ut ne*
*Sit ſcribi hæredem, exhæredarive neceſſe.*
*Illum cum verò patrio diſſolvit adoptans*
*Jure, in ea ſubitò cauſa tunc incipit eſſe,*
*Qua eſſet, naturali eſſet ſi à Patre ſolutus.*

§. V.

Sed hæc quidem vetuſtas introducebat, noſtra verò conſtitutio inter maſculos, & fœminas in hoc jure nihil intereſſe exiſtimans, quia utraque perſona in hominum procreatione ſimili naturæ officio fungitur, & lege antiqua (duodecim tabularum) omnes ſimiliter ad ſucceſſionem ab inteſtato vocabantur, quod & prætores poſteà ſecuti eſſe videntur; ideò ſimplex, ac ſimile jus, & in filiis & in filiabus, & in cæteris deſcendentibus per virilem ſexum perſonis, non ſolùm jam natis, ſed etiam poſthumis, introduxit: ut omnes ſivè ſui, ſivè emancipati ſint, vel hæredes inſtituantur, vel nominatim exhæredentur: & eundem habeant effectum circa teſtamenta parentum ſuorum infirmanda, & hæreditatem auferendam, quem filii ſui, vel emancipati habent, ſivè jam nati ſint, ſivè adhuc in utero conſtituti, poſtea nati ſint. Circa adoptivos autẽ (filios) certam induximus diviſionem, quę in noſtra conſtitutione, quam ſuper adoptivis tulimus, continetur.

§. *V.*

*Jam verò hæc quondam introduxit priſca vetuſtas;*
*Noſtra ſed hoc in jure putans pia ſanctio, ſexũ*
*Inter fœmineum, atq; maris diſcrimen haberi*
*Nullum, quòd ſimili naturæ munere, proles*
*Utraque cum generetur, fungitur. atq; vetuſta*
*Lege, fuit quæ olim in duodenis ſcripta tabellis,*
*Succedebat ab inteſtato quæque propago,*
*Eſſe ſecutus quod cenſetur poſtea Prætor;*
*Jus ideo ſimile, ac ſimplex induxit utroque*
*In ſexu, & quacumque maris de ſemine creta*
*Perſona, fuerit quamvis hæc poſthuma proles,*
*Omnes ſivè ſui, Patriæ ſint ſivè ſoluti*
*Jure poteſtatis, ſivè hæres quiſque vocetur,*
*Nomine ſivè exhæres, obtineant ut eundem*
*Effectum paritèr circa teſtamina patrum*
*Infirmanda ſuorum hæredum ac jura tenenda,*
*Quem retinere ſui nati, vel jure ſoluti*
*Dicuntur, ſpectarint hi vel luminis auras,*
*Sint vel adhuc clauſi fœcũdo in vẽtre Parẽtis,*
*Poſtea ſed Cœli lucem videre nitentem.*
*Circa & adoptivos natos deciſio certa*
*Appoſita eſt, noſtra quæ in lata lege refertur.*

§. VI.

Sed ſi in expeditione occupatus miles teſtamentum faciat, & liberos ſuos jam natos, vel poſthumos nominatim non exhæredaverit, ſed (ſilentio) præterierit, non ignorans, an habeat liberos: ſilentium ejus pro exhæredatione nominatim facta valere, conſtitutionibus Principum cautum eſt.

§. *VI.*

*Sin miles tabulas condat pugnare paratus,*
*Atque ſuos exhæredet non nomine natos,*
*Aut illam, fuerit proles quæ poſthuma, natos*
*Prætereatve ſciens, ſacra jam lege cavetur*
*Principis, haud aliter, quã ſi in teſtamine facti*
*Sint exhæredes, robur teſtamen habere.*

§. VII.

Mater, vel avus maternus, neceſſe non habent liberos ſuos, aut hæredes inſtituere, aut exhæredare: ſed poſſunt eos ſilentio omittere, nam ſilentium matris, aut avi materni, & cæterorum per matrem aſcendentium tantum facit, quantum exhæredatio patris. Neque enim matri filium, filiamve, neque avo materno nepotem, neptemve ex filia, ſi eum, eamve hæredem non inſtituat,

exhæ-

§. *VII.*

*Mater, vel maternus avus non jure neceſſe*
*Scribere habent hæredes natos, atque nepotes,*
*Aut exhæredes, illos ſed omittere poſſunt;*
*Matris enim vel avi taciturna ſilentia tantũ*
*Materni efficiunt, exhæredatio quantum*
*Patris. Nec matri natum, natamque, nepotem*
*Materno nec avo eſt exhæredare neceſſe,*
*Ni hæredes ſtatuat, civili aut jure petamus,*

*Edicto*

exhæredare neceſſe eſt: ſivè de jure civili quæramus, ſivè de edicto prætoris, quo (prætor) præteritis liberis contra tabulas bonorum poſſeſſionem permittit: ſed aliud eis adminiculum ſervatur, quod paulò poſt vobis manifeſtum fiet.

*Edicto aut Prætoris, concedenda bonorum*
*Quo fuerit contra tabulas poſſeſſio natis:*
*Sed ſervatur eis, quodcumque docebimus infra.*

## *De Hæredibus inſtituendis*

## TITVLVS XIV.

HÆredes inſtituere permiſſum eſt tam liberos homines, quàm ſervos: & tam proprios, quàm alienos. Proprios autem olim quidem, ſecundùm plurium ſententias non aliter, quàm cum libertate rectè, inſtituere licebat; hodiè verò etiam ſinè libertate ex noſtra conſtitutione hæredes eos inſtituere permiſſum eſt. Quod non per innovationem induximus, ſed quoniam æquius erat, & Atilicino placuiſſe Paulus ſuis libris, quos tàm ad Maſurium Sabinum, quàm ad Plautium ſcripſit, refert. Proprius autem ſervus, etiam is intelligitur, in quo nudam proprietatem teſtator habet, alio uſumfructum habente. Eſt tamen caſus, in quo nec cum libertate utiliter ſervus à domina hæres inſtituitur, ut conſtitutione divorum Severi, & Antonini cavetur, cujus verba hæc ſunt: Servum adulterio maculatum, non jure teſtamento manumiſſum antè ſententiam ab ea muliere videri, quæ rea fuerat ejuſdem criminis poſtulata, rationis eſt. Quare ſequitur, ut in eundem à domina collata hæredis inſtitutio, nullius momenti habeatur. Alienus ſervus etiam is intelligitur, in quo uſumfructum teſtator habet.

*HÆredem tam hominem ingenuum, quàm ſcribere ſervum*
*Tā propriū, quàm alienū poſſe, eſt jure ſtatutū.*
*At proprios quondā haud ſine libertate licebat,*
*Multorū ut fuerat ſententia, linquere Servos.*
*Sed ſine libertate hæredes ſanctio noſtra*
*Scribere permiſit: nihil atq; novavimus inde;*
*Æquius at quoniam fuerat, juriſq; perito*
*Fert placuiſſe Libris Paulus, quos ſcripſerat olim.* Atilicino ad Sabinū, & ad Plautium.
*At verò proprium ſervum nos dicimus illum,*
*In quo proprietas ſolùm à teſtante tenetur,*
*Uſū, & habet fructū alter. Verùm caſus habe-*
*In quo nec ſervus cū libertate relictus, (tur.*
*Utiliter Dominæ eſt hæres, ut lege cavetur*
*Sacra Antonini juſti, Divique Severi,*
*Cujus sūt verba hæc: Supremis ſervus adulter*
*Signis, lata prius ni ſit ſententia, liber*
*Pondere ſervili nequicquā à Fœmina habetur,*
*Accuſata fuit quondam quæ crimine eodem.*
*A domina hinc in eum nullum collata vigorem*
*Hæredis meritò deſcriptio debet habere.*
*Eſſe ſed alterius ſervus quoque dicitur ille,*
*In quo uſumfructum ſolùm teſtator habebit.*

### §. I.

Servus autem à domino ſuo hæres inſtitutus, ſiquidem in eadem cauſa manſerit, fit ex teſtamento liber, hæreſque ei neceſſarius. Si verò à vivo teſtatore manumiſſus fuerit, ſuo arbitrio adire hæreditatem poteſt: quia non fit hæres neceſſarius, cum utrumque ex domini teſtamento non conſequatur. Quod ſi alienatus fuerit: juſſu novi domini adire hæreditatem debet, & ea ratione per eum dominus fit hæres, nam ipſe alienatus, neque liber, neque hęres eſse poteſt, etiamſi cum libertate hæres inſtitu-

### *§. I.*

*At verò ſervus Domini in teſtamine ſcriptus*
*Hæres ſi fuerit, quoniam permanſit eadem*
*In cauſa, fiet liber, meritòque coactus*
*Hæres. Sin fuerit vivo à teſtante ſolutus*
*Jure poteſtatis Domini, tunc liber adibit*
*Jura ſuo arbitrio; non fiet namque coactus*
*Hæres; ex tabulis Domini eum ſervus utrumq;*
*Non habeat. Verùm fuerit ſi venditus ipſe,*
*Jura novi Domini juſſu debebit adire;*
*Hinc hæres Dominus fiet; nam venditus ipſe*
*Hæres eſſe nequit, nec liber dicitur, hæres*
*Ipſe licet fuerit cum libertate relictus.*

tus fuerit: deſtitiſſe enim à libertatis datione videtur dominus, qui cum alienavit. Alienus quoque ſervus hæres inſtitutus, ſi in eadem cauſa duraverit, juſſu ejus domini adire hæreditatem debet. Si verò alienatus fuerit ab eo, aut vivo teſtatore, aut poſt mortem ejus; antequam adeat, debet juſſu novi domini adire. At ſi manumiſſus eſt vivo teſtatore, vel mortuo, antequam adeat, ſuo arbitrio adire poteſt hæreditatem.

*Non etenim à Domino libertas ceditur ulla,*
*Qui vendit ſervum. Si etiam in teſtamine factus*
*Hæres alterius ſervus, durarit eadem*
*In cauſa, Domini juſſu debebit adire*
*Defuncti jura; at fuerit ſi venditus ipſe,*
*Vivo aut teſtante, aut ejus poſt fata ſuprema,*
*Jura novi Domini mandato debet adire.*
*Sin liber factus, vivo teſtante, vel ipſo*
*Decedente priùs, quàm adeat, de jure ſtatuto*
*Cuncta ſuo arbitrio poterit ſibi quærere jura.*

§. II.

Servus etiam alienus poſt domini mortē rectè hæres inſtituitur: quia & cum hæreditariis ſervis eſt teſtamenti factio. Nondum enim adita hæreditas, perſonæ vicem ſuſtinet, non hæredis futuri, ſed defuncti, cum etiam ejus, qui in utero eſt, ſervus rectè hæres inſtituatur.

§. *II.*

*Alterius ſervus rectè quoque ſcribitur hæres*
*Poſt Domini mortem, quoniā teſtaminis extat*
*Factio cum ſervo, qui hæredis nomine gaudet.*
*Non dum jus aditum perſonam namque futuri*
*Suſtinet haud hæredis, verùm lumine caſſi;*
*Ejus namq; etiā servus, qui in vētre moratur,*
*Supremis tabulis rectè deſcribitur hæres.*

§. III.

Servus (autem) plurium, cum quibus teſtamenti factio eſt, ab extraneo inſtitutus hæres, unicuique dominorum, cujus juſſu adierit pro portione dominii, adquirit hæreditatem.

§. *III.*

*Multorum verò ſervus, confectio queiſcum*
*Eſt teſtamenti, fuerit ſi forſitan hæres*
*Factus ab externo, domino cuicumque parabit,*
*Cujus mandato defuncti jura ſubibit.*

§. IV.

Et unum hominem, & plures uſque in infinitum, quot quis hæredes velit, facere licet.

§. *IV.*

*Unum hominem, pluresq; licet deſcribere jure,*
*Quot velit hæredes fieri teſtamine teſtans.*

§. V.

Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ aſſis appellatione continentur. Habent autem & hæ partes propria nomina ab uncia uſque ad aſſem hæc: ſextans, quadrans, triens, quincunx, ſemis, ſeptunx, bes, dodrans, dextans, deunx. Non autem utique (ſemper) duodecim uncias eſſe oportet, nam tot unciæ aſſem efficiunt, quot teſtator voluerit, & ſi unum tantùm quis ex ſemiſſe (verbi gratia) hæredem ſcripſerit, totus as in ſemiſſe erit; Neque enim idem ex parte teſtatus, & ex parte inteſtatus decedere poteſt; niſi ſit miles, cujus ſola voluntas in teſtando ſpectatur. Et è contrario poteſt quis in quotcunque voluerit plurimas uncias ſuam hæreditatem dividere.

§. *V.*

*Jus autem defuncti, aſſem quod nomine dicunt,*
*Bis ſex diviſum in partes. Hæ nomina partes*
*Sed propria hæc retinent: Sextans, Quadransque, Triensque,*
*Quincunx, & Semis, Septunx quoque, beſque, dodransque,*
*Dextans, atq; deunx. Verùm non tēpus in omne*
*Bis ſenæ partes debent numerarier; Aſſem*
*Tot faciunt etenim partes, teſtator haberi*
*Quot voluit. Tantum ſi quis deſcripſerit unū*
*Ex ſemiſſe hæredem, as totus nomine fertur*
*Semiſſis, partim teſtatus cedere namque,*
*Partim inteſtatusq; nequit, niſi miles habetur,*
*In tabulis cujus ſpectatur ſola voluntas.*
*Aſt aſſem in partes poterit quis ſcribere plures.*

§. VI. §. *VI.*

Digitized by Google

§. VI.

Si plures inſt ituantur hæredes; ita demum in hoc caſu partium diſtributio neceſſaria eſt, ſi nolit teſtator eos ex æquis partibus hære des eſſe; ſatis enim conſtat, nullis partibus nominatis, ex æquis partibus eos hæredes eſſe. Partibus autem in quorundam perſonis expreſſis, ſi quis alius ſine parre nominatus erit, ſi quidem aliqua pars aſſi decrit: ex ea parte hæres fit. Etſi plures ſine parte ſcripri ſunt, omnes in eandem partem concurrunt. Si verò totus as completus ſir, ij, qui nominatim expreſſas partes habenr, in dimidiam partem vocantur: & ille, vel illi omnes in alteram dimidiam. Nec intereſt, primus, an medius, an noviſſimus ſinè parre hæres ſcriptus ſit, ea enim pars data intelligitur, quæ vacat.

§. VII.

Videamus, ſi pars aliqua vacet, nec tamen quiſquam ſinè parte ſir hæres inſtitutus, quid juris ſit, velutl ſi tres ex quartis partibus hæredes ſcripti ſunt. Et conſtat vacantem partem ſingulis tacitè pro hæreditaria parte acccdere, & perindè haberi, ac ſi ex tertiis partibus hæredes ſcripti eſſent; & ex diverſo, ſi plures hæredes ſcripti in portionibus ſint, tacitè ſingulis decreſcere, ut ſi (verbi gratia) quatuor ex tertiis partibus hæredes ſcripri ſint: perindc habeantur, ac ſi unuſquiſque ex quarta parte hæres ſcriptus fuiſſet.

§. VIII.

Et ſi plures unciæ, quàm duodecim diſtributæ ſint: is, qui ſinè parte inſtitutus eſt, quod dipondio deeſt, habebit. Idemque erit, ſi dupondius expletus ſir, quæ omnes partes ad aſſem poſtea revocantur, quamvis ſint plurium unciarum.

§. IX.

Hæres & purè, & ſub conditione inſtitui poteſt, ex certo temporc, aut ad certum rempus non poteſt, veluri *poſt quinquennium quàm moriar*, vel *ex Calendis illis*, vel *uſque ad Calendas illas hæres eſto*. Denique diem adiectum haberi pro ſupervacuo placet: & perindè eſſe, ac ſi purè hæres inſtitutus eſſet.

§. X.

Impoſſibilis conditio in inſtitutionibus, & legatis, nec non in fideicommiſſis, & liberratibus pro non ſcripta habetur.

§. XI.

§. *VI.*

*Si plures hæredes ſint, partitio fiat,*
*Si nolit teſtator eos ex partibus æquis*
*Hæredes, quoniam conſtat, non partibus ullis*
*Nomine deſcriptis, hæredes partibus æquis*
*Eſſe. In quorundam perſonis partibus ipſis*
*Expreſſis, alius ſi ſit ſinè parte vocatus,*
*As ſiquidem totus nonnulla parte carebit,*
*Fiet in illa hæres. Sin ſint ſine parte vocati*
*Plures, quiſcumq. in partem concurrit eandem.*
*Si verò as fuerit totus completus, habebunt*
*Expreſſas omnes illi qui nomine partes,*
*Dimidiam partem capient, aſt ille, vel illi*
*Omnes accipient aliam, mediamque tenebunt.*
*Nec refert primus, mediusne, noviſſimus hæres*
*Sit ſinè parte vocatus, quando quælibet illi*
*Pars haud ſcripta vacans conceſſa putabitur*
*eſſe.*

§. *VII.*

*Nunc age quid juris fuerit vos cernite, ſi qua*
*Pars vacet, & quiſquàm fuerit ſine parte ſtatutus*
*Hæres, ſi veluti ex quartis tres partibus extēt*
*Hæredes ſcripti; Et conſtat, cuicumq; vacantem*
*Partem prò hæredis tacitè jam accedere parte,*
*Atque perinde eſſe, ac ſi ex ternis partibus eſsēt*
*Hæredes ſcripti; Et contrà ſi in partibus adſint*
*Hæredes plures, tacitè decreſcere cunctis,*
*Si veluti hæredes quatuor ſint partibus æquè*
*Ex ternis ſcripti, quicumq; perindè putandus,*
*Atque hæres quarta fuerit ſi ex parte vocatus.*

§. *VIII.*

*Si verò in plures bis ſex partitio fiat (bit;*
*Partes, quod deerit, ſinè parte vocatus habe-*
*Idque erit, expletus ſi forte dupondius: Omnes*
*Poſtea quæ partes totum revocantur ad aſſem,*
*Quamvis ſint plures duodenis antè ſtatutæ.*

§. *IX.*

*Et ſub conditione poteſt, purèque vocari,*
*Sed certū ad tēpus nequit, aut ex tēpore certo,*
*Hæres, ut quinque annos poſtquā luminis au-*
*Linquam vitales, ex illis eſto Calendis (ras*
*Hæres, labentes illas vel ad usque Calendas.*
*Proque ſupervacuo placet illud tempus haberi,*
*Atque perindè eſſe, ac ſi eſſet purè ille vocatus.*

§. *X.*

*Aſt impoſſibilis, ſcriptis hæredibus omnis*
*Conditio, fideicommiſſis, atque relicto*
*In tabulis legato, & libertate putanda*
*Pro nō deſcripta, noſtro ut de jure ſtatutum eſt.*

§. *XI.*

Digitized by Google

§. XI.

Si plures conditiones in inſtitutionibus adſcriptæ ſunt: ſi quidem conjunctim, ut puta *ſi illud, & illud factum fuerit*: omnibus parendum eſt: ſi ſeparatim, veluti *ſi illud, aut illud factum erit*: cuilibet (conditioni) obtemperare ſatis eſt.

§. *XI.*

*Conditiones ſint plures ſi fortè notatæ,*
*Sit cū hæres ſcriptus, conjunctim, ſcilicet illud,*
*Atque illud ſi conficiet, parere tenetur*
*Cunctis: Sin fuerint ſejunctim, ſcilicet illud,*
*Sivè illud faciet, ſoli parere neceſſe eſt.*

§. XII.

Ii, quos nunquam teſtator vidit, hæredes inſtitui poſſunt, veluti ſi fratris filios peregrinantes, ignorans qui eſſent, hæredes inſtituerit; ignorantia enim teſtantis inutilem inſtitutionem non facit.

§. *XII.*

*Quos nunquam vidit, poterit deſcribere teſtans*
*Hæredes, veluti errantes ſi à fratre creatos,*
*Ignorans qui eſſent, hæredes ſcripſerit ipſe;*
*His teſtantis enim ignorantia nulla nocebit.*

## *De Vulgari Subſtitutione*

## TITVLVS XV.

POteſt autem quis in teſtamento ſuo plures gradus hæredum facere, ut puta, *Si ille hæres non erit, ille hæres eſto*: & deinceps, in quantum velit teſtator: ut noviſſimo loco in ſubſidium, vel ſervum neceſſarium hæredem inſtituere (poſſit.)

*HÆredum quis jure gradus deſcribere plures*
*In tabulis poterit, veluti ſi ille haud erit hæres,*
*Ille hæres eſto, atque deinceps, quatenus ipſe*
*Teſtator velit, ut ſupremo denique ſigno*
*Servum in ſubſidiu hæredem deſcribere poſſit.*

§. I.

Et plures in unius locum poſſunt ſubſtitui, vel unus in plurium, vel ſinguli in ſingulorum, vel invicem ipſi, qui hæredes inſtituti ſunt.

§. *I.*

*Inque locum unius plures teſtamine in uno*
*Subſtitui poſſunt, multorum aut occupet unus,*
*Alteriusve locum recto ordine, ſive viciſſim*
*Ipſi, qui fuerant hæredes ante ſtatuti.*

§. II.

Et ſi ex diſparibus partibus hæredes ſcriptos invicem ſubſtituerit, & nullam mentionem in ſubſtitutione partium habuerit: eas videtur in ſubſtitutione partes dediſſe, quas in inſtitutione expreſſerit: & ita divus Pius reſcripſit.

§. *II.*

*Si hæredes ſcriptos teſtator forte viciſſim*
*Subſtituat tabulis, factis non partibus æquis,*
*Mentio nec fiat dictis de partibus ulla,*
*Illas ſubſtituens partes tribuiſſe videtur,*
*Quas ipſe inſtituens tabulis expreſſerat ante,*
*Idque Pius ſcripſit ſacro de jure tenendum.*

§. III.

Sed ſi inſtituto hæredi, cohærede ſubſtituto dato, alius ei ſubſtitutus fuerit; divi Severus, & Antoninus ſinè diſtinctione reſcripſerunt, ad utramque partem ſubſtitutum admitti.

§. *III.*

*Sed ſi deſcripto hæredi fortaſſe cohæres*
*Subſtituatur, ei ſed ſubſtituatur & alter,*
*In tali caſu, nullo diſcrimine Divus*
*Antoninus reſcripſit, Divuſq; Severus, (illum,*
*Partem ad utramque ſtatim debere admittier*
*Qui fuit hæredis vice per teſtamina ſcriptus.*

§. IV.

Si ſervum alienum quis patrem familias arbitratus, hæredem ſcripſerit; & ſi hæres non eſſet, Mævium ei ſubſtituerit: iſque ſervus juſſu domini adierit hæreditatem (Mævius) ſubſtitutus, in partem admittitur. Illa enim verba, *ſi hæres non erit*, in eo quidem,

§. *IV.*

*Alterius ſervum, liber qui creditur eſſe,*
*Hæredem tabulis ſi quis deſcripſerit, hæres*
*Et ſi non eſſet, Titius foret inde vocatus,*
*Mandato Domini Servus ſi jura ſubibit,*
*Mittitur in partē Titius, quem ſcripſerat ille*
*Hæredis vice; Teſtantis nam verba relata,*
*Hæ-*

dem, quem alieno juri ſubiectum eſſe teſtator ſcit, ſic accipiuntur: ſi neque ipſe hæres erit, neque alium hæredem effecerit, in eo verò, quem patrem familias eſſe arbitratur, illud ſignificant, ſi hæreditatem ſibi, vel ei, cujus juri poſtea ſubjectus eſſe cœperit, non adquiſierit. Idque Tiberius Cæſar in perſona Parthenii ſervi ſui conſtituit.

*Hæres ni fuerit, ſic dicta putantur in illo,*
*Quem ſcit Teſtator Domini ſub jure teneri,*
*Sit ni ipſe hæres, hæredem nec fecerit ullum.*
*Id verò verbis teſtans expreſſit in illo,*
*Quem putat eſſe ſui juris, quæſiverit aſſem*
*Ni ipſe ſibi, vel ei, cujus juri eſſe deinde*
*Subditus incipiat. Cęſar decreverat olim* Tiber.
*Hoc in Parthenio, Domini quem jure tenebat.*

## *De Pupillari Subſtitutione*

## TITVLVS XVI.

Liberis ſuis impuberibus, quos in poteſtate quis habet, non ſolùm ita, ut ſupra diximus, ſubſtituere poteſt, ideſt, ut ſi hæredes ei non extiterint, alius ſit ei hæres: ſed eo ampliùs vt ſi hæredes ei extiterint, & adhuc impuberes mortui fuerint, ſit eis aliquis hæres: veluti ſi quis dicat hoc modo: *Titius filius meus hæres mihi eſto. Et ſi filius meus hæres mihi non erit, ſive hæres erit, & priùs moriatur, quàm in ſuam tutelã venerit: tunc Sejus hæres eſto*; quo caſu, ſiquidem non extiterit hæres filius: tunc ſubſtitutus patri fit hæres: ſi vero extiterit hæres filius, & ante pubertatem deceſſerit; ipſi filio ſit hæres ſubſtitutus: nam moribus inſtitutum eſt, ut quum ejus ætatis filii ſint, in qua ipſi ſibi teſtamentum facere non poſſunt, parentes eis faciant.

*Prognatis impuberibus, qui jura tenebit*
*Patris, ſubſtituit nõ ſolũ, ut diximus antè,*
*Si non extiterint hæredes ſcilicet ipſi,*
*Hæredes tunc ſint alij, ſed eò amplius, ut ſi*
*Quos habet hæredes, teneris moriãtur in annis,*
*Tunc aliquis ſit eis hæres, ut talia ſi quis*
*Dixerit: Eſto meus natus mihi Mæujus hæres,*
*Mæujus & ſi non fuerit mihi filius hæres,*
*Sivè hęres fuerit, vitales linquat & auras*
*Ante, ſuam quàm ipſe in tutelã venerit, hęres*
*Eſto tunc Sejus. Quo caſu filius hęres*
*Si non extiterit, tunc hęres nempè vocatus*
*Sit Patri; Extiterit Patri ſin filius hęres*
*Infans, & pubertatem deceſſerit antè,*
*Hęres ſit nato, fuerat qui à Patre vocatus;*
*Olim namque fuit priſco de more ſtatutum,*
*Illius ut gnati teneri cum ætatis adeſſent,*
*In qua haud ſupremas tabulas ſibi condere poſſent;*
*Ultima conficerent pro illis teſtamina Patres.*

### §. I.

Qua ratione excitati etiam conſtitutionem poſuimus in noſtro Codice, qua proſpectum eſt, ut ſi qui mentecaptos habeant filios, vel nepotes, vel pronepotes, cujuſcũque ſexus, vel gradus: liceat eis, & ſi puberes ſint, ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis, certas perſonas ſubſtituere; ſin autem reſipuerint, eandem ſubſtitutionem infirmari, & hoc ad exemplum pupillaris ſubſtitutionis, quæ poſtquam pupillus adoleverit, infirmatur.

### §. I.

*Sanximus hac ratione adducti in codice noſtro,*
*Vt ſi qui natos habeant, & mente carentes,*
*Cujuſcumque gradus fuerint, ſexusve, nepotes,*
*Sivè extent, neptes, pronepotes, ſivè proneptes*
*Pupilli exemplo, ipſorum vice ponere certas*
*Perſonas liceat, quamvis advenerit ipſis*
*Florida pubertas, nullum id ſed robur habere*
*Si reſipiſcant, infirmatur ſcriptus ut hæres*
*Pupilli vice, ubi florens pervenerit ætas.*

### §. II.

Igitur in pupillari ſubſtitutione ſecundũ præfatum modum ordinata, duo quodammodo ſunt teſtamenta: alterum patris, alterum filii; tanquam ſi ipſe filius ſibi hære-

dem

### §. II.

*Ergo in pupillo, cujus vice ſcribitur alter*
*Hęres, teſtamen quadam ratione geretur*
*Duplex, ſed primum Patris, natique ſecundum,*

*Tan-*

dem inſtituiſſet, aut certè unum teſtamentum eſt duarum cauſarum, ideſt, duarum hæreditatum.

*Tanquam ſi hæredem ſibi filius ipſe juberet;*
*Eſt unum certè cauſarum ſive duarum.*

§. III.

Sin autem quis ita formidoloſus ſit, ut timeat, ne filius ſuus pupillus adhuc, ex eo, quòd palam ſubſtitutum acceperit, poſt obitum ejus periculo inſidiarum ſubjaceat: vulgarem quidem ſubſtitutionem palam facere, & in primis teſtamenti partibus (ordinare) debet: illam autem ſubſtitutionem, per quam, ſi hæres extiterit pupillus, & ante pubertatem deceſſerit, ſubſtitutus vocatur: ſeparatim in inferioribus partibus ſcribere, eamque partem proprio lino, propriaque cera conſignare: & in priore parte teſtamenti cavere, ne inferiores tabulæ vivo filio, & adhuc impubere, aperiantur. Illud palam eſt, non ideò minus valere ſubſtitutionem impuberis filii, quòd in eiſdem tabulis ſcripta ſit, quibus ſibi quiſque hæredẽ inſtituiſſet, quamvis pupillo hoc periculoſum ſit.

§. *III.*

*Sin genitor timeat, ſua ne poſt funera natus,*
*Quòd pupillus adhuc hæredem accepit apertè,*
*Infelix jaceat ſemper vitaque periclis,*
*Inſidiiſque, loco ipſius deſcribere debet*
*Vulgarem in primis manifeſtè partibus antè*
*Hæredem, ſed ſejunctim conſcribere partem,*
*In qua erit hæres ſi natus, decedat & infans,*
*Hæres inferiore loco deſcribitur alter;*
*Hanc debet proprio lino, ceraque notare,*
*Atque in teſtamenti parte cavere priori,*
*Nè tabulas quis, vivo nato, aperire ſupremas*
*Audeat, atque impubere adhuc; patet hoc tamen unum,*
*Non idcirco minus firmi retinere vigoris*
*Pupilli hæredem, quòd ſit teſtamine eodem*
*Deſcriptus, quo hæredẽ jam ſibi quiſq; vocaſſet,*
*Quãvis pupillo hoc fuerit plenum inde pericl.*

§. IV.

Non ſolùm autem hæredibus inſtitutis impuberibus liberis ita ſubſtituere parentes poſſunt, ut ſi hæredes eis extiterint, & antè pubertatem mortui fuerint, ſit eis hæres is, quem ipſi voluerint, ſed etiam exhæredatis. Itaque eo caſu, ſi quid exhæredato pupillo ex hæreditatibus, legatiſve, aut donationibus propinquorum, atque amicorum adquiſitum fuerit: id omne ad ſubſtitutum pertinebit. Quæcunque diximus de ſubſtitutione impuberum liberorum, vel hæredum inſtitutorum, vel exhæredatorum: eadem etiam de poſthumis intelligimus.

§. *IV.*

*Aſt impuberibus natis hæredibus, ipſi*
*Non ſolùm hæredes poterũt ſic ſcribere patres,*
*Hæredes ut eis ſi ſint, pereantque tenelli,*
*Tunc ſit eis hæres ipſis quicumque placebit,*
*Verùm etiam exhæredatis. Quæſiverit ergo*
*Exhæredatus quidquid ſeu munere, ſivè*
*Legato defuncti, ſivè ex aſſe propinqui,*
*Pertinet omne id ad hæredẽ à genitore vocatũ.*
*Quæ de impuberibus natis nos diximus ante,*
*De illa dicantur, fuerit quæ poſthuma, prole.*

§. V.

Liberis autem ſuis teſtamentum nemo facere poteſt, niſi & ſibi faciat, nam pupillare teſtamentum, pars, & ſequela eſt paterni teſtamenti: adeò, ut ſi patris teſtamentum non valeat: nec filii quidem valebit.

§. *V.*

*At verò poterit nato teſtamina nemo*
*Condere, ni faciat tabulas ſibi, namque puelli*
*Teſtamen, genitoris pars eſt, atque ſequela*
*Teſtamenti, adeò ut tabulæ ſi fortè parentis*
*Non valeant, geniti poſſint nec robur habere.*

§. VI.

Vel ſingulis liberis, vel ei, qui eorum noviſſimus impubes morietur, ſubſtitui poteſt: ſingulis quidem, ſi neminem eorum inteſtatum decedere voluerit: noviſſimo, ſi jus legitimarum hæreditatum integrum inter eos cuſtodiri velit.

§. *VI.*

*Subſtitui poterit prognatis omnibus, illi*
*Aut, qui decedit fortaſſe noviſſimus infans:*
*Prognatis equidem cunctis, decedere eorum*
*Si ullum inteſtatum nolit: pueroque ſupremo,*
*Si velit, inter eos cuſtodiri integra jura.*

§. VII.

§. *VII.*

§. VII.

Subſtituitur autem impuberi aut nominatim, veluti *Titius*: aut generaliter, ut *quisquis mihi hęres erit*. Quibus verbis vocantur ex ſubſtitutione, impubere mortuo filio, illi, qui & ſcripti ſunt hæredes,& extiterunt, & pro qua parte hęredes facti ſunt.

§. *VII.*

*Subſtitui poterit puero vel nomine, ſicut*
*Cajus,vel generaliter,hæres(ut)mihi quisquis*
*Extiterit.Verbis his jure revocătur ad aſsem*
*Illi,qui hęredes, moriente impubere nato,*
*Extiterant, ſcriptique à teſtatore fuère,*
*Et pro qua fuerant hęredes parte vocati.*

§. VIII.

Maſculo igitur uſque ad quatuordecim annos ſubſtitui poteſt, fœminæ uſque ad duodecim annos: & ſi hoc tempus exceſſerint, ſubſtitutio evaneſcit.

§. *VIII.*

*Maſculeę proli ergo poteſt ad quattuor uſque,*
*Atque decem,annos ad duodenos fœminę & uſq;*
*Subſtitui: hoc evaneſcit quo tempore lapſo.*

§. IX.

Extraneo verò, vel filio puberi hæredi inſtituto, ita ſubſtituere nemo poteſt, ut ſi hæres extiterit,& intra aliquod tempus deceſſerit,alius ei ſit hęres;ſed hoc ſolùm permiſſum eſt, ut eum per fideicommiſſum teſtator obliget alii hęreditatem ejus, vel totam, vel pro parte reſtituere:quod jus quale ſit, ſuo loco trademus.

§. *IX.*

*Externo hęredi, aut nato non ullus adulto*
*Subſtituit, ſi hæres fuerit, decedat & intra*
*Tēpus præſcriptum,hęres ipſi exiſtat ut alter:*
*Hoc ſed permiſſum dumtaxat,ut obliget ipſum*
*Teſtans aſsem alii totum ſeu reddere, partem*
*Sive aſsis, noſtro ut de jure docebimus infra.*

## *Quibus modis teſtamenta infirmentur?*

## TITVLVS XVII.

Teſtamentum jure factum uſque eo valet, donec rumpatur, irritumve fiat.

*Teſtamēta valēt, fuerāt quæ cōdita jure*
*Noſtro,rumpātur donec,ſivè irrita ſiāt*

§. I.

Rumpitur autem teſtamentum, cum in eodem ſtatu manente teſtatore,ipſius teſtamenti jus vitiatur.Si quis enim poſt factum teſtamentum adoptaverit ſibi filium per Imperatorem, eum, qui eſt ſui juris: aut per prætorem ſecundùm noſtram conſtitutionem, eum, qui in poteſtate parentis fuerit: teſtamentum ejus rumpitur, quaſi adgnatione ſui hæredis.

§. *I.*

*Rumpuntur verò tabulę teſtatę,in eodem*
*Cum teſtante manente ſtatu. vitiabitur ipſum*
*Jus teſtamenti.Facto hinc teſtamine, natum*
*Si quis adoptarit reſcripto Principis illum,*
*Qui fuit antè ſui juris, Prętore ſecundùm*
*Vel noſtram legem mandante, receperit illum*
*Ut genitum, Patris fuerit qui jure retentus,*
*Rumpuntur tabulę;ſuus ut ſi adnaſcitur hęres.*

§. II.

Poſteriore quoque teſtamento,quod jure perfectum eſt, ſuperius rumpitur, nec intereſt,extiterit: ne aliquis hæres ex eo,an nō, hoc enim ſolùm ſpectatur, an aliquo caſu exiſtere potuerit. Ideoque ſi quis noluerit hæres eſſe,aut vivo teſtatore, aut poſt mortem ejus antequam hæreditatem adiret,deceſſerit:aut conditionis,ſub qua hæres inſtitutus eſt,defectus ſit: in his caſibus paterfamilias inteſtatus moritur. Nam & prius teſtamentum non valet, ruptum à poſteriore; & po-

§. *II.*

*Confectis etiam tabulis de jure ſecundis,*
*Rupūtur primę.Haud refert,an manſerit ullus*
*Hęres ex illis, an non: hoc namque videtur*
*Solùm,an ne ex aliquo caſu conſiſtere poſsit;*
*Atque ideò ſi forte hæres quis noluit eſſe,*
*Aut vivo teſtatore, aut poſt fata ſuprema*
*Ipſius, moriens vitales liquerit auras*
*Ille priùs, teſtatoris quàm jura ſubiret,*
*Conditio aut deſit, ſub qua fuit ille vocatus,*
*Inteſtatus abit teſtator caſibus iſtis.*
*Ruptum à poſteriore prius teſtamen habebit*

& poſterius æque nullas habet vires, cum ex eo nemo hęres extiterit.

§. III.

Sed,& ſi quis priore teſtamento jure perfecto,poſterius æquè jure fecerit:etiamſi ex certis rebus in eo hęredem inſtituerit:ſuperius tamèn teſtamentum ſublatum eſſe, divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt, cujus conſtitutionis verba (& hic)inſeri juſſimus, quum aliud quoque præterea in ea conſtitutione expreſſum ſit. Imperatores Severus, & Antoninus Coccejo Campano. Teſtamentum ſecundo loco factum, licet in eo certarum rerum hæres ſcriptus ſit, perindè jure valere, ac ſi rerum mentio facta non eſſet: ſed & teneri hæredem ſcriptum, ut contentus rebus ſibi datis, aut ſuppleta quarta ex lege Falcidia hæreditatem reſtituat his, qui in priore teſtamento ſcripti fuerant: propter inſerta fideicommiſſi verba, quibus, ut valeret prius teſtamentum, expreſſum eſt: dubitari non oportet. Et ruptum quidem teſtamentum hoc modo efficitur.

§. IV.

Alio autem modo teſtamenta jure facta infirmantur: veluti cum is, qui fecit teſtamentum, capite diminutus ſit: quod quibus modis accidat, primo libro retulimus.

§. V.

Hoc autem caſu irrita fieri teſtamenta dicuntur: quum alioquin,& quæ rumpũtur, irrita fiunt: & ea, quæ ſtatim ab initio non jure fiunt, irrita ſint; ſed & ea, quæ jure facta ſunt,& poſtea per capitis diminutionem irrita fiunt, poſſumus nihilominus rupta dicere. Sed quia ſanè commodiùs erat ſingulas cauſas ſingulis appellationibus diſtingui, ideo quædam non jure facta dicuntur, quædam jure facta rumpi, vel irrita fieri.

§. VI.

Non tamen per omnia inutilia ſunt ea teſtamẽta, quæ ab initio jure facta, per capitis diminutionem irrita facta ſunt; nam ſi ſeptẽ teſtium ſignis ſignata ſunt: poteſt ſcriptus hæres ſecundum tabulas teſtamenti bonorum poſſeſſionem agnoſcere,ſi modo defunctus, & civis Romanus, & ſuæ poteſtatis mortis tempore fuerit. Nam ſi ideo irritum factum ſit teſtamentum, quia civitatem, vel etiam libertatem teſtator amiſit, aut quia in

*Non aliquod robur, retinet firmamina nulla*
*Poſterius; nemo ex illo cum manſerit hæres.*

§. *III.*

*Sed ſi quis, facto teſtamine jure priore,*
*Poſterius teſtans pariter de jure notarit,*
*Quamvis ex certis hæredem ſcribat in illo*
*Rebus, ſublatum robur tamen eſſe prioris,*
*Scripſerunt Antoninus, Divuſque Severus,*
*Cujus ſanciti verba hic mandavimus addi,*
*Pręterea deſcriptum aliud cum lege ſit illa:*
*Antoninus Cãpano Pius,atq;Severus:* Coccejo
*Poſterius factum teſtamen jure valere,*
*Quamvis certarum rerum ſit ſcriptus in illo*
*Hęres, ceu rerum ſi mentio nulla fuiſſet*
*Facta, ſed hęredem deſcriptum jure teneri,*
*Ut ſibi contentus rebuſque, boniſque tributis,*
*Aut quarta ſuppleta (ut lex Falcidia mandat)*
*Illis aſſem reſtituat, teſtamine primo*
*Qui fuerant deſcripti hęredes, poſtea propter*
*Inſerta hęc fideicommiſſi verba, priora,*
*Queis expreſſũ clarè,ut teſtamenta valerent,*
*Non dubitandum eſt.Sic fiunt teſtamina rupta.*

§. *IV.*

*Aſt alia ratione queunt teſtamina jure*
*Facta infirmari,veluti capite ille minutus*
*Si ſit, qui fecit teſtamen. Quomodo poſſit*
*Id fieri, attulimus primo nos ante libello.*

§. *V.*

*Irrita dicuntur fieri hoc teſtamina caſu,*
*Et quę rumpuntur cum alioquin irrita fiunt,*
*Et quę principio haud fiũt jure;irrita habẽtur.*
*Aſt ea, quæ fuerant primò de jure ſtatuta,*
*Atque deinde ſtatus fecit mutatio vana,*
*Poſſumus & nihilominus hęc nos dicere rupta.*
*Sed quia commodiùs fuerat diſtinguere cauſas*
*Nominibus diſtinctis, quędam haud jure ſeruntur*
*Facta,alia ex jure, at rũpi,ſive irrita reddi.*

§. *VI.*

*Non per cuncta tamen teſtamen inutile fiet,*
*Principio fuerat factum quod jure, deindè*
*Illud confecit capitis mutatio vanum;*
*Namque fuit ſeptem ſcriptum ſi teſtibus, inde*
*Ex teſtamenti tabulis, hærede bonorum*
*A ſcripto poterit noſci poſſeſſio, civis*
*Si modò Romanus defunctus, tempore mortis*
*Sivè ſui juris fuerit; nam ſi irrita facta*
*Teſtamenta,quia aut teſtans amiſerit Urbem,*
*Aut libertatem, aut quia ſe ſe tradidit ipſe*
*Alteri*

in adoptionem ſe dedit, & mortis tempore in adoptivi patris poteſtate ſit: non poteſt ſcriptus hæres, ſecundùm tabulas, bonorum poſſeſſionem petere.

*Alteri adoptandum, fueritque in jure Parentis*
*Tempore, quo moriens ſuperis deceſſit ab oris,*
*Ex tabulis teſtamenti non ulla bonorum*
*Hæredè à ſcripto poterit poſſeſſio poſci.*

§. VII.

Ex eo autem ſolo non poteſt infirmari teſtamentum, quòd poſtea teſtator id noluerit valere: uſque adeo, ut & ſi quis poſt factum prius teſtamentum poſterius facere cœperit: & aut mortalitate præventus, aut quia eum ejus rei pœnituit, id non perfecerit: divi Pertinacis oratione cautum ſit, ne aliàs tabulæ priores jure factæ irritæ fiant, niſi ſequentes jure ordinatæ, & perfectæ fuerint, nam imperfectum teſtamentum ſinè dubio nullum eſt.

§. *VII.*

*Non idcircò infirmari teſtamina poſſunt,*
*Poſtea teſtator quia noluit illa valere;*
*Hinc ſi teſtator primo teſtamine facto,*
*Condere poſterius quod cœpit, funere ademptus,*
*Vel quia pœnituit ſe, non perfecerit illud:*
*Principis eſt cautu dictis, ut codita jure* (Perti-
*Nō aliàs fiant teſtamēta irrita prima,* (nacis.
*Ordine ni fuerint perfecta ſequentia juris;*
*Namq; imperfectu nullum teſtamen habetur.*

§. VIII.

Eadem oratione expreſſit, nō admiſſurum ſe hæreditatem ejus, qui litis cauſa Principem reliquerit hæredem, neq; tabulas non legitimè factas, in quibus ipſe ob eam cauſam hæres inſtitutus erat probaturum: neque ex nuda voce hæredis nomen admiſſurum: neque ex ulla ſcriptura, cui juris auctoritas deſit, aliquid adepturum. Secundum hoc divi Severus, & Antoninus ſæpiſſimè reſcripſerunt. Licet enim (inquiunt) legibus ſoluti ſimus, attamen legibus vivimus.

§. *VIII.*

*Expreſſit verbis etiam, non illius aſſem*
*Se admiſſurum, a quo Princeps ſit forte vocatus*
*Litis cauſa hæres, tabulas neque jure notatas*
*Nullo, queis hæres cauſam deſcriptus ob illam*
*Ipſe, probaturum, ex nudo nec nomine nomen*
*Admiſſurum hæredis: nec cui robora juris*
*Deſunt, capturū ex ſcripto bona. Sæpè ſecundū*
*Hoc Antoninus ſcripſit Pius, atque Severus;*
*Namquamvis ſimus (dixerunt) lege ſoluti,*
*Eſſe tamen volumus ſubjecti legibus ipſi.*

## *De Inofficioſo Teſtamento*

## TITVLVS XVIII.

Quia plerumque parentes ſine cauſa liberos ſuos exhæredant, vel omittunt: inductum eſt, ut de inofficioſo teſtamento agere poſſint liberi, qui queruntur, aut iniquè ſe exhæredatos, aut iniquè præteritos: hoc colore, quaſi non ſanæ mentis fuerint, cum teſtamentum ordinarint. Sed hoc dicitur, non quaſi verè furioſus ſit, ſed rectè quidem fecerit teſtamentum, non autem ex officio pietatis. Nam ſi verè furioſus ſit, nullum teſtamentum eſt.

*Cum ſine cauſa exhæredēt plerumque Parentes,*
*Prætereantve ſuos natos, eſt jure ſtatutum,*
*De tabulis agere ut natus quicumque Parentis*
*Poſſit inofficioſis, qui vel factus iniquè*
*Exhæres queritur, tabulis vel omiſſus iniquè:*
*Hoc fortaſſe colore, Parens quaſi mente carebat*
*Tempore, quo morbo preſſus teſtamina fecit;*
*Non autem, veluti verè furioſus adeſſet,*
*Dicitur hoc, rectè at fecit teſtamina, verùm*
*Non ex officio pietatis; namque furore*
*Si in vero is fuerit, nullum teſtamen habetur.*

§. I.

Non autem liberis tantùm permiſſum eſt teſtamentum parentum inofficioſum accuſare, verùm etiam liberorum parentibus. Soror

§. *I.*

*Sed poterit teſtamentum accuſare parentum*
*Natus inofficioſum, atque accuſare parentes*
*Natorum tabulas poterunt; Fraterque, ſororq;*

 Per-

Soror autem, & frater, turpibus perſonis ſcriptis hæredibus, ex ſacris conſtitutionibus prælati ſunt. Non ergo contra omnes hæredes agere poſſunt. Ultra fratres igitur, & ſorores cognati nullo modo, aut agere poſſunt, aut agentes vincere.

§. II.

Tàm autem naturales liberi, quàm ſecundum noſtræ conſtitutionis diviſionem adoptati, ita demum de inofficioſo teſtamento agere poſſunt, ſi nullo alio jure ad defuncti bona venire poſſint. Nam qui ad hæreditatem totam, vel partem ejus alio jure veniunt, de inofficioſo agere non poſſunt. Poſthumi quoque, qui nullo alio jure venire poſſunt, de inofficioſo agere poſſunt.

§. III.

Sed hæc ita accipiẽda ſunt, ſi nihil eis penitus à teſtatoribus teſtamento relictum eſt, quod noſtra conſtitutio ad verecundiam naturæ introduxit. Sin verò quantacumque pars hæreditatis, vel res eis fuerit relicta: de inofficioſo querela quieſcente id, quod eis deeſt, uſque ad quartam legitimæ partis repleatur: licet non fuerit adiectum, boni viri arbitratu debere eam compleri.

§. IV.

Si tutor nomine pupilli, cujus tutelam gerebat, ex teſtamento patris ſui legatũ acceperit, cum nihil erat ipſi tutori relictum à patre ſuo: nihilominus poterit nomine ſuo de inofficioſo patris teſtamento agere.

§. V.

Sed ſi è contrario pupilli nomine, cui nihil relictum fuerat, de inofficioſo egerit, & ſuperatus eſt: ipſe (tutor,) quod ſibi in teſtamento eodem legatum relictum eſt, non amittit.

§. VI.

Igitur quartam quis debet habere, ut de inofficioſo agere non poſſit: ſivè jure hæreditario, ſivè jure legati, vel fideicommiſſi; vel ſi mortis cauſa ei quarta donata fuerit, vel inter vivos: in iis tantummodo caſibus, quorum mentionem facit noſtra conſtitutio: vel aliis modis, qui (in noſtris) conſtitutionibus continentur. Quod autem de quarta diximus, ita intelligendum eſt, ut ſivè unus fuerit, ſivè plures, quibus agere de inofficioſo teſtamento permittitur: una

quar-

*Perſonæ turpi hæredi in teſtamine ſcriptæ*
*Præfertur, veluti imperitarunt ſacra ſtatuta.*
*Non ergo in cunctos hæredes actio danda.*
*Cognati ne queunt ulla ratione ſorores*
*Ultra, vel fratres, agere, aut evincere agentes.*

§. *II.*

*Natus adoptivus, noſtro ac de ſanguine cretus,*
*Teſtamen poſſunt ſic accuſare Parentis,*
*Si ad bona non poſſint ullo de jure venire*
*Defuncti; ad bona namq; alio qui jure Parentis*
*Cuncta venit, ſive ad partẽ, teſtamina nunquã*
*Patris inofficioſa poteſt accerſere. Proles (re,*
*Poſthuma, quæ haud alio poterit de jure veni-*
*De teſtamine inofficioſo jure queretur.*

§. *III.*

*Hæc ita ſunt capienda, nihil ſi fortè relictum*
*Illis ſit penitùs (ſtatuit quod ſanctio noſtra)*
*Sin verò ſit quanta ipſis pars cumque relicta,*
*De tabulis Patris lacrymoſa querela quieſcat,*
*Legitimæ ad quartã partis repleatur & indè:*
*Defuerit quodcumque bonum, debere repleri,*
*Non licet adiectum, arbitrio doctique, bonique.*

§. *IV.*

*Nomine pupilli, cujus fortaſſe gerebat*
*Tutelam, tutor ſi quæ legata ſupremis*
*Cœperit ex tabulis Patris, fueritque relictum*
*Tutori nihil, eſt nihilominus actio contra*
*Patris inofficioſa ſui teſtamina danda.*

§. *V.*

*Sed ſi Tutor agit pupilli nomine contrà,*
*Cui nulla in tabulis Patris legata relicta,*
*De teſtamine inofficioſo, & vincitur, ipſe*
*Non amittit, quæ fuerant teſtamine eodem*
*Defuncto a genitore ſibi legata relicta.*

§. *VI.*

*Ergo prognatus quartam quis debet habere,*
*Nulla ut inofficioſo de teſtamine poſſit*
*Actio competere ipſi, hæredis jure, relicti*
*Legati, aut fideicommiſſi, nomine mortis*
*Aut donata illi fuerit ſi portio quarta,*
*Aut inter vivos: dumtaxat caſibus iſtis,*
*De quibus expreſſè meminit jam sãctio noſtra,*
*Sivè modis aliis noſtris in legibus antè*
*Deſcriptis. Verùm quidquid nos diximus ipſa*
*De quarta, cognoſci ſic debere jubemus,*
*Ut ſit ſivè unus, ſeu plures, jure ſupremas*
*Queis cõtra tabulas Patris eſt permiſſa querela,*

*Una*

Digitized by Google

quarta eis dari poſſit, ut ea pro rata eis diſtribuatur.

*Una dari tantùm poſſit jam portio quarta,*
*Ipſis, proque rata fiat diviſio cunctis.*

## *De Hæredum qualitate, & differentia*

## TITVLVS XIX.

HÆredes autem, aut neceſſarii dicuntur, aut ſui, & neceſſarii, aut extranei.

*HÆres jam verò dicetur ſivè coactus,*
*Seù ſuus, atque coactus, ſivè extraneus*
*eſſe.*

### §. I.

Neceſſarius hæres eſt ſervus hæres inſtitutus. Ideòque ſic appellatur, qui ſivè velit, ſivè nolit, omninò poſt mortem teſtatoris protinus liber, & neceſſarius hæres fit. Undè qui facultates ſuas ſuſpectas habent: ſolent ſervum ſuum primo, aut ſecundo, aut etiam ulteriore gradu hæredem inſtituere: ut ſi creditoribus ſatis non fiat, potiùs ejus hæredis bona, quàm ipſius teſtatoris à creditoribus poſſideantur, vel diſtrahantur, vel inter eos dividantur. Pro hoc tamen incommodo, iſtud ei commodum præſtatur: ut ea, quæ poſt mortem patroni ſui ſibi adquiſierit, ipſi reſerventur. Et quamvis bona defuncti non ſufficiant creditoribus: (iterum) tamen ex ea cauſa res ejus, quas ſibi adquiſierit, non veneunt.

### §. I.

*Eſt hæres ſervus ſcriptus de jure coactus;*
*Attamen idcircò fuerat ſic nomine dictus,*
*Quòd Domini teſtantis erit poſt funera liber*
*Protinus, aut velit, aut nolit, fietque coactus*
*Hæres. Undè facultates quicumque tenebit*
*Suſpectas, ſervum ſeù primo, ſivè ſecundo,*
*Sivè gradu ulteriore poteſt deſcribere ceris*
*Hæredem in ſupremis, ut ſic creditor ille,*
*Cui ſatis haud fit, poſſideat bona, diſtrahat, ipſa*
*Dividat hæredis potiùs, quàm lumine caſſi*
*Teſtãtis Domini. Fuit hæc cũ incõmoda ſervus*
*Paſſus, ei præſtantur commoda, ſcilicet illa,*
*Quæ ſibi quæſivit, Domini ut poſt funera ſer-*
*vet.*
*Et bona defuncti quanquã ſatis eſſe nequibunt*
*Solvẽdo æri alieno, per cauſam attamen illam,*
*Quæ ſibi quæſivit, non vendet poſtea ſervus.*

### §. II.

Sui autem, & neceſſarii, hæredes ſunt, veluti filius, filia, nepos, neptiſve ex filio, & deinceps cæteri liberi, qui in poteſtate morientis modò fuerint. Sed ut nepos, neptiſve ſui hæredes ſint, non ſufficit eum, eamve in poteſtate avi mortis tempore fuiſſe: ſed opus eſt, ut pater ejus vivo patre ſuo deſierit ſuus hæres eſſe, aut morte interceptus, aut qualibet alia ratione liberatus à patris poteſtate: tunc enim nepos, neptiſve in locum patris ſui ſuccedit. Sed ſui quidem hæredes ideò appellantur, quia domeſtici hæredes ſunt, & vivo quoque patre, quodammodo domini exiſtimantur. Undè etiam ſi quis inteſtatus moriatur: prima cauſa eſt in ſucceſſione liberorum. Neceſſarii verò ideò dicuntur, quia omninò, ſivè velint, ſivè nolint, tàm ab inteſtato, quàm ex teſtamento (ex lege duodecim tabularum) hæredes fiunt. Sed his prætor permittit volentibus abſti-

### §. II.

*Jure ſuus prognatus dicitur eſſe coactus*
*Hæres, ex nato neptiſque, neposque, deinceps,*
*Qui modò teſtantis patrio ſub jure fuère.*
*Sed neptis, vel nepoſve ſuus dicatur ut hæres,*
*Tempore mortis avi chari ſub jure fuiſſe*
*Non ſatis eſt, ſed opus, Pater ut deſiverit hæres*
*Eſſe ſuus, vivo genitore, aut funere adem-*
*ptus,*
*Qualibet aut patrio ratione ab jure ſolutus;*
*Tunc etenim Patris neptiſve, nepoſve tenebit*
*Ipſe locum. Aſt idcircò ſuus cenſebitur hæres,*
*Hæres eſt etenim ille domeſticus, atq; Parentis*
*In vita Dominus quadam ratione putatur.*
*Undè etiam inteſtatus ſi quis liquerit auras,*
*Illico debetur natis ſucceſſio. Verùm*
*Filius idcircò hæres dicitur eſſe neceſſe,*
*Quòd velit, aut nolit fieri jam dicitur hæres,*
*Teſtatus genitor, ſivè inteſtatus obivit,*
*Juſſum eſt ut ſcripta in duodenis lege tabellis.*
*Is verò a ſe volens Patris, Prætore jubente,*
*Abſti-*

abſtinere hæreditate: ut potiùs parentis, quàm ipſorum bona ſimiliter à creditoribus poſſideantur.

*Abſtinet, ut tantùm bona creditor inde Parētis*
*Poſſideat, miſeri nati ſed jura relinquat.*

§. III.

Cæteri, qui teſtatoris juri ſubjecti non ſunt, extranei hæredes appellantur. Itaque liberi quoque noſtri, qui in poteſtate noſtra non ſunt, hæredes à nobis inſtituti, extranei hæredes nobis videntur. Quā de cauſa & qui hæredes à matre inſtituuntur, eodem numero ſunt: quia fœminæ in poteſtate liberos non habent. Servus quoque hæres à domino inſtitutus, & poſt teſtamentum factum ab eo manumiſſus, eodem numero habetur.

§. III.

*Subditus haud teſtantis Juri extraneus hæres*
*Dicitur. Hinc natus, nullo qui jure tenetur*
*Noſtro, hæres nobis extraneus eſſe feretur*
*A nobis hæres ſcriptus. Qui à matre vocatur*
*Hæres, ille hæres numero dicetur eodem;*
*Mater enim natos nullo ſub jure coercet.*
*Servus ſi à Domino ſcriptus, fortaſſe ſolutus*
*Jure eſt poſt tabulas, numero hoc quoque habebitur hæres.*

§. IV.

In extraneis hæredibus illud obſervatur, ut ſit cum eis teſtamenti factio: ſivè hæredes ipſi inſtituantur, ſivè hi, qui in poteſtate eorum ſunt, & id duobus temporibus inſpicitur: teſtamenti quidem (facti) tempore, ut conſtiterit inſtitutio: mortis verò teſtatoris, ut effectum habeat; hoc ampliùs, & cum adit hæreditatem, eſſe debet cum eo teſtamenti factio, ſivè purè, ſivè ſub conditione hæres inſtitutus ſit; nam jus hæredis eo maximè tempore inſpiciendum eſt, quo adquirit hæreditatem. Medio autem tempore inter factum teſtamentum, & mortem teſtatoris, vel conditionem inſtitutionis exiſtentem, mutatio juris non nocet hæredi: quia (ut diximus) tria tempora inſpici debent. Teſtamenti autem factionem non ſolùm is habere videtur, qui teſtamentum facere poteſt: ſed etiam qui ex alieno teſtamento, vel ipſe capere poteſt, vel alii adquirere, licet non poſſit facere teſtamentum. Et ideò furioſus, & mutus, & poſthumus, & infãs, & filius familias, & ſervus alienus teſtamenti factionem habere dicuntur. Licet enim teſtamentum facere non poſſint, attamen ex teſtamento, vel ſibi, vel alii adquirere poſſunt.

§. IV.

*Hoc in eo obſervatur qui eſt extraneus hæres,*
*Ut cum illo teſtamenti ſit factio, ſivè*
*Ipſe hæres fiat, ſeù qui ejus jure tenetur.*
*Hoc autem gemino ſpectatur tempore, planè*
*Tempore, quo teſtamen factum, ut factio eſſet*
*Hæredis, teſtantis verò tempore mortis*
*Effectum ut teneat. Verùm ſpectatur & illud,*
*Ut cum aſſem ſubeat, tabularum debeat eſſe*
*Factio eum illo, hæres ſit purè ſivè vocatus,*
*Sivè aliqua fuerit ſub conditione ſtatutus;*
*Namque hæredis eo ſpectantur tempore jura,*
*Aſſem quo adquirit; medio ſed tempore factū*
*Inter teſtamen, teſtantis & ultima fata,*
*Conditionemve extantem, mutatio juris*
*Nō nocet hæredi; Tria namq; ut diximus ante,*
*Tempora ſpectari debent. Verùm eſſe videtur*
*Non illi ſolùm tabularum factio, poſſit*
*Condere qui teſtamentum, teſtamine ſed qui*
*Alterius ſibi, ſivè aliis acquirere poſſit;*
*Ipſe licet nequeat tabulas deſcribere; quare*
*Factio fertur ei meritò teſtaminis eſſe,*
*Qui eſt mutus, ſurdus, furioſus, poſthumus, infans,*
*Alterius ſervus, patrioque ab jure ligatus;*
*Scribere nam quamvis nequeant moderamina mentis,*
*Attamen è tabulis alii, aut ſibi quærere poſſunt.*

§. V.

Extraneis autem hæredibus deliberandi poteſtas eſt de adeunda hæreditate, vel nō adeunda. Sed ſivè is, cui abſtinendi poteſtas eſt, immiſcuerat ſe bonis hæreditatis: ſivè extraneus, cui de adeunda hæreditate deliberare licet, adierit: poſtea relinquendæ hæreditatis facultatem non habet, niſi

minor

§. V.

*Externo hæredi ſtatuendi eſt danda poteſtas,*
*Utrum jura velit defuncti, an nolit adire;*
*Sed ſe ſivè bonis defuncti immiſceat ille,*
*Cui data defuncti renuendi jura poteſtas;*
*Sivè extraneus, eſt cui jure tributa facultas*
*Decernēdi de aſſe adeundo, haud linquere jura*
*Ipſe deĭde poteſt, annis ni quinque is minor ſit,*

*Et*

Digitized by Google

minor ſit vigintiquinque annis. Nam hujus ætatis hominibus, ſicut in cæteris omnibus cauſis deceptis: ita & ſi temere damnoſam hæreditatem ſuſceperint, prætor ſuccurrit. Sciẽdum eſt tamen, divum Hadrianum etiã majori vigintiquinque annis veniam dediſſe, cum poſt aditam hęreditatem grande æs alienum, quod aditę hęreditatis tempore latebat, emerſiſſet. Sed hoc quidem divus Hadrianus cuidam ſpeciali beneficio pręſtitit, divus autem Gordianus poſtea militibus tantummodo hoc conceſſit.

*Et viginti; etenim, Prætore jubente, minori*
*Eſt ſuccurrendum decepto, ſicut in omni*
*Cauſa, ita ſi temerè damnoſum caperit aſsem.*
*Hanc illi tribuit veniam, qui degerat annos*
*Quinq; & bis denos, Princeps, emerſerit inde* Hadrian.
*Si poſt aſsem aditum æs alienum grãde, latebat*
*Quod tũc, cũ as aditus fuerat. Specialiter autẽ*
*Id cuidam Princeps Hadrianus præſtitit olim,*
*Militibus tantũ cõceſſit poſtea Cæſar.* Gordianus.

## §. VI.

Sed noſtra benevolentia commune omnibus ſubjectis Imperio noſtro hoc beneficium pręſtitit, & conſtitutionem tàm ęquiſſimam, quàm nobiliſſimam ſcripſit: cujus tenorem ſi obſervaverint homines, licet eis adire hęreditatem, & in tantum teneri, quantum valere bona hęreditatis contingit, ut ex hac cauſa neque deliberationis auxilium ſit eis neceſſarium, niſi omiſſa obſervatione noſtrę conſtitutionis, & deliberandum exiſtimaverint, & ſeſe veteri gravamini aditionis ſupponere malverint.

## *§. VI.*

*Præſtitimus verò nos id commune benigni*
*Omnibus imperio ſubjectis. Sanctio quondam*
*Nobilis hæc fuit à nobis æquiſſima ſcripta,*
*Cujus ſervarint ſi homines, populique tenorem,*
*Aſsem cuiq; ſubire licet, tantumque teneri,*
*Quantum contingit defuncti jura valere;*
*Ut tali ex cauſa expendendi haud eſſe neceſſe*
*Auxilium dicatur eis, ni forte ſtatuti*
*Linquatur noſtri obſervatio, & inde putarint*
*Eſſe ſibi ſtatuendum adeundo de aſse, vetuſtis*
*Atq; gravaminibus ſe adeundi ſubdere malint.*

## §. VII.

Item extraneus hęres teſtamento iſtitutus, aut ab inteſtato ad legitimam hęreditatem vocatus, poteſt aut pro hęrede gerendo, aut etiam nuda voluntate ſuſcipiendę hæreditatis, hęres fieri. Pro hęrede autem gerere quis videtur, ſi rebus hęreditariis tanquam hęres utatur, vel vendendo res hęreditarias, vel prędia colendo, locandove, & quoquo modo voluntatem ſuam declaret, vel re, vel verbo de adeunda hęreditate, dummodo ſciat, eum, in cujus bonis pro hęrede gerit, teſtatum, inteſtatumve obiiſſe, & ſe ei hæredem eſſe. Pro hærede enim gerere, eſt pro domino gerere; veteres enim hæredes pro dominis appellabant. Sicut autem nuda voluntate extraneus hæres fit: ita contraria deſtinatione ſtatim ab hæreditate repellitur. Eum, qui ſurdus, vel mutus natus, vel poſtea factus eſt: nihil prohibet pro hærede gerere, & adquirere ſibi hæreditatem: ſi tamen intelligit, quod agit.

## *§. VII.*

*Inſuper inſcriptus tabulis extraneus hæres,*
*Aut ſit ab inteſtato expreſſo jure vocatus*
*Ad bona defuncti, poterit pro hærede gerendo;*
*Aut te ſi ipſi fuerit capiendi nuda voluntas*
*Aſsem, hæres fieri. Verùm pro hærede videtur*
*Quis gerere, utatur cunctis ſi juribus ipſe*
*Defuncti tãquã hæres, vel jura omnia vẽdens,*
*Prædia ſive locans, recolenſve, oſtenderit inde*
*Ipſe voluntatem quavis ratione, loquendo,*
*Aut te, de aſse ipſo capiendo, dummodo & illum,*
*Noverit, in cujus rebus pro hærede gerebat,*
*Teſtatum è terris, inteſtatumve migraſſe,*
*Hæredem defuncti ſeque fuiſſe putarit;*
*Nam gerit is pro hærede, gerit quicumq; priori*
*Pro Domino. Veteres hæredes namq; vocabant*
*Pro Dominis. Faciet ſicut quæcumque voluntas*
*Nuda hæredẽ, hæres fertur qui extraneus eſſe,*
*Hæredem pariter contraria jure repellit.*
*Qui natus ſurdus mutus, vel poſtea factus,*
*Dummodò quod faciat, noſcat ſibi conſcius ipſe,*
*Is pro hærede geret, poterit ſibi quærere & aſſem.*

## *De Legatis*

## TITVLVS XX.

POſt hæc videamus de legatis: quæ pars juris extra propoſitam quidem materiam videtur, (nam loquimur de iis juris figuris, quibus per univerſitatem res nobis adquiruntur) ſed cum omnino de teſtamentis, & de hæredibus, qui in teſtamento inſtituuntur, loquuti ſumus: non ſine cauſa ſequẽti loco poteſt hæc juris materia tractari.

§. I.

Legatum itaque eſt donatio quædam a defuncto relicta, ab hærede præſtanda.

§. II.

Sed olim quidem erant legatorum genera quatuor per vindicationem, per damnationem, ſinendi modo, per præceptionem, & certa quædam verba cuique generi legatorum adſignata erãt: per quæ ſingula genera legatorum ſignificabantur. Sed ex conſtitutionibus divorum Principum ſolemnitas hujuſmodi verborum penitus ſublata eſt. Noſtra autem conſtitutio, quam cum magna fecimus lucrubatione, defunctorum voluntates validiores eſſe cupientes, & non verbis, ſed voluntatibus eorum faventes, diſpoſuit: ut omnibus legatis una ſit natura, & quibuſcumque verbis aliquid relictum ſit, liceat legatariis id perſequi, non ſolùm per actiones perſonales, ſed etiam per in rem, & per hypothecariam. Cujus conſtitutionis perpenſum modum ex ipſius tenore perfectiſſime accipere poſſibile eſt.

§. III.

Sed non uſque ad eam conſtitutionem ſtandum eſſe exiſtimavimus. Cum enim antiquitatem inveniemus legata quidem ſtricte concludentem, fideicommiſſis autem, quæ ex voluntate magis deſcendebant defunctorum, pinguiorem naturam indulgentem: neceſſarium eſſe duximus, omnia legata fideicommiſſis exæquare: ut nulla ſit inter ea differentia: ſed quod deeſt legatis, hoc repleatur ex natura fideicommiſſorum: & ſi quid amplius eſt in legatis, per hoc creſcat fideicommiſſorum natura. Sed ne in primis legum cunabulis permiſtim de his expo-

*HIs viſis, nobis modò ſunt legata videnda,*
*Quę planè juris pars eſſe videbitur ex-*
*Materię poſitã; juris de his namq; figuris (tra*
*Nos loquimur, generatim queis bona cuncta*
*parantur*
*Defuncti. Verùm eum de teſtamine, ſcripto*
*Ac tabulis penitus ſimus de hærede locuti,*
*Materies venit iſta loco tractanda ſequenti.*

*§. I.*

*Ergo legatum fertur donatio quædam,*
*Danda manu hæredum, a defunctis atq; relicta.*

*§. II.*

*Sed fuerant ſpecies legati quattuor olim,*
*Quãlibet & ſpeciem ſpecialia verba notabant;*
*Legibus at variis ſublata hæc verba fuère,*
*Jure quibus fieri tulerant legata priores.*
*Sanctio noſtra autem, ſtudio quã fecimus omni*
*Optantes, valeat defuncti ut ſola voluntas,*
*Ipſiusque voluntati nos uſque faventes,*
*Non verbis, ſtatuit legatis omnibus una*
*Natura ut maneat, fuerint quocumque notata*
*Hæc verbo, & liceat quodcũque tenere relictũ*
*Olli, cui tabulis fuerint legata relicta;*
*Nec ſolùm perſonalis jam competat illi*
*Actio, verùm in rem, & quæ provenit ex hypo-*
*theca:*
*Cujus perpenſam rationem quisque tenore*
*Ipſius poterit perfectè naſcere legis.*

*§. III.*

*Sed nos non ad eam legem usq: putavimus eſſe*
*Standum; ſtrictè etenim claudat eum priſca*
*vetuſtas*
*Legata, & fideicommiſſis (certa voluntas*
*Quæ faciebat defunctorum) indulgeat ipſa*
*Naturam pinguem magis, exæquare neceſſe*
*Legata hæc fideicommiſſis cuncta putamus,*
*Ut ſit diſcrimen nullum, & quod deficit ipſi*
*Legato, fideicommiſſum tradat, & extet*
*Si quid legato, creſcat natura per illud*
*Et fideicommiſſi; Sed cunabula legum*
*Nè primò, ſi hic permiſtim tractabimus iſta,*

*Aſpera*

exponendo, ſtudioſis adoleſcentibus quandam introducamus difficultatem : operæ pretium eſſe duximus, interim ſeparatim priùs de legatis, & poſtea de fideicommiſſis tractare, ut natura utriuſque juris cognita, facilè poſſint permiſtionem eorum eruditi ſubtilioribus auribus accipere.

§. IV.

Non ſolùm autem teſtatoris, vel hæredis res, ſed etiam aliena legari poteſt : ita ut hæres cogatur redimere eam, & præſtare : vel ſi eam non poteſt redimere, æſtimationem ejus dare. Sed ſi talis ſit res, cujus cõmercium non eſt, (vel adipiſci non poteſt: ) nec æſtimatio ejus debetur, veluti ſi cãpum Martium, vel Baſilicas, vel templa, vel quæ publico uſui deſtinata ſunt, legaverit; nam nullius momenti (tale) legatum eſt. Quòd autem diximus, alienam rem poſſe legari : ita intelligendum eſt, ſi defunctus ſciebat alienam rem eſſe, non ſi ignorabat. Forſitan enim ſi ſciviſſet alienam rem eſſe, non legaſſet· & ita divus Pius reſcripſit. Et verius eſt ipſum, qui agit, ideſt, legatarium probare oportere, ſciviſſe alienam rem legare defunctum: non hæredem probare oportere, ignoraſſe alienam : quia ſemper neceſſitas probandi incumbit illi, qui agit.

§. V.

Sed & ſi rem obligatam creditori aliquis legaverit, neceſſe habet hæres (eam) luere. Et (in) hoc quoque caſu idem placet, quod in re aliena: ut ita demum luere neceſſe habeat hæres, ſi ſciebat defunctus, rem obligatam eſſe; & ita divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt. Si tamen defunctus voluerit legatarium luere, & hoc expreſſerit, non debet hæres eam luere.

§. VI.

Si res aliena legata fuerit, & ejus rei, vivo teſtatore, legatarius dominus factus fuerit: ſi quidem ex cauſa emptionis : ex teſtamento actione pretium conſequi poteſt. Si verò ex cauſa lucrativa, veluti ex donatione, vel ex alia ſimili cauſa, agere non poteſt: nam traditum eſt, duas lucrativas cauſas in eundem hominem, & eandem rem concurrere non poſſe. Hac ratione, ſi ex duobus teſtamentis eadem res eidem debeatur: intereſt, utrum rem, an æſtimationem ex teſtamento conſequutus ſit : nam ſi rem habet,

age-

*Aſpera reddantur iuveni, nos duximus eſſe*
*Nunc operæ pretium, diſiunctim dicere primò*
*Interea de legatis, tractare deinde*
*De fideicommiſſo, utriusque ut cognita juris*
*Cum natura foret, permiſtè cuncta periti*
*Callidiùs Juvenes dicenda ediſcere poſſint.*

§. *IV*.

*Non modò rem hæredis teſtans legare, ſuamve,*
*Verùm etiam alterius poterit, cogatur ut hæres*
*Illã emere, & dare: ſed redimẽdi nulla facultas*
*Si fuerit, precium teneatur ſolvere. Talis*
*Sed ſi res fuerit, cujus commercia nulla,*
*Acquiri aut nequeat, precium perſolvere nullũ*
*Debet, ſi veluti campum, qui nomine fertur*
*Martius, aut Sacras ædes, aut publica leget;*
*Nullũ namq; poteſt legatum hoc robur habere.*
*Sed quod rem alterius legari poſſe fatemur,*
*Sic intelligitur, defunctus ſi eſſe ſciebat*
*Alterius rem, non autem ſi erat inſcius ipſe;*
*Nam ſi rem alterius ſciviſſet, forſitan ille*
*Non legaſſet eam: atq; Pii ſic jure ſtatutum eſt.*
*Verius eſt, ipſum actorem debere probare,*
*Defunctũ rem alienam, quam legaverat ante,*
*Sciviſſe, aſt hæredem non debere probare*
*Ignoraſſe alienam; actorem namque probare,*
*Quæ ſibi conducunt, nos eſſe neceſſe putamus.*

§. *V*.

*Sed ſi alii rem hipothecatã quis liquerit, hæres*
*Debet eam luere; hoc placuit ſed caſibus iſtis,*
*Rebus in alterius meritò quod diximus ante,*
*Rem luere ut demum precio ſic debeat hæres,*
*Defunctum ſi hipothecatam prius eſſe ſciebat.*
*Sic Antoninus ſcripſit, Divuſque Severus.*
*Si tamen hæc fuerit defuncti certa voluntas,*
*Legatarius ut luat, idque expreſſerit, hæres*
*Scriptus eam luere haud ulla ratione tenetur.*

§. *VI*.

*Sed ſi res fuerit legato aliena relicta,*
*Atque rei Dominus ſit legatarius ejus*
*Factus, emens, vivo teſtante, acquirere agendo*
*Ipſe poteſt; preciũ ex tabulis ſin munere, cauſa*
*Aut lucrativa ſimili, datur actio nulla;*
*In rẽ nam duplex, hominẽ & cõcurrere in unũ*
*Lucrativa nequit cauſa: hac ratione duabus*
*Ex tabulis eadem ſi res debetur eidem,*
*Utrum rem, an pretium obtinuit teſtamine, habetur*
*Diſcrimen; nã habeat ſi rem, non competit ulla*

M *Actio,*

agere non poteſt, quia habet eam ex cauſa lucrativa, ſi æſtimationem, agere poteſt.

*Actio, nam lucri ex cauſa rem poſſidet, ipſam*
*Si precio redimat, tunc actio competit illi.*

§. VII.

Ea quoque res, quæ in rerum natura non eſt, ſi modò futura eſt, rectè legatur: veluti fructus, qui in illo fundo nati erunt, aut quod ex illa ancilla natum erit.

§. *VII.*

*Res quoq; quã nec adhuc rerũ natura creauit,*
*Rectè legatur, fuerit ſi fortè futura,*
*Ut fructus fundi, fuerint qui ex arbore nati,*
*Ancilla aut quivis partus naſcetur ab illa.*

§. VIII.

Si eadem res duobus legata ſit, ſive conjunctim, ſive diſiunctim: ſi ambo perveniant ad legatùm, ſcinditur inter eos legatum: ſi alter deficiat: quia aut ſpreverit legatum, aut vivo teſtatore deceſſerit: vel alio quoquo modo defecerit, totum ad collegatarium pertinet. Conjunctim autem legatur, veluti ſi quis dicat, *Titio, & Seio hominem Stichum do lego*, diſiunctim ita, *Titio hominem Stichum do lego: Sejo hominem Stichum do lego*. Sed & ſi expreſſerit eundem hominem Stichũ, æque diſiunctim legatũ intelligitur.

§. *VIII.*

*Si conjunctim eadem fuerit legata duobus*
*Res, vel diſiunctim, legatum & poſcat uterq;*
*Protinus inter eos legatum ſcinditur; alter*
*Sed ſi deficiat, quia ſprevit, ſive receſſit*
*E ſuperis moriens, vivo teſtante, reliquit*
*Sive modis aliis, collegatarius illud*
*Accipiet. Conjunctim quis legare feretur,*
*Si dicat: Do lego hominem Titio, atque Camillo*
*Stichum. Diſiunctim verò ſi dixerit ipſe:*
*Stichum do lego Titio, do, lego Camillo (dem,*
*Stichũ. Etenim quãvis hominẽ deſcribat eun-*
*Attamen haud junctũ legatũ dicitur eſſe.*

§. IX.

Si cui fundus alienus legatus ſit, & emerit proprietatem, deducto uſufructu, & uſusfructus ad eum prevenerit, & poſtea ex teſtamento agat: rectè eum agere, & fundum petere Julianus ait: quia uſusfructus in petitione, ſervitutis locum obtinet: ſed officio judicis continetur, ut, deducto uſufructu, jubeat æſtimationem præſtari.

§. *IX.*

*Si alterius fundus fuerit cui fortè relictus,*
*Uſu fructu deducto, deinde emerit ipſe*
*Proprietatẽ, ad eũ & fructus pervenerit uſus,*
*Inde agat ex tabulis: rectè actio competit ipſi,*
*Jure petit fundum, ut ſcripſit, docuitq;* Julianus
*Peritus;*
*Juris namque locum, fructus cum poſcitur uſus,*
*Obtinet utendi, atque fruendi fructibus: ipſe ex*
*Officio at Judex, pretium præſtetur ut omne,*
*Uſu deducto fructu, mandare tenetur.*

§. X.

Sed ſi rem legatarii quis ei legaverit, inutile eſt legatum: quia quod proprium eſt ipſius, amplius ejus fieri non poteſt, & licet alienaverit eam, non debetur nec ipſa res, nec æſtimatio ejus.

§. *X.*

*Si quis leget ei rem, qui dominatur in ipſa,*
*Nullum robur habet legatũ, & inutile habetur;*
*Quod propriũ eſt etenim ipſius, nõ amplius ejus*
*Quit fieri propriũ; & quãvis diſtraxerit illã,*
*Nec valor ipſius, nec res debebitur ipſa.*

§. XI.

Si quis rem ſuam quaſi alienam legaverit: valet legatum, nam plus valet, quod in veritate eſt, quàm quod in opinione. Sed & ſi legatarii eſſe putavit, valere conſtat: quia exitum voluntas defuncti habere poteſt.

§. *XI.*

*Si quaſi rẽ alterius, propriã quis leget, habetur*
*Legatu validum; verum plus namque valebit,*
*Quàm quidquid verum falsò cenſebitur eſſe.*
*Sed Dominus ſi legatarius eſſe putetur,*
*Eſt validum planè; Defuncti namq; ſuprema*
*Impleri poterit, finem ac retinere voluntas.*

§. XII.

Si rem ſuam legaverit teſtator, poſteaque eam alienaverit: Celſus putat, ſi non adimendi animo vendidit, nihilominus deberi. Idemque divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt, eum, qui poſt teſtamnetũ factum prædia, quæ legata erant, pignori dedit, ademiſſe

§. *XII.*

*Si rem forte ſuam teſtans legaverit, inde*
*Hanc alienarit. Teſtans ſi vendidit ipſam*
*Non adimendi animo, firma eſt ſententia Celſi,*
*Deberi. Idque Antoninus, Divusque Severus*
*Scripſerunt; & eum, qui poſt teſtamina facta*
*Prædia pignoribus dederat legata, videri*
*Lega-*

miſſe legatum non videri : & ideo legatarius cum hærede (ejus) agere poſſe, ut prædia a creditore luantur. Si verò quis partem rei legatæ alienaverit : pars, quæ non eſt alienata omninò debetur, pars autem alienata ita debetur, ſi non adimendi animo alienata ſit.

§. XIII.

Si quis debitori ſuo liberationem legaverit, legatum utile eſt, & neque ab ipſo debitore, neque ab hærede ejus poteſt hæres petere, neque ab alio, qui hæredis loco ſit. Sed & poteſt à debitore conveniri, ut liberet eum. Poteſt etiam quis, vel ad tempus jubere, ne hæres perat.

§. XIV.

Ex contrario, ſi debitor creditori ſuo quod debet, legaverit : inutile eſt legatum, ſi nihil plus eſt in legato, quàm in debito : quia nihil amplius per legatum habet. Quod ſi in diem, vel ſub conditione debitum ei purè legaverit : utile eſt legatum propter repræſentationem. Quod ſi vivo teſtatore dies venerit, vel conditio extiterit : Papinianus ſcripſit, utile eſſe nihilominus legatum: quia ſemel conſtitit : quod & verum eſt. Non enim placuit ſententia exiſtimantium, extinctum eſſe legatum, quia in eam cauſam pervenerit, à qua incipere non poteſt.

§. XV.

Sed ſi uxori maritus dotem legaverit, valet legatum, quia plenius eſt legatum, quàm de dote actio. Sed ſi quam non accepit dotem, legaverit, divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt, ſi quidem ſimpliciter legaverit : inutile eſſe legatum: ſi verò certa pecunia, vel certum corpus, aut inſtrumenta dotis in releganda demoſtrata ſunt, valere legatum.

§. XVI.

Si res legata ſine facto hæredis petierit, legatario decedit. Et ſi ſervus alienus legatus, ſine facto hæredis manumiſſus fuerit: non tenetur hæres. Si verò hæredis ſervus legatus ſit, & ipſe eum manumiſerit, teneri ipſum, Julianus ſcripſit; nec intereſt, ſciverit, an ignoraverit a ſe legatum eſſe. Sed & ſi alii donaverit ſervum, & is, cui donatus eſt,



*Legatum nec ademiſſe. Hinc eſt actio danda*
*Illi, cui legata fuerunt prædia, ut ipſa*
*Creditor inde luat. Sin quis diſtraxerit unam*
*Dũtaxat partẽ, quæ pars remanebit inempta,*
*Debetur penitus; ſed pars quoq; vendita primò,*
*Debetur, ſi adimendi ſit non vendita mente.*

§. *XIII.*

*Sed ſi quis teſtans legato liberet illum,*
*Qui debet, validum legatũ, atq; utile habetur:*
*Debẽtem, ipſiuſq; hæredem haud cõvenit hæres,*
*Sive alium, hæredis fungi qui munere fertur.*
*At verò debens, ſe alieno ut liberet ære,*
*Convenit hæredem. Tabulis & quiſq; jubere*
*Teſtans ad tempus poterit, ne poſtulet hæres.*

§. *XIV.*

*Si quis legarit contrà, quod ſolvere debet,*
*Non eſt legatum utile, ſi haud linquatur in illo*
*Plus, quàm debetur; nil majus namq; paratur.*
*Quod debetur ei ſub conditione futura,*
*Sive diem in certum, purè ſi linquitur, ipſum*
*Utilè legatum repræſentatio reddit.*
*Quod ſi fortè dies certus pervenerit, aut ſi*
*Conditio extiterit, vivo teſtante, putandum,*
*Papinianus ait, legatum jam utile; firmum*
*Namque ſemel fuerat : quod nos verum eſſe*
*fatemur;*
*Non etenim illorum placuit ſententia nobis,*
*Eſſe extinctum legatum, quia venerit illam*
*In cauſam, à qua nulla poteſt primordia habere*

§. *XV.*

*Sin dotem Uxori legarit forte maritus,*
*Legatum eſt validum; legatum plenius eſſe.*
*Namq; liquet, fuerit quã qualibet actio dotis.*
*Si verò conjux dotem legaverit illam,*
*Quam non accepit, Divi ſcripsère Severus,*
*Atque Antoninus, ſi quidem legaverit ipſam*
*Simpliciter teſtans, legatum haud utile haberi.*
*Sed ſi certa foret monſtrata pecunia, certum*
*Vel corpus, dotis ſivè inſtrumenta, valere*
*Legatum placitum Antonino eſt, atque Severo.*

§. *XVI.*

*Si ſine facto hæredis res legata peribit,*
*Ipſi decedit, qui legatarius extat.*
*Legatus Servus ſi alienus, ſit ſine facto*
*Hæredis factus liber, non jure tenetur*
*Hæres. Legato fuerit ſin fortè relictus*
*Hæredis ſervus, ſervumque abſolverit hæres*
*Jure poteſtatis, præſtare tenebitur hæres*
*Legatũ, ut Juris ſcripſit, docuitq; peritus:* Julian:
*Nec refert, cognoſcat ſervum, an neſciat eſſe*

eum manumiſerit: tenetur hæres, quamvis ignoraverit à ſe eum legatum eſſe.

### §. XVII.

Si quis ancillas cum ſuis natis legaverit, etiam ſi ancillæ mortuæ fuerint, partus legato cedunt. Idem eſt & ſi ordinarii ſervi cum vicariis legati fuerint: quia licet mortui ſint ordinarii, tamen vicarii legato cedunt. Sed ſi ſervus fuerit cum peculio legatus: mortuo ſervo, vel manumiſſo, vel alienato, peculii legatum extinguitur. Idem eſt, ſi fundus inſtructus, vel cum inſtrumento legatus fuerit. Nam, fundo alienato, & inſtrumenti legatum extinguitur.

### §. XVIII.

Si grex legatus fuerit: & poſtea ad unam ovem pervenerit: quod ſuperfuerit, vindicari poteſt. Grege autem legato, etiam eas oves, quæ poſt teſtamentum factum gregi adiiciuntur, legato cedere, Julianus ait. Eſt autem gregis unum corpus ex diſtantibus capitibus, ſicut ædium unum corpus eſt ex cohærentibus lapidibus.

### §. XIX.

Ædibus denique legatis, columnas, & marmora, quæ poſt teſtamentum factum adjecta ſunt, legato (dicimus) cedere.

### §. XX.

Si peculium legatum fuerit: ſine dubio, quicquid peculio accedit, vel decedit, vivo teſtatore, legatarii lucro, vel damno eſt. Quod ſi poſt mortem teſtatoris ante aditam hæreditatem (aliquid) ſervus adquiſierit, Julianus ait, ſi quidem ipſi manumiſſo peculium legatum fuerit, omne quod, ante aditam hæreditatem adquiſitum eſt, legatario cedere, quia hujuſmodi legati dies ab adita hæreditate cedit: ſed ſi extraneo peculium legatum fuerit, non cedere ea legato, niſi ex rebus peculiaribus auctum fuerit peculium. Peculium autem, niſi legatum fuerit, manumiſſo non debetur; quamvis ſi vivus manumiſerit, ſufficit, ſi non adimatur, & ita divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt. Iidem reſcripſerunt, peculio legato, non videri id relictum, ut petitionem habeat pecuniæ, quam in rationes domini impe-

*A ſe legatum. Si alij donaverit hæres*
*Servum, ſervili ſed donatarius ipſum*
*Pondere diſſolvit, de jure tenebitur hæres,*
*Quamvis a ſe legatum ignoraverit eſſe.*

§. *XVII.*

*Cum natis ſi ancillas quis legaverit, ipſæ*
*Et ſi decedant, legato cuncta propago*
*Cedit. Idē fuerit. ſi dictus ab ordine ſervus,* (Ordin.
*Atque vicarius eſt legatus, namq; peribit*
*Quamvis ille, tamen legato ceſſerit iſte.*
*Si verò fuerit legata pecunia ſervi*
*Una cum ſervo, vitaque reliquerit auras*
*Servus, ſervili fuerit ſeu pondere liber,*
*Sive alienatus, legata pecunia ſervi*
*Fruſtra eſt. Juris idē eſt. ſi quis legaverit arvū*
*Inſtructum, vel cum inſtrumēto; namq; peribit*
*Inſtrumēti legatum, cum venditur arvum.*

§. *XVIII.*

*Si ſit legatus grex, & pervenerit inde*
*Ad ſolam dumtaxat ovem, quæ manſerit, ipſa*
*Legato cedit. Sin ſit grex fortè relictus,*
*Additam ovem defuncti poſt teſtamina facta,*
*Juris conſultus legato cedere dixit.* Julianus
*At verò pecoris corpus cenſebitur unum,*
*Quamvis diſtarint capita, ædis corpus ut unū*
*Quod plures conſtant lapides, nos dicimus eſſe*

§. *XIX.*

*Marmora, legatis domibus, ſtabileſq; columnæ,*
*Quæ fuerant adjecta poſt teſtamina facta,*
*Denique legato ſcripto quoque cedere debent.*

§. *XX.*

*Si verò fuerint legata peculia, quidquid*
*Illis accedit, vivo aut teſtante recedit,* (eſt.
*Ipſorū eſt lucro, aut damnō, quibus illa relicta*
*Quod ſi teſtantis ſervus poſt fata ſuprema*
*Ipſius ante aditum aſſem quid quæſiverit, ipſi*
*Cum fuerint legata peculia libero ab omni*
*Servitio, ut placuit prudenti dicere juris,* Jul:
*Ante aditū aſſem legatarius omne paratum*
*Quærit; namque dies legati tempore cedit,*
*A quo aditus. Sed ſi legata peculia fortè*
*Externo fuerint, legato haud cedere viſum eſt,*
*Rebus niſi ſint aucta peculia fortè peculi;*
*Sed ſi non fuerint legata peculia, ſervo*
*Nequaquam debentur vinclis colla ſoluto;*
*Quamvis, ſi à vivo Domino ſit jure ſolutus,*
*Sufficiat, ſi non adimantur, ut ipſe Severus,*
*Atque Antoninus ſcripsère. Peculia ſervo*
*Cum fuerint legata, haud ipſa relicta videtur,*
*A ſervo ut poſcit illa deinde pecunia poſſit,*
*Quam priùs in Domini rationē impēderit ipſe.*

*Scrip-*

impenderit. Iidem reſcripſerunt, peculium videri legatum, cum rationibus redditis liber eſſe juſſus eſt, & ex eo reliqua inferre.

§. XXI.

Tàm autem corporales res legari poſſunt, quàm incorporales, & ideo quod defuncto debetur, poteſt alicui legari, ut actiones ſuas hæres legatario præſtet: niſi exegerit vivus teſtator pecuniam, nam hoc caſu legatum extinguitur. Sed & tale legatum valet: *Damnas eſto hæres meus domum illius reficere*, vel, *illum ære alieno liberare*.

§. XXII.

Si generaliter ſervus, vel res alia legetur; electio legatarii eſt, niſi aliud teſtator dixerit.

§. XXIII.

Optionis legatum, (id eſt,) ubi teſtator ex ſervis ſuis, vel aliis rebus optare legatarium juſſerat, habebat olim in ſe conditionem, & ideo niſi ipſe legatarius vivus optaſſet, ad hæredem legatum non tranſmittebat: ſed ex conſtitutione noſtra, & hoc in meliorem ſtatu mreformatum eſt: & data eſt licentia hæredi legatarii optare (ſervum,) licet vivus legatarius hoc non fecerit. Et diligentiore tractatu habito, & hoc in noſtra conſtitutione additum eſt: ſive plures legatarii extiterint, quibus optio relicta eſt, & diſſentiant in corpore eligendo: ſive unius legatarii plures hæredes (ſint,) & inter ſe circa optandum diſſentiant, alio aliud corpus eligere cupiente, ne pereat legatum (quod plerique prudentium contra benevolentiam introducebant) fortunam eſſe hujus optionis judicem, & forte hoc eſſe dirimendum, ut ad quem ſors venerit, illius ſententia in optione præcellat.

§. XXIV.

Legari autem illis ſolùm poteſt, cum quibus teſtamenti factio eſt.

§. XXV.

Incertis verò perſonis neque legata, neque fideicommiſſa olim relinqui conceſſum erat. Nam ne miles quidem incertæ perſonæ poterat relinquere, ut divus Hadrianus reſcripſit. Incerta autem perſona videbatur, quam incerta opinione animo ſuo teſtator ſubjiciebat: veluti ſi quis ita dicat: *Quicumque filio meo filiam ſuam in matrimonium dederit, ei hæres meus illum fundum dato.*

*Scripſerunt etiam, legata peculia demum*
*Cenſeri, fuerit ratio cum reddita, liber*
*Si ſit juſſus, cuncta inferre ſequentia & inde.*

§. XXI.

*Tam res legari veſtitæ corpore poſſunt,*
*Res quã incorporeæ defũcto hinc debita cũcta*
*Legari poterunt, illis ſua præſtet ut hæres*
*Jura, à teſtatore quibus legata relicta,*
*Debita ni vivus teſtans exegerit ipſe;*
*Hoc etenim caſu legatum extinguitur illud.*
*Sed valet hoc: Damnas hæres eſto meus ædes*
*Illius reparare, alieno aut ſolvere ab ære.*

§. XXII.

*Cũ ſervus generatim, aut res nonnulla relicta*
*Cui præſtari debet legatũ, optio danda eſt, (eſt*
*Teſtantis ni aliud ſtatuit ſuprema voluntas.*

§. XXIII.

*Hoc verò teſtans legatum ubi juſſerat, illum*
*Ex ſervis optare ſuis, aliiſve relictis*
*Rebus, cui fuerat vel ſervus, reſve relicta,*
*In ſe conditionem olim de jure trahebat.*
*Idcircò vivus ſi legatarius ipſe*
*Non optaſſet, ad hæredem legata relicta*
*Non tranſmittebat; noſtra id ſed lege ſtatutum,*
*Inque ſtatũ meliorem noſtro jure redactum eſt;*
*Illius hæredi & conceſſa licentia ſervum*
*Eſt optare, fuit cui ſervus jam ante relictus,*
*Fecerit id quamvis haud legatarius ipſe.*
*Id verò tractavimus accuratius ipſi,*
*Atque hoc addidimus noſtra nos lege, ſuperſint*
*Seu plures, legati queis eſt optio danda,*
*Et ſit in optando diſſenſus corpore, ſintve*
*Unius hæredes plures, diſſenſus & inter*
*Se ſe ſit circa optandum, maneatque cupido*
*Pluribus eligere hoc corpus, ne corruat ipſum*
*Legatum; (inducebant quod plerique periti)*
*Optio legati fortuna judice agenda,*
*Sors dirimat litem, ſors ad quem venerit, illi*
*Primo legati fuerit tunc optio danda.*

§. XXIV.

*Legari ſolùm eſt illis conceſſa facultas,*
*Cum queis teſtamenti facto dicitur eſſe.*

§. XXV.

*Non conceſſum erat incertæ legata relinqui*
*Perſonæ quondam, aut fideicommiſſa: nec ullus*
*Incertæ poterat perſonæ linquere miles,*
*Ut ſcripſit Princeps Perſona incerta* Hadrianus
*putanda,*
*Quã teſtans incertam animo, vel mẽte ferebat,*
*Ut ſi quis dicat: Sociali fœdere junget*
*Prognato quicumque meo natam, meus hæres*
*Ipſi det fundũ. Quidquid quoque fortè relictũ*
*Illi,*

Digitized by Google

*dato*. Illud quoque, quod iis relinquebatur, qui poſt teſtamentum ſcriptum primi conſules deſignati eſſent: æquè incertæ perſonæ legari videbatur, & denique multæ aliæ hujuſmodi ſpecies ſunt. Libertas quoque incertæ perſonæ non videbatur poſſe dari, quia placebat, nominatim ſervos liberari. Sub certa verò demonſtratione, ideſt, ex certis perſonis incertæ perſonæ rectè legebatur: veluti, *ex cognatis meis, qui nunc ſunt, ſi quis filiam meam uxorem duxerit, ei hæres meus illam rem dato*. Incertis autem perſonis legata, vel fideicommiſſa relicta, & per errorem ſoluta, reperi non poſſe, ſacris conſtitutionibus cautum erat.

§. XXVI.

Poſthumo quoque alieno inutiliter (antea) legabatur. Eſt autem alienus poſthumus, qui natus inter ſuos, hæres teſtatoris futurus non eſt. Ideoque ex emancipato filio conceptus nepos, extraneus erat poſthumus avo.

§. XXVII.

Sed nec hujuſmodi ſpecies penitus eſt ſine juſta emendatione relicta, quum in noſtro Codice conſtitutio poſita ſit, per quam & huic parti medemur, non ſolùm in hæreditatibus, ſed etiam in legatis, & fideicommiſſis: quod evidenter ex ipſius conſtitutionis lectione clareſcit. Tutor autem nec per noſtram conſtitutionem incertus dari debet, quia certo judicio debet quis pro tutela ſuæ poſteritati cavere.

§. XXVIII.

Poſthumus autem alienus hæres inſtitui, & ante poterat, & nunc poteſt, niſi in utero ejus ſit, quæ jure noſtro uxor eſſe nō poteſt.

§. XXIX.

Si quidem in nomine, cognomine, prænomine (agnomine) legatarii, teſtator erraverit, cum de perſona conſtat, nihilominus valet legatum. Idemque in hæredibus ſervatur, & rectè. Nomina enim, ſignificandorum hominum gratia reperta ſunt, qui ſi alio quolibet modo intelligantur, nihil intereſt.

§. XXX.

Huic proxima eſt illa juris regula, falſa demonſtratione legatum non perimi, veluti ſi quis ita legaverit. *Stichum ſervum meum ver-*

*Illi eſt, primus erat qui poſt teſtamina facta*
*Signatus conſul, viſum fuit eſſe relictum*
*Perſonæ incertæ. Species ſunt denique multa,*
*Ac ſimiles. Verùm libertas nulla relinqui*
*Perſonæ incertæ poterat; quia nomine ſervos*
*Pondere ſervili placuit diſſolvere: certis*
*Aſt ex perſonis, meritò, rectèque relictum eſt*
*Perſonæ incertæ, ut: Cognato è ſanguine junctis,*
*Qui modò ſunt, natam ſociali fœdere junget*
*Si quis fortè meā, rem illam tradat meus hæres*
*Ipſi. Perſonæ verò legata relicta,*
*Aut fideicommiſſa incerta, errore ſoluta,*
*Non poterunt repeti: fuerat ſic jure ſtatutum.*

§. *XXVI.*

*Poſtumo erat legatum alieno haud utile quondam.*
*Poſthumus aſt alienus jure vocabitur ille,*
*Fortè ſuos inter natus quicumque futurus*
*Non eſt teſtatori hæres. Ab jure ſoluto*
*Ex nato conceptus, avo ſic poſthumus eſſet.*

§. *XXVII.*

*Sed ſimilem ſpeciem meritò correximus ipſi,*
*Codice enim in noſtro jā ſanctio ſcripta medetur*
*Huic parti, haud ſolum in legatis, aſſibus atq;*
*Verùm etiam in fideicommiſſis. Idque niteſcet*
*Clariùs ex ipſa lege; aſt ut ſanctio juſſit,*
*Non eſt incertus dandus teſtamine tutor;*
*Judicio certo quia deſcendentibus omni*
*Pro tutela quis debet de jure cavere.*

§. *XXVIII.*

*Scribi jamque poteſt alienus poſthumus hæres,*
*Ut quōdā poterat, matris ni in vētre moretur,*
*Accipere uxorem noſtro quam jure nequimus.*

§. *XXIX.*

*Si errorem teſtans, cognomine, nomine fecit,*
*Cum de perſona conſtat, legata valebunt.*
*Servatur rectè in cunctis hæredibus iſtud;*
*Nominanăque reperta, homines ut ſignificētur,*
*Qui haud refert quocumque modo, aut ratione ſciantur.*

§. *XXX.*

*Proxima jā verò huic normæ eſt ea regula juris,*
*Non perimi legatum, demonſtratio falſa*
*Si fuerit, veluti ſi ita quis legaverit: Ipſe*
*Sti-*

*vernam do lego*, licet enim non verna, ſed emptus ſit, ſi tamen de ſervo conſtat, utile eſt legatum. Et convenienter, ſi ita demonſtraverit: *Stichum ſervum, quem à Seio emi*, ſitque ab alio emptus, utile eſt legatum, ſi de ſervo conſtat.

*Stichum lego meum ſervum vernam, licet ille*
*Nō ſit verna, ſed emptus, legatū utile habetur;*
*Conſtat enim de ſervo. Demonſtratio talis*
*Si ſit cōvenienter: Stichum quem mihi ſervum*
*A ſejo emi, ſi fuerit non emptus ab ipſo,*
*Cum conſtet de ſervo, legatum utile habetur.*

§. XXXI.

Longe magis legato falſa cauſa (adiecta) non nocet, veluti cum quis ita dixerit: *Titio, quia me abſente negotia mea curavit. Stichum do lego*, vel ita: *Titio quia patrocinio ejus capitali crimine liberatus ſum. Stichum do lego*. Licet enim neque negotia teſtatoris unquam geſſerit Titius, neque patrocinio ejus liberatus ſit, legatum tamen valet. Sed ſi conditionaliter enunciata fuerit cauſa: aliud juris eſt, veluti hoc modo: *Titio ſi negotia mea curaverit, fundum (meum) do lego.*

§. *XXXI.*

*Falſa at legato longè magis addita cauſa*
*Nō nocet, ut ſi quis teſtās hæc verba loquatur:*
*Quòd mea jā Titius, me abſente, negotia geſſit,*
*Lego ipſi ſtichum. Vel: Do ſtichū, atq; relinquo;*
*Ejus quòd patrocinio ſum crimine liber;*
*Nam quamvis non ulla negotia geſſerit ille*
*Teſtantis, teſtans capitali crimine liber*
*Nec ſit, legatum validum tamē omne manebit.*
*Conditio verò cauſæ ſit ſi addita, Juris*
*Eſt aliud, veluti: ſi noſtra negotia geſſit,*
*Fertile rus Titio lego, fundumve relinquo.*

§. XXXII.

An ſervo hæredis rectè legemus, quæritur; & conſtat purè inutiliter legari, nec quicquam proficere, ſi vivo teſtatore de poteſtate hæredis exierit: quia quod inutiliter foret legatum, ſi ſtatim poſt factum teſtamentum deceſſiſſet teſtator, hoc non debet ideo valere, quia diutiùs teſtator vixerit. Sub conditione verò rectè legatur (ſervo,) ut requiramus, an quo tempore dies legati cedit, in poteſtate hæredis non ſit.

§. *XXXII.*

*Quæritur an ſervo hæredis ſit jure relictum*
*Legatum; & conſtat purè non utile linqui.*
*Nec prodeſe, ſervus ſi hæredis jure recedat,*
*Teſtantis vita; quod non foret utile namque*
*Legatum, teſtans ſi poſt teſtamina facta,*
*Protinus æthereas moriendo linqueret auras,*
*Non ideo hoc ullum debebit habere vigorem,*
*Teſtator quoniam majori tempore vixit.*
*Sed ſi conditio forſan foret addita, jure*
*Legatur ſervo, ut rectè quæramus an illo,*
*Legati ſignata dies quo tempore cedit,*
*Hæredis Domini ſervus ſit jure ſolutus.*

§. XXXIII.

Ex diverſo, hærede inſtituto ſervo, quin domino rectè etiam ſine conditione legetur, non dubitatur. Nam etſi ſtatim poſt factum teſtamentum deceſſerit teſtator, non tamen apud eum, qui hæres ſit, dies legati cedere intelligitur, cum hæreditas à legato ſeparata ſit, & poſſit per eum ſervum alius hæres effici, ſi priùs, quàm juſſu domini adeat, in alterius poteſtatem tranſlatus ſit, vel manumiſſus, ipſe hæres efficitur: quibus caſibus utile eſt legatum. Quod ſi in eadem cauſa permanſerit, & juſſu legatarii adierit, evaneſcit legatum.

*XXXIII.*

*Non dubium ex diverſo, ſervo hærede ſtatuto,*
*Quin etiam Domino rectè legetur, & abſque*
*Ulla conditione. Statim deceſſerit & ſi (illum,*
*Teſtans poſt factas tabulas, tamen haud apud*
*Qui hæres ſit, fertur legati cedere tempus,*
*Cum as a legato fuerit ſejunctus, ab illo*
*Nec nō ſervo alius poſſit deſcribier hæres, (ſtas*
*Si ante aſſē quàm adeat, Domino mādāte, pote-*
*Hunc premat alterius, fuerit vel jure ſolutus,*
*Hæres efficitur; legatum atque utile habetur*
*Caſibus his cunctis. Cauſa ſin ſervus eadem*
*Manſerit, atque adeat defuncti jura, jubente*
*Illo, cui dandum, legatum haud utile habetur.*

§. XXXIV.

Ante hæredis inſtitutionem inutiliter antea legabatur, ſcilicet quia teſtamenta vim ex inſtitutione hæredis accipiunt, & ob

Id

§. *XXXIV.*

*Scriptū ante hæredem fuerat non utile quondā*
*Legatum, quoniam vires, hærede ſtatuto, (tus*
*Accipiunt tabulæ; hinc caput, ac fūdamina ſcrip-*

To-

Digitized by Google

id veluti caput, atque fundamentum intelligitur totius teſtamenti hæredis inſtitutio. Pari ratione nec libertas ante hæredis inſtitutionem dari poterat. Sed quia incivile eſſe putavimus, ſcripturæ ordinem quidem ſequi (quod & ipſi antiquitati vituperãdum fuerat viſum) ſperni autem teſtatoris voluntatẽ, per noſtram conſtitutionem & hoc vitium emendavimus: ut liceat & ante hæredis inſtitutionem, & inter medias hæredum inſtitutiones legatum relinquere, & multò magis libertatem, cujus uſus favorabilior eſt.

*Totius teſtamenti hæres dicitur eſſe.*
*Nec poterat libertas, ni hæres ante ſtatutus,*
*Ulla dari ſimili ratione. Putavimus eſſe*
*Sed quoniam incivile quidem ſervare tenorem*
*Ordine ſcripturæ (duxit quod turpe vetuſtas)*
*Atque voluntatem teſtantis ſpernere. Noſtra*
*Id lex correxit, legatum ut linquere jure*
*Sit licitum, quamvis hæres non ante ſtatutus;*
*Idque magis fuerit pro libertate fatendum.*

### §. XXXV.

Poſt mortem quoque hæredis, aut legatarii ſimili modo inutiliter legabatur: veluti ſi quis ita dicat: *cum hæres meus mortuus fuerit, do, lego*. Item: *pridie quam hæres, aut legatarius morietur*. Sed ſimili modo & hoc correximus, firmitatem hujuſmodi legatis ad fideicommiſſorum ſimilitudinem præſtantes, ne in hoc caſu deterior cauſa legatorum, quàm fideicommiſſorum inveniatur.

### *§. XXXV.*

*Utile non erat hæredis poſt fata ſuprema*
*Legatum, aut illius, cui legata relicta,*
*Ut ſi quis dicat: Placida cum morte quieſcet*
*Hæres, do, lego: ante diem quàm cedet ad aſtra*
*Hæres, aut vitales legatarius auras*
*Linquet. Præſtantes legato at robora firma,*
*Ut fideicommiſſum eſſet, correximus iſta,*
*Hoc in caſu legati ut non ulla feratur*
*Pejor, quàm fideicommiſſi cauſa reperta.*

### §. XXXVI.

Pœnæ quoque nomine inutiliter (antea) legabatur, & adimebatur, vel transferebatur. Pœnæ autem nomine legari videtur, quod coercendi hæredis cauſa relinquitur, quò magis aliquid faciat, aut non faciat: veluti ſi quis ita ſcripſerit: *hæres meus ſi filiam ſuam in matrimonium Titio collocaverit*; vel ex diverſo: *ſi non collocaverit, dato decem aureos Seio*, aut ſi ita ſcripſerit: *hæres meus ſi ſervum Stichum alienaverit*: vel ex diverſo, *ſi non alienaverit, Titio decem aureos dato*. Et in tantum hæc regula obſervabatur, ut quàm plurimis principalibus conſtitutionibus ſignificaretur, nec principem agnoſcere, quod ei pœnæ nomine legatum ſit: nec ex militis quidem teſtamento talia legata valebant, quamvis aliæ militum voluntates in ordinandis teſtamentis valde obſervabantur: quin etiam nec libertates pœnæ nomine dati poſſe placebat, eo amplius nec hæredẽm pœnæ nomine adijci poſſe, Sabinus exiſtimabat, veluti ſi quis ita dicat: *Titius hæres eſto, ſi Titius filiam ſuam in matrimonium Sejus collocaverit, Sejus hæres quoque eſto*. Nihil enim intererat, qua ratione Titius coerceretur, utrum legati datione, an cohæredis adiectione. Sed hujusmodi ſcrupoloſitas

### *§. XXXVI.*

*Ante & inutiliter fiebat nomine pœnæ*
*Legatum, atque adimebatur, translatio ſive*
*Fiebat. Legari at viſum eſt nomine pœnæ,*
*Ut ſi cui fuerit quicquam fortaſſe relictum,*
*Hæredem ut teſtantis juſſa faceſſere cogat;*
*Ceu ſi quis ſcribat: Natam ſi junxerit hæres*
*Uxorem Titio; vel: Ni ſociaverit illi,*
*Lego decem Sejo. Aut ita ſi deſcripſerit: hæres*
*Stichum alienarit ſi ſervum; ſive ita: ſervum*
*Si haud alienarit, Titio bis pondera dentur*
*Quina auri. Hæc ſervabatur ſed regula juris,*
*Significaretur multis ut legibus, ipſum*
*Noſcere nec Regem, quod ei ſit nomine pœnæ*
*Legatum. Hæc deſcriptis nec legata valebant*
*Militis è tabulis, quamvis teſtamine firmæ*
*Jure voluntates quamplures militis eſſent.*
*Quin libertates etiam nec nomine pœnæ*
*Poſſe dari fuerat placitum. Nec poſſe Sabinus*
*Hæredem ſcribi cenſebat nomine pœnæ;*
*Si quis deſcribat veluti: Titius meus eſto*
*Hæres, ſi Titius ſociali fœdere jungat*
*Ipſe ſuam natam Sejo, ſit Sejus & hæres;*
*Nam nihil intererat qua eſſet ratione coactus,*
*Utrum legati datione, an quod fuit hæres*
*Additus. Hæc nũquã placuerũt ſcrupula nobis,*

*Quæ-*

Digitized by Google

ſolitas nobis non placuit: & generaliter ea, quæ relinquuntur, licet pœnæ nomine fuerint relicta, vel adempta, vel in alium tranſlata : nihil diſtare à cæteris legatis conſtitutimus, vel in dando, vel in adimendo vel in transferendo, exceptis videlicet iis, quæ impoſſibilia ſunt, vel legibus interdicta, aut alias probroſa. Hujuſmodi enim teſtamentorum diſpoſitiones valere, ſecta meorum temporum non patitur.

*Quæque relinquũtur generatim, nomine pœnæ*
*Quãvis illa relicta forent, vel adẽpta, aliamve*
*Translata ad perſonam, non diſtare ſtatutũ eſt*
*Legatis aliis, in dando, ſive adimendo,*
*Aut cum ſunt translata, exceptis ſcilicet ipſis*
*Quæ fieri nequeunt, vetita aut ſunt legibus æquis,*
*Aut alias probroſa ſatis; teſtamina namque*
*Temporis hæc noſtri patitur non ſecta valere.*

## *De Ademptione Legatorum*

## TITVLVS XXI.

Ademptio legatorum (ſive eodem teſtamento adimantur, ſive codicillis) firma eſt, ſed ſive cõtrariis verbis fiat ademptio: veluti ſi quis ita quid legaverit: *do, lego:* ita adimatur: *non do, non lego*: ſive non contrariis, ſed & aliis quibuscunque verbis.

*Jam legatorum cenſetur ademptio firma,*
*Codice ſi parvo, tabulisve adimantur iisdẽ*
*At verò adverſis aut fiat ademptio verbis,*
*Ut ſi quis primò do, lego, dixerit; inde*
*Sic adimat: non do, nulla ratione relinquo;*
*Aut non adverſis hæc fiat ademptio verbis.*

§. I.

Tranferri quoque legatum ab alio ad alium poteſt: veluti ſi quis ita dixerit *hominem Stichum, quem Titio legavi, Sejo do, lego;* ſive in eodem teſtamento, ſive in codicillis hoc fecerit, quo caſu ſimul (&) Titio adimi videtur, & Sejo dari.

§. I.

*Transferri ad perſonã aliam legata putãtur,*
*Stichum hominem Sejo do, lego, dixerit ut ſi*
*Quis, Titio Stichũ quẽ jam priùs ipſe reliqui;*
*Hoc ipſis faciat tabulis, ſeu codice parvo,*
*Sic adimi Titio, tribui Sejoque videtur.*

## *De Lege Falcidia*

## TITVLVS XXII.

Supereſt, ut de lege Falcidia diſpiciamus, qua modus noviſſimè legatis impoſitus eſt. Cum enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi poteſtas, ut liceret, vel totum patrimonium legatis erogare (quippe) cum ea lege ita cautum eſſet: uti quisq; legaſſet ſuæ rei, *ita jus eſto,* viſum eſt hanc legandi licentiam coarctare: idque ipſorum teſtatorum gratia proviſum eſt, ob id, quod plerumque inteſtati moriebantur, recuſantibus ſcriptis hæredibus pro nullo, aut minimo lucro hæreditates adire. Et cum ſuper hoc tàm lex Furia, quàm lex Voconia latæ ſunt, quarum neutra ſufficiens ad rei conſummationem videbatur, noviſſimè lata eſt lex Falcidia, qua cavetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorũ bono-

*Hic ſupereſt Falcidia, nãq; noviſſimus iſte*
*Legato impoſitus modus. Eſſet cũq; pote-*
*Inſcripta quondã duodenis lege tabellis (ſtas,*
*Libera legandi, ut patrimonia tota liceret*
*Linquere legatis, fuerat quia lege ſtatutum*
*Quippe ita: uti rerum legaſſet quisq; ſuarum*
*Sic eſto jus; Hæc reprimenda licentia viſa eſt.*
*Idque favore fuit teſtantum lege ſtatutum,*
*Poſt obitum cum inteſtati plerique manerent;*
*Namque recuſabant defuncti jura ſubire,*
*Pro nullo, aut parvo lucro quicumque vocati,*
*Et cum tam Voconia, quàm lex Furia latę,*
*Quarum neutra videbatur ſatis eſſe, rogata*
*Inſuper eſt Falcidia, per quã eſt deniq; cautũ*
*Ne plus ſit licitum rerum legare dodrante,*



*Scili-*

bonorum: id eſt, ut ſive unus hæres inſtitutus ſit, ſive plures, apud eum, eoſue pars quarta maneat.

*Scilicet ut ſi unus, pluresve vocentur ad aſſem,*
*Accipiant quartam partem, propriamque reſervent.*

§. I.

Et cum quæſitum eſſet, duobus hæredibus inſtitutis (veluti Titio, & Sejo) ſi Titii pars, aut tota exhauſta ſit legatis, quæ nominatim ab eo data ſunt, aut ſupra modum onerata, à Seio verò aut nulla relicta ſint legata, aut quæ partem ejus dumtaxat in partem dimidiam minuant; an quia is quartam partem totius hæreditatis, aut amplius habet, Titio nihil ex legatis, quæ ab eo relicta ſunt, retinere liceat, ut quartam partem ſuæ partis ſalvam habeat, placuit poſſe retinere; etenim in ſingulis hæredibus ratio legis Falcidiæ ponenda eſt.

§. *I.*

*Et cum deſcriptis binis hæredibus, eſſet*
*Quæſitum, ut Titio, & Sejo, ſi portio tota*
*Exhauſta eſt Titii legatis, nomine ab ipſo*
*Quæ data ſunt, ſuprave modum eſt onerata, relicta*
*Sed nulla à Sejo fuerint legata, vel illa,*
*Totam quæ partem ipſius tãtummodo partem*
*Diminuant in dimidiã; an quia portio quarta,*
*Amplius aut aſſis totius habetur ab illo,*
*Non ex legatis ab eo retinere, relicta*
*Quæ ſunt, ſit licitum Titio, quò portio quarta*
*Salva ſuæ partis Titio ſic poſſit haberi,*
*Ut placuit, quartæ retinẽda eſt dãda facultas;*
*Nam legis ratio hærede in quocũq; tenenda eſt.*

§. II.

Quantitas autem patrimonii, ad quam ratio legis Falcidiæ redigitur, mortis tempore ſpectatur. Itaque (verbi gratia) ſi is, qui centum aureorum patrimonium in bonis habeat, centum aureos legaverit, nihil legatariis prodeſt, ſi ante aditam hæreditatem per ſervos hæreditarios, aut ex partu ancillarum hæreditariarum, aut ex fœtu pecorum tantum acceſſerit hæreditati, ut centum (aureis) legatorum nomine erogatis, hæres quartam partem hæreditatis habiturus ſit, ſed neceſſe eſt, ut nihilominus quarta pars legatis detrahatur. Ex diverſo, ſi ſeptuaginta quinque legaverit, & ante aditam hæreditatem in tantum decreverint bona incendiis forte, aut naufragiis, aut morte ſervorum) ut non amplius, quàm ſeptuaginta quinque (aureorum ſubſtantia,) vel etiam minus relinquatur, ſolida legata debentur. Nec ea res damnoſa eſt hæredi, cui liberum eſt non adire hæreditatem: quę res efficit, ut ſit neceſſe legatariis, ne deſtituto teſtamento nihil conſequantur, cum hærede in portione paciſci.

§. *II.*

*Quãta autẽ fuerint patrimonia tẽpore mortis,*
*Spectatur, legis ratio ad quæ inducitur ipſa.*
*Ergo ſi quis habens veluti patrimonia centum,*
*Legarit centum, quicquam non proderit illi,*
*Eſt cui legatum, tantum ſi acceſſerit ante*
*Aſſem aditum è ſervis defuncti, ſive fidelis*
*Ancillæ ex partu, pecorum ſeu fœtibus, hæres*
*Ut, legatorum deſumptis nomine centum,*
*Aſſis totius capiat quartam; eſtque neceſſe,*
*Ut tamẽ hæc de legatis pars quarta trahatur.*
*Sin quinq; atq; decẽ, bis & triginta relinquat,*
*Aſſem atq; ante aditũ decreſcant fortè domorũ*
*Flammis, naufragiis, ſervis ſeu lumine caſſis,*
*Sic bona bis ut triginta ſubſtantia reſtet,*
*Et quinque, atque decem, aut minus, integra danda relicta.*
*Illa nec hæredi res eſt damnoſa putanda,*
*Libera jus adeundi cui conceſſa facultas:*
*Quod facit, ut paciſci ſit cum hærede neceſſe*
*Iis in parte, quibus fuerant legata relicta,*
*Ne nihil obtineant ipſi, ſi is adire recuſet.*

§. III.

Cum autem ratio legis Falcidiæ ponitur, ante deducitur æs alienum, item funeris impenſa, & pretia ſervorum manumiſſorum: tunc demum in reliquo ita ratio habetur, ut ex eo quarta pars apud hæredem remaneat, tres verò partes inter legatarios diſtribuantur: pro rata ſcilicet portione ejus,

§. *III.*

*Cum verò legis ratio hujus ponitur, ante*
*Tollitur æs alienum, impenſæ funeris, atque*
*Servorum pretia, à Domino qui fortè ſoluti*
*Pondere ſervili. In reliquo tum denique habenda*
*Hæc ratio, ex illo ut maneat jã quarta tenẽda*
*Pars apud hæredem, partes tres inter & illos*
*Diſtri-*

ejus, quod cuique eorum legatum fuerit. Itaque ſi fingamus quadringentos aureos legatos eſſe, & patrimonii quantitatem, ex qua legata erogari oportet, quadringentorum eſſe, quarta pars legatariis ſingulis debet detrahi. Quod ſi trecentos quinquaginta legatos fingamus: octava debet detrahi. Quod ſi quingentos legaverit: initio quinta, deinde quarta detrahi debet. Ante enim detrahendum eſt, quod extra bonorum quantitatem eſt, deinde quod ex bonis apud hæredem remanere oportet.

*Diſtribuātur, proque rata ejus parte, relictum*
*Quod ſit cuicumque illorum. Si fingimus ergo*
*Eſſe quadringentos legatos, atque valere*
*Jā bona cūcta, quibus fuerint ſolvēda relicta,*
*Quadringentos eſt pars quarta cuiq; trahēda.*
*Quod ſi trecentos legatos fingimus eſſe,*
*Et quinquaginta, pars eſt octava trahenda.*
*Quod ſi quingentos legans teſtamine liquit,*
*Principio quinta eſt, deinde eſt quarta trahēda;*
*Namque prius tollendum, quod bona ducimus*
*extra,*
*Deinde, apud heredē debet quod jure manere.*

## *De Fideicommiſſariis hæreditatibus (& ad Senatus conſultum Trebellianum)*

## TITVLVS XXIII.

NUnc transeamus ad fideicommiſſa, ſed prius eſt, ut de hæreditatibus fideicommiſſariis videamus.

§. I.

Sciendum itaque eſt, omnia fideicommiſſa primis temporibus infirma fuiſſe; quia nemo invitus cogebatur præſtare id, de quo rogatus erat. Quibus enim non poterant hæreditatem, vel legata relinquere, ſi relinquebant, fideicommittebant eorum, qui capere ex teſtamento poterant (hæreditatem.) Et ideo fideicommiſſa appellata ſunt, quia nullo vinculo juris, ſed tantum pudore eorum: qui rogabantur, continebantur. Poſtea diuus Auguſtus primus, ſemel, iterumque gratia perſonarum motus, vel quia per ipſius ſalutem rogatus quis diceretur, aut ob inſignem quorumdam perfidiam, juſſit conſulibus auctoritatem ſuam interponere. Quod quia juſtum videbatur, & populare erat, paulatim converſum eſt in aſſiduam juriſdictionem: tantuſque eorum favor factus eſt, ut paulatim etiam prætor proprius crearetur, qui de fideicommiſſis jus diceret, quem fideicommiſſarium appellabant.

§. II.

In primis igitur ſciendum eſt, opus eſſe, ut aliquis recto jure teſtamento hæres inſtituatur: ejuſque fideicommittatur, ut eam hæreditatem alii reſtituat, alioqui inutile eſt

*AD fideicōmiſſa hic trāſeat inclyta Muſa,*
*Sed fideicōmiſſa prius generalia agātur*
*Illius, cui ſunt fideicommiſſa ſtatuta.*

§. *I.*

*Omnia temporibus primis infirma fuēre*
*Jam fideicommiſſa; id enim præſtare coactus*
*Nemo erat invitus, de quo fuit ante rogatus.*
*Linquere queis etenim legata, aſſemve nequibant,*
*Si linquebant, jam fideicommittere eorum*
*Dicebantur, eum qui aſſem ex teſtamine poſſent*
*Accipere; idcirco fideicommiſſa vocata,*
*Non quia erant vinclo iuris contenta, pudore*
*Sed tantùm illorum, fuerant qui forte rogati.*
*At ſemel, atque iterum à perſonis poſtea motus*
*Auguſtus Divus primus, quia ſive rogatus,*
*Eſſet quis dictus propter vitam, atq; ſalutem*
*Ipſius, quorundam ob fraudes ſive doloſas,*
*Cunctis ipſe ſuum officium interponere juſſit*
*Conſulibus. Quia juſtum erat, ac populare putandum,*
*Aſſidua hoc paulatim jurisdictio capit;*
*Et favor illorum tantus nunc factus habetur,*
*Judex ut paulatim eſſet, Prætorque creatus,*
*Qui jus de fideicommiſſis dicere poſſet.*

§. *II.*

*In primis igitur debet cognoſcere quiſque,*
*Eſſe neceſſe, aliqui recto ut ſint jure ſtatuti*
*Teſtamento hæredes, committatur & omni*
*Ipſorum fidei, accepta ut teſtamine jura*

eſt teſtamentum, in quo nemo hæres inſtituitur. Cum igitur aliquis ſcripſerit: *Lucius Titius hæres eſto*; poteſt adiicere; *rogo te, Luci Titi, ut cum primum poteris hæreditatem meam adire, eam Cajo Sejo reddas, reſtituas.* Poteſt autem quiſque & de parte reſtituẽda hæredem rogare. Et liberum eſt, vel pure, vel ſub conditione relinquere fideicommiſſum, vel ex certo die.

§. III.

Reſtituta autem hæreditate, is quidem, qui reſtituit, nihilominus hæres permanet: is verò, qui recipit hæreditatem, aliquando hæredis, aliquando legatarii loco habetur.

§. IV.

Et Neronis quidem temporibus Trebellio Maximo, & Annæo Seneca conſulibus, ſenatus consultum factum eſt: quo cautum eſt, ut ſi hæreditas ex fideicommiſſi cauſa reſtituta ſit, omnes actiones, quæ jure civili hæredi, & in hæredem competerent, ei & in eum darentur, cui ex fideicommiſſo reſtituta eſſet hæreditas. Poſt quod ſenatusconſultum prætor utiles actiones ei, & in eum, qui recipit hæreditatem, quaſi hæredi, & in hæredem dare cœpit.

§. V.

Sed quia hęredes ſcripti, cum aut totam hęreditatem, aut pene totam plerumque reſtituere rogabantur, adire hæreditatem ob nullum, vel minimum lucrum recuſabant, atque ob id extinguebantur fideicommiſſa: poſteà Veſpaſiani Auguſti temporibus, Pegaſo, & Puſione conſulibus, ſenatus cenſuit, ut ei, qui rogatus eſſet hęreditatem reſtituere, perinde liceret quartam partem retinere, atque ex lege Falcidia ex legatis retinere conceditur. Ex ſingulis quoque rebus, quę per fideicommiſſum relinquuntur, eadem retentio permiſſa eſt. Poſt quod ſenatusconſultum ipſe hęres onera hereditaria ſuſtinebat. Ille autem, qui ex fideicommiſſo recipiebat partem hæreditatis, legatarii partiarii loco erat, id eſt ejus legatarii, cui pars bonorum legabatur, quę ſpecies legati, patritio vocabatur; quia cum herede legatarius partiebatur hęreditatem. Unde quę ſolebant ſtipulationes inter hęredẽ, & partiarium legatarium interponi, eædem interponebantur inter eum, qui ex fideicõmiſſo recepit hæreditatem, id eſt, ut lucrum,

&

*Reſtituant aliis, aliter non utile habetur*
*Teſtamentũ, in quo deſcriptus nemo ſit hęres.*
*Cum teſtans igitur ſcripſit: Sit Lucius hæres;*
*Addere jam poterit: Luci, à te deprecor, hæres*
*Omnia cum primum poteris mea jura ſubire,*
*Illa ut reſtituas Cajo. De parte rogare*
*Sed quoque reddenda poterit. Cõceſſa facultas*
*Cuilibet eſt fideicommiſſa relinquere purè,*
*Vel ſub conditione, die vel ſcribere certo.*

§. *III.*

*Omnia ſin verò fuerint jam reddita jura,*
*Is, qui reſtituit defuncti permanet hæres,*
*Iſſe ſed interdũ accipiens quaſi dicitur hæres,*
*Interdum quaſi legatarius eſſe putatur.*

§. *IV.*

*Maximus et conſul cum eſſet Trebellius olim,*
*Seneca et Annejus, regnante Nerone, Senatus-*
*Conſultum eſt factũ, meritò quo jure ſtatutũ,*
*Ex cauſa fideicommiſſi, redditus eſset*
*Ut ſi fortè as, omnis, quæ foret actio danda*
*Hæredi, inque hæredem, jure daretur in illũ,*
*Civili, atque illi fuerit cui redditus ipſe*
*Ex fideicommiſso as. A Prætore Senatus*
*Poſt hoc conſultum conceſsa eſt utilis omnis*
*Actio ei, atque in eũ, qui talẽ jã acceperit aſsẽ,*
*Quæ velut hęredi, inque hęredem cœpetit unà.*

§. *V.*

*Sed quoniam ſcripti hæredes cum reddere jura*
*Cuncta rogabantur, nolebant ipſa ſubire*
*Ob nullum, aut minimum lucrum. Hinc extin-*
*cta manebant*
*Hæc fideicõmiſsa. At tẽpore Principis inde, Veſ-*
*Puſio cum Conſul, Conſul cum Pegaſus eſſet,*
*Aſsenſu Patrum juſſit, ſtatuitque Senatus,*
*Ut qui defuncti foret omnia jura rogatus*
*Reddere, ei quartam partem retinere liceret,*
*Non ſecus atque ex legatis Falcidia quartam*
*Conceſſit retinere; daturque retentio rebus*
*Ex cunctis tandem, fuerant quæ fortè relictæ*
*Per fideicommiſſum. Sed poſt tale Senatus*
*Conſultum, aſſis cœpit tunc onus omne ſubire*
*Hæres totius. Qui autem capiebat ab omni*
*Aſse aliquid certi, partemq; ratamq; tenebat*
*Ex fideicommiſſo, legatarius eſse*
*Cenſebatur, erat tabulis cui nempe bonorum*
*Pars legata, genus legati hæc ſectio dicta eſt;*
*Nam cum deſcripto in tabulis hærede, tenebat*
*Totum aſsem defuncti legatarius. Unde*
*Ipſa eadem ſolita interquæ ſtipulatio poni*
*Hæredem, interq; illũ, hac cui legata relicta,*
*Inter eum ponebatur, qui acceperat aſsem*

*Ex*

Digitized by Google

& damnum hæreditarium pro rata parte inter eos commune eſſet.

*Ex fideicommiſſo, ſcripti hæredis & inter*
*Perſonam, ut lucrū, & damnū cōmune ferēdū*
*Parte rata inter eos cunctis ex juribus eſſet.*

## §. VI.

Ergo ſi quidem non plus, quàm dodrantem hæreditatis ſcriptus hæres rogatus ſit reſtituere, tunc ex Trebelliano ſenatusconſulto reſtituebatur hæreditas, & in utrumque actiones hæreditariæ pro rata parte dabantur, in hæredem quidem jure civili, in eum verò, qui recipiebat hæreditatem, ex ſenatus conſulto Trebelliano tanquam in hæredem. At ſi plus, quàm dodrantem, vel etiam totam hæreditatem reſtituere rogatus eſſet, locus erat Pegaſiano ſenatus conſulto, & hæres, qui ſemel adierat hęreditatem (ſi modo ſua voluntate adierat) ſive retinuerat quartam partem, ſive retinere noluerat, ipſe univerſa onera hęreditaria ſuſtinebat. Sed quarta quidem retenta quaſi partis, & pro parte ſtipulationes interponebantur, tanquam inter partiarium legatarium, & hęredem; ſi verò totam hæreditatem reſtituere, emptę, & venditę hęreditatis ſtipulationes interponebantur. Sed ſi recuſabat ſcriptus hęres adire hęreditatem, ob id, quod diceret eam ſibi ſuſpectam eſſe quaſi damnoſam, cavebatur Pegaſiano ſenatus conſulto, ut deſiderante eo, cui reſtituere rogatus eſſet, juſſu pętoris adiret, & reſtitueret hęreditatem, perindeque ei, & in eum, qui reciperet hęreditatem, actiones darentur, ac juris eſt ex Trebelliano ſenatusconſulto: quo caſu nullis ſtipulationibus eſt opus; quia ſimul, & huic, qui reſtituit, ſecuritas datur, & actiones hæreditariæ ei, & in eum transferuntur, qui recipit hæreditatem, utroque ſenatus conſulto in hac ſpecie concurrente.

## *§. VI.*

*Ergo rogatus erit ſi non plus reddere ſcriptus*
*Hæres dodrante, ex conſulto jura Senatus*
*Reſtituebantur, cui jam Trebellius olim*
*Præfuit, inq; utrumq; rata pro parte dabatur*
*Actio: in hæredem civili jure dabatur*
*Atque in eum planè, dicto qui jura Senatus*
*Acciperet Conſulto, tanquam ſi afforet hæres;*
*Omnia ſed ſi eſset, vel plus dodrante rogatus*
*Reddere, erant tunc Pegaſei ſervanda ſenatus*
*Hæc conſulta, ſemel quicūq; & adiverat hæres*
*Aſsem, ipſi ſuerat ſi certa adiiſse voluntas,*
*Vel quartam tenuit, vel non retinere volebat,*
*Ipſe aſſis totius pondera cuncta ferebat.*
*At verò cum eſset planè pars quarta retenta,*
*Et quaſi partis; proque rata ſtipulatio parte*
*Fiebat tanquam inter eum, hæc legata relicta*
*Cui ſuerant, atque hæredem; ſin reddere totū*
*Aſsem, tunc diſtracti aſſis ſtipulatio, & empti*
*Fiebat. Sed ſi ſcriptus nolebat adire*
*Aſsem hæres; ſuſpectum ipsū cum diceret eſse,*
*Atque ſibi damnoſum conſtituère Senatus*
*Pegaſei Conſulta, illo cupiente, rogatus*
*Reddere cui fuerat, juſsu ut Prætoris adiret,*
*Redderet atq; aſsē; et quæcūq; perinde daretur*
*Actio ei, atq; in eū pariter, qui acceperat aſsē*
*Ac fuerat quondam Conſulto jure Senatus*
*Juſſum, quod nobis Conſul Trebellius edit.*
*Hoc caſu nulla apponi ſtipulatio debet;*
*Namq; ſimul remanet tutus, qui reddidit, ille,*
*Et trāsſertur ei, atq; in eū ſimul actio quævis,*
*Qui jura accipiet defuncti; hæc namq; videtur*
*Conſultum in ſpecie cōcurrere utrūq; Senatus.*

## §. VII.

Sed quia ſtipulationes ex ſenatusconſulto Pegaſiano deſcendentes, & ipſi antiquitati diſplicuerūt, & quibuſdam caſibus captioſas eas homo excelſi ingenii Papinianus appellat, & nobis in legibus magis ſimplicitas, quàm difficultas placet, ideo omnibus nobis ſuggeſtis tàm ſimilitudinibus, quàm differētiis utriuſque ſenatusconſulti: placuit exploſo ſenatusconſulto Pegaſiano, quod poſteà ſupervenit: omnem auctoritatem Trebelliano ſenatus conſulto præſtare, ut

## *§. VII.*

*Sed quia deſcendens ſtipulatio quæq; Senatus*
*Pegaſei ex Conſulto, diſplicuitque Priori*
*Ætati, atque quibuſdam caſibus ipſe doloſam*
*Papinianus eam dixit, vir præditus alto*
*Ingenio, & nobis noſtris in legibus omnis*
*Jā mage ſimplicitas placuit, quā plena laboris*
*Semita; ſuggeſto idcircò diſcrimine, nobis*
*Et paribus, rebus cunctis utriuſque Senatus*
*Conſulti, placitum eſt explodere Pegaſianum*
*Deinde ſuperveniens robur præſtare Senatus*
*Trebelli Conſulto, ſic reddatur ut inde*
*As*

ut ex eo fideicommiſſariæ hæreditates reſtituantur: ſive habeat hæres ex voluntate teſtatoris quartam, ſive plus, ſive minus, ſive nihil penitus: ut tunc quando, vel nihil, vel minus quarta apud eum remanet, liceat ei, vel quartam, vel quod deeſt, ex noſtra auctoritate retinere, vel repetere ſolutũ quaſi ex Trebelliano ſenatus conſulto: pro rata portione actionibus tàm in hæredem, quàm in fideicommiſſarium competentibus: ſi verò totam hæreditatem ſponte reſtituerit: omnes hæreditariæ actiones fideicommiſſario, & adverſus eum competant. Sed etiam id, quod præcipuum Pegaſiani ſenatuſconſulti fuerat, ut quando recuſaret hæres ſcriptus ſibi datam hæreditatem adire, neceſſitas ei imponeretur totam hæreditatem volenti fideicommiſſario reſtituere, & omnes ad eum, & contra eum transferre actiones; & hoc tranſpoſuimus ad ſenatus conſultum Trebellianum, ut ex hoc ſolo neceſſitas hæredi imponatur, ſi ipſo nolente adire, fideicommiſſarius deſideret reſtitui ſibi hæreditatem, nullo nec damno, nec commodo apud hæredem remanente.

§. VIII.

Nihil autem intereſt, utrum aliquis ex aſſe hæres inſtitutus, aut totam hæreditatẽ, aut pro parte reſtituere rogatur: an ex parte hæres inſtitutus, aut totam eam partem, aut partem partis reſtituere rogatur. Nam & hoc caſu eadem obſervari præcipimus, quæ in totius hæreditatis reſtitutione diximus.

§. IX.

Si quis una aliqua re deducta, ſive præcepta, quæ quartam continet (veluti fundo, vel alia re) rogatus ſit reſtituere hæreditatem: ſimili modo ex Trebelliano ſenatus conſulto reſtitutio fiet, perinde ac ſi quarta parte retenta, rogatus eſſet reliquam hæreditatem reſtituere; ſed illud intereſt, quod altero caſu, ideſt cum deducta, ſive præcepta aliqua re, reſtituitur hæreditas: inſolidum ex eo ſenatusconſulto actiones transferuntur: & res, quæ remanet apud hæredem, ſine ullo onere hæreditario apud eum remanet, quaſi ex legato, ei adquiſita: altero verò caſu, ideſt, cum quarta parte retenta, rogatus eſt hæres reſtituere hæreditatem, & reſtituit; ſcinduntur actiones, & pro dodrante quidem transferuntur ad fidei-

*As fideicommiſſus, teſtantiſque voluntas*
*Hæredis, quartã dederit, plus ſive, minuſve,*
*Sive nihil penitus: nihil ut ſi quando, manebit*
*Ipſi, ſive minus quarta, retinere liceret*
*Vel quartam, vel quod deſit de jure ſtatuto,*
*Vel quaſi Trebelli Conſulto forte ſolutum*
*Poſcere; namque rata pro parte eſt actio dãda*
*Inque hæredem, & eum, fideicommiſſa relicta*
*Cui fuerant. Verum totum ſi reddidit aſſem*
*Ultrò, cui fuerant fideicommiſſa ſtatuta,*
*Atqui in eum hæredis tunc actio cõpetat omnis.*
*Verum Pegaſei quidquid ſpeciale Senatus*
*Conſulti fuerat, quando aſſẽ ſcriptus adire*
*Hæres nollet, ei eſſet ut inde neceſſe, volenti*
*Reddere totum aſſem, fideicommiſſa relicta*
*Cui fuerant: ad eũ ſimul actio fertur et omnis,*
*Atq; adverſus eũ; ſiquidẽ tranſmiſimus iſtud*
*Ad Trebelli Conſultum, ſit ut inde neceſſe*
*Solo ex hoc hæredi, ipſo nolente ſubire,*
*Si cupit is, fidei cui ſunt commiſſa relicta,*
*Reddi aſſem ſibi, vel damno, lucrove manente*
*Non apud hæredem, totũ qui redderet aſſem.*

§. *VIII.*

*Nil autem refert, utrũ qui ex aſſe ſtatutus*
*Hæres, ſit totum aut aſſem, aut pro parte rogatus*
*Reddere, an ex certa quadã ſit parte ſtatutus,*
*Aut partem totam, partem partiſve rogatus*
*Reddere; nãq; eadẽ hoc caſu ſervãda jubemus,*
*Quæ aſſe in reſtituendo toto diximus ante.*

§. *IX.*

*Si quis ſit, deducta aliqua re, aut ante recepta,*
*Quæ teneat quartã, ut fũdo, re aliave rogatus*
*Aſſem reddere iam, ſimili ratione Senatus*
*Ex Trebelli conſulto retributio fiet;*
*Non ſecus, atq; retenta, eſſet, ſi parte, rogatus,*
*Quarta, quæ remanent aliis, ea reddere jura.*
*Sed diſcrimen adeſt, quòd capta; ſive retenta*
*Re una aliqua certa, as eum redditur actio quævis*
*Transfertur tali ex conſulti jure Senatus*
*Inſolidum, verũ remanet ſine pondere quovis*
*Res apud hæredem, veluti quæſita fuiſſet*
*Legato; at quarta capta cum parte rogatus*
*Aſſem hæres reddit, diſcinditur actio quævis,*
*Proq; dodrante quidẽ ſubitò trãsfertur ad illũ*
*Cui fideicommiſſum eſt factũ, proq; quadrãte*

*Eſt*

Digitized by Google

commiſſarium, pro quadrante remanent apud hæredem; quin etiam licet una re aliqua deducta, aut præcepta, reſtituere aliquis hæreditatem rogatus ſit, in qua maxima pars hæreditatis contineatur: æquè in ſolidum transferuntur actiones: & ſecum deliberare debet is, cui reſtituitur hæreditas, an expediat ſibi reſtitui. Eadem ſcilicet interveniunt, & ſi duabus, pluribusve deductus, præceptiſve rebus, reſtituere hæreditatem rogatus ſit. Sed & ſi certa ſumma deducta, præceptave, quæ quartam, vel etiam maximam partem hæreditatis continet, rogatus ſit aliquis hæreditatem reſtituere: idem juris eſt. Quæ (autem) diximus de eo, qui ex aſſe inſtitutus eſt: eadem transferimus & ad eum, qui ex parte hæres ſcriptus eſt.

*Eſt apud hæredem; quamvis ſit jura rogatus*
*Reddere, re una aliqua deducta, aut ante recepta,*
*In qua totius pars aſſis maxima reſtet,*
*In ſolidũ pariter transfertur et actio quævis,*
*Atque ille, as cui reddendus decernere debet,*
*An ſibi reſtitui conducat. Idemque ſtatutũ eſt*
*Multis ſi rebus deductis, ſive duabus,*
*Præceptiſve, rogatus quis ſit reddere & aſsem*
*Sin certa ſumma deducta, aut ante recepta,*
*In qua ſit quarta, aut etiam pars maxima juris*
*Reddere quis fuerit defuncti jura rogatus,*
*Juris idẽ eſt. Verũ de illo quod diximus ante,*
*Qui fuit in tabulis hæres ex aſse ſtatutus,*
*Debet ad b;redem transferri ex parte vocatũ*

§. X.

Præterea inteſtatus quoque moriturus, poteſt rogare eum, ad quem bona ſua, vel legitimo jure vel honorario pertinere intelligit: ut hæreditatem ſuam totam, partemve ejus, aut rem aliquam (veluti fundum, hominem, pecuniam) alicui reſtituat, cum alioqui legata, niſi ex teſtamento non valeant.

*Decedens etiam inteſtatus poſcet ab illo,*
*Ad quem legitimo ſpectare aut jure videntur*
*Jure aut Prætoris bona, totũ reddat ut aſſem,*
*Sive aliquam partem, veluti viridantia rura,*
*Nummos, aut hominem, cum alioqui robur haberi*
*Non niſi legata in valido teſtamine poſſint.*

§. XI.

Eum quoque, cui aliquid reſtituitur, poteſt rogare, ut id rurſum alii, aut totum, aut partem, vel etiam aliquid aliud reſtituat.

*Hunc etiam teſtans, aliquid cui redditur, ipſũ*
*Ut reddat totum, poterit, partemve rogare.*

§. XII.

Et quia prima fideicommiſſorum cunabula à fide hæredum pendent, & tàm nomen, quàm ſubſtantiam acceperunt: ideo divus Auguſtus ad neceſſitatem juris ea retraxit. Nuper & nos eundem principem ſuperare contendentes ex facto, quod Tribonianus vir excellentiſſimus. Quæſtor ſacri palatii ſuggeſſit, conſtitutionem fecimus, per quam diſpoſuimus, ſi teſtator fidei hæredis ſui commiſit, ut vel hæreditatem, vel ſpeciale fideicommiſſum reſtituat, & neque ex ſcriptura, neque ex quinque teſtium numero (qui in fideicommiſſis legitimus eſſe noſcitur) poſſit res manifeſtari, ſed vel pauciores, quàm quinque, vel nemo penitus teſtis intervenerit: tunc ſive pater hæredis, ſive alius, quicunque ſit, qui fidem hæredis elegerit, & ab eo reſtitui aliquid

*Commiſſi fidei quoniam cunabula pendent*
*Prima, fide hæredum, & ceperunt nomen, & ipſam*
*Naturam. Idcircò Auguſtus de jure neceſſe*
*Hoc ſtatuit Princeps. Certantes vincere eũdẽ*
*Nos ipſi Auguſtũ ex facto, clariſſimus ille* Trib.
*Qu;ſ.or quod ſuggeſſit, legem hanc fecimus æquam,*
*Per quam diſpoſitum, fidei teſtamine teſtans*
*Si hæredis commiſit, totum aut reddat ut aſsẽ,*
*In ſpecie aut fideicommiſſum, oſtendier ullo*
*Nec poſſit ſcripto, res quinque aut teſtibus (ipſis*
*Qui numerus fideicommiſſis noſcitur eſse*
*Legitimus) numero teſtes ſed quinque minores,*
*Aut penitus nemo intervenit: tunc Pater ipſe,*
*Sive alius quicumque fidem delegerit ante*
*Hæredis, reddi & quicquã exoptaverit: hæres*

*I cr-*

quid volverit: ſi hæres perfidia tētus adimplere fidem recuſat, negando rem ita eſſe ſubſequutam: ſi fideicommiſſarius jusjurandum ei detulerit, cum prius ipſe de calumnia juraverit, neceſſe eum habere, vel jusjurandum ſubire, quòd nihil tale à teſtatore audiverit, vel recuſantem ad fideicommiſſi, vel univerſalis, vel ſpecialis ſolutionem coarctari, ne depereat ultima voluntas teſtatoris fidei hæredis commiſſa. Eadem obſervari cenſuimus, & ſi à legatario, vel fideicommiſſario aliquid ſimiliter relictum ſit. Quod ſi is, à quo relictum dicitur, (poſtquam negaverit,) confiteatur quidem aliquid à ſe relictum eſſe, ſed ad legis ſubtilitatem recurrat, omnino ſolvere cogendus eſt.

*Perfidia detentus ſi præſtare recuſat*
*Fortè fidem, inficiatus ſic factum eſſe ſecutū,*
*Si verò is, cui ſunt fideicommiſſa relicta,*
*Illi detulerit jusjurandum, prius idem*
*Crimine de falſo juratus, habere neceſſe,*
*Sive ſubire hoc jus jurandum, audiverit ante*
*Quod tale à teſtante nihil, cogi aut renuentē,*
*Ut ſolvat generale ſtatim, aut ſpeciale relictū*
*Comiſſum fidei, ut vigeat ſuprema voluntas*
*Teſtantis fideicommiſſa. Hæc eſſe putamus*
*Obſervanda ab eo, ſi quid ſit tale relictum,*
*Cui fideicommiſſa, aut ſunt legata relicta.*
*Si ille, relictum à quo eſt, poſtquam ſic eſſe negarit,*
*Confiteatur planè quicquam à ſe eſſe relictū,*
*Confugiatque ad legem, omninò ſolvere debet.*

## *De ſingulis Rebus per fideicommiſſum relictis*

## TITVLVS XXIV.

Poteſt tamen quis etiam ſingulas res per fideicommiſſum relinquere: veluti fundum, argentum, hominem, veſtem, (&) pecuniam numeratam, & vel ipſum hæredem rogare, ut alicui reſtituat, vel legatarium, quāvis a legatario legari nō poſſit.

*Singula per fideicōmiſſum quiſque valebit*
*Linquere, ut argētū, fūdū, veſteſq; decoras,*
*Atq; homines, etiam nummos, ipſumque rogare*
*Hæredem, ut reddat, vel eum, cui fortè relictum eſt*
*Legatum, quamvis legari haud poſſit ab ipſo.*

### §. I.

Poteſt autem non ſolum proprias res teſtator per fideicommiſſum relinquere: ſed & hæredis, aut legatarii, aut fideicommiſſarii, aut cujuslibet alterius. Itaque & legatarius, & fideicommiſſarius non ſolùm de ea rogari poteſt, ut eam alicui reſtituat, quæ ei relicta ſit: ſed etiam de alia, ſive ipſius, ſive aliena ſit. Hoc ſolùm obſervandum eſt, ne plus quiſquam rogetur alicui reſtituere, quàm ipſe ex teſtamento cœperit; nam quod amplius eſt, inutiliter relinquitur. Cum autem aliena res per fideicommiſſum relinquitur: neceſſe eſt ei, qui rogatus eſt, aut ipſam redimere, & præſtare, aut æſtimationem ejus ſolvere.

*§. I.*

*Non ſolùm poterit proprias res linquere teſtās*
*Per fideicommiſſū, verū linquere quicquam*
*Hæredis, ſive illius, cui fortè relicta*
*Legata, aut fideicommiſſa fuère ſtatuta,*
*Alteriuſve. Poteſt is ea de re ergo rogari*
*Non modò, cui fideicommiſſa fuère relicta,*
*Aut legata, aliis ut det, quodcumq; relictū eſt,*
*Verùm etiam de alia, vel ſit res ipſius illa,*
*Alteriuſve. Poteſt, ut plus det, nemo rogari,*
*Quā ex tabulis capiet; nō linquitur utile nāq;*
*Amplius. Aſt alienum ſi fortaſſe relictum*
*Per fideicommiſſa, neceſſe eſt, quiſque rogatus*
*Aut ipſū ut redimat, præſtet, reddatve valorē.*

### §. II.

Libertas quoque ſervo per fideicommiſſum dari poteſt, ut hæres eum rogetur manumittere, vel legatarius, vel fideicommiſſarius: nec intereſt, utrum de ſuo proprio ſervo teſtator roget, an de eo, qui ipſius hæ-

redis

*§. II.*

*Libertas poterit ſervo cuicumque relinqui*
*Per fideicommiſſum, duro pondere ut hæres*
*Illum diſſolvat, vincloque, rogetur, & ille,*
*Cui ſunt legata, aut fideicommiſſa relicta.*
*Nec refert, utrum proprium diſſolvere ſervū*

*Ipſe*

redis, aut legatarii, vel etiam extranei ſit. Itaque & alienus ſervus redimi, & manumitti debet. Quod ſi dominus eum non vendat: ſi modo nihil ex indicio ejus, qui reliquit libertatem, recepit; non ſtatim extinguitur fideicommiſſaria libertas, ſed differtur, quia poſſit tempore procedente, ubicumque occaſio ſervi redimendi fuerit, præſtari libertas. Qui autem ex fideicommiſſi cauſa manumittitur: non teſtatoris ſit libertus, etiam ſi teſtatoris ſervus ſit, ſed ejus, qui manumittit. At is, qui directo ex teſtamento liber eſſe jubetur, ipſius teſtatoris libertus ſit, qui etiam orcinus appellatur. Nec alius ullus directo ex teſtamento libertatem habere poteſt, quàm qui utroque tempore teſtatoris fuerit, & quo faceret teſtamentum, & quo moriretur. Directa autem libertas tunc dari videtur, cum non ab alio ſervum manumitti rogat, ſed veluti ex ſuo teſtamento libertatem ei competere vult.

*Ipſe roget teſtans, domini an ſub jure prematur*
*Hæredis; ſervus fuerit ſivè illius ipſe,*
*Cui ſunt legata, aut fideicommiſſa relicta,*
*Alteriuſque; ergo ſervus redimendus, & omni*
*Diſſolvi vinclo, ſervili ac pondere debet.*
*Illum quòd proprius dominus ſi vendere nolit,*
*Si modo judicio illius nihil ipſe recepit,*
*A quo libertas fuerat prius illa relicta,*
*Non perit extemplo libertas ipſa ſtatuta,*
*Verùm differtur, poterit quia tempore lapſo,*
*Cum alterius fuerit redimendi occaſio ſervi,*
*Præſtari. At verò ſervus, qui pondere duro*
*Ex cauſa fideicommiſſi ſolvitur, ipſe*
*Non ſit libertus teſtantis, ſit licet idem*
*Teſtantis ſervus; ſiet verò illius, arcta*
*Vincula qui ſolvit, libertus. At eſſe jubetur*
*Servus directo quivis teſtamine liber,*
*Libertus teſtantis ſit, qui nomine dictus*
*Eſt etiam Orcinus. Nullus teſtamine liber*
*Eſſe poteſt directo, ni qui tempore utroque*
*Teſtantis fuerit, tabulas quo conderet, & quo*
*Linqueret æthereas auras. Directa videtur*
*Concedi libertas, cum non poſtulat ipſe,*
*Servum alius ſervili ut ſolvat pondere, verum*
*Vult libertatem veluti ex teſtamine dandam.*

§. III.

Verba autem fideicommiſſorum hæc maximè in uſu habentur: *peto, rogo, volo, mando, fidei tuæ committo*, quæ perindè ſingula firma ſunt, atque ſi omnia in unum congeſta eſſent.

§. *III.*

*At verò fideicommiſſi verba tenenda*
*Hæc: Peto, committo fidei, Jubeo, rogo, mando,*
*Singula quæ firma, & veluti congeſta manebunt.*

## *De Codicillis.*

## TITVLVS XXV.

ANte Auguſti tempora conſtat codicillorum jus in uſu non fuiſſe, ſed primus Lucius Lentulus (ex cujus perſona etiam fideicommiſſa (eſſe) ceperunt) codicillos introduxit. Nàm cum decederet in Africa, ſcripſit codicillos teſtamento confirmato, quibus ab Auguſto petiit per fideicommiſſum, ut faceret aliquid. Et cum divus Auguſtus voluntatem ejus impleſſet: deinceps reliqui ejus auctoritatē ſequuti, fideicommiſſa præſtabant: & filia Lentuli legata, quæ jure non debebat, ſolvit. Dicitur autem Auguſtus convocaſſe ſapientes viros, interque eos Trebatium quoque, cujus

*USus non fuerat parvi jàm codicis ante*
*Auguſti tempus, primus ſed Lucius ipſum*
*Lentulus induxit, fideicommiſſa valere,*
*Ex quo cæperunt. Vita cum linqueret auras,*
*Nàm tabulis codex firmatus ſcriptus ab illo eſt,*
*Quo petiit fideicommiſſo à Principe, quicquàm*
*Ut faceret, cumque illius ſuprema voluntas*
*Protinus à Divo Auguſto completa fuiſſet:*
*Ipſum ſectati, fideicommiſſa deinceps*
*Præſtabant alii: legata haud debita jure*
*Solvit & illius ſoboles. Sed dicitur ipſe*
*Auguſtus legiſſe viros, interque peritos*
*Illum, cujus erat Sapientia maxima, (Trebatium*
*virtus*

O Et

cu jus tunc auctoritas maxima erat,& quæſiſſe, an poſſet recipi hoc, nec abſonans à juris ratione codicillorum uſus eſſet? & Trebatium ſuaſiſſe Auguſto, quod diceret utiliſſimum,& neceſſarium hoc civibus eſſe propter magnas, & longas peregrinationes, quæ apud veteres fuiſſent: ubi ſi quis teſtamentum facere non poſſet, tamen codicillos poſſet. Poſt quæ tempora cum & Labeo codicillos feciſſet: jàm nemini dubium erat, quin codicilli jure optimo admitterentur.

*Et ſumma, & quæſiviſſe, hoc an jure probare*
*Poſſet,& an juris ratione haud diſſonus eſſet*
*Codicis hic uſus parvi? Hic ſuaſiſſe refertur*
*Auguſto, nimium hoc cunctis, quod civibus eſſet*
*Utile, iter propter longum, veterumque remotos*
*A Patria curſus, ubi ni teſtamina poſſet*
*Quis facere appendicem,ſed teſtaminis ipſe*
*Condere tunc poſſet.Verùm hæc poſt tēpora parvo*
*Uſus cum Labeo eſſet Codice, nemo negavit*
*Codicis hunc uſum de jure admittere parvi.*

§. I.

Non tantum autem teſtamento facto poteſt quis codicillos facere,ſed (&) inteſtatus quis decedens fideicommittere codicillis poteſt.Sed cum ante teſtamentum factum codicilli facti erant: Papinianus ait, non aliter vires habere, quàm ſi ſpeciali poſteà voluntate confirmentur. Sed divi Severus, & Antoninus reſcripſerunt: ex iis codicillis,qui teſtamentum præcedunt,poſſe fideicommiſſum peti, ſi appareat, eum, qui teſtamentum fecit, à voluntate, quam in codicillis expreſſerat,non receſſiſſe.

*§. I.*

*Non tantum has parvas poterit teſtamine facto*
*Condere ſcripturas aliquis,ſed quiſque recedens*
*Vita inteſtatus fideicommittere parvis*
*Codicibus poterit. Sed cum teſtaminis ante*
*Confectas tabulas,factus jàm parvulus eſſet*
*Codex, Papinianus ait, non robur habere*
*Hunc aliter,quàm illum firmet ſi certa volūtas.*
*Aſt Antoninus ſcripſit, Divusque Severus,*
*Parvo ex hoc fideicommiſſum Codice poſſe,*
*Teſtamentum præcedente, niſi afforet illi,*
*Qui teſtamentum fecit, mutata voluntas,*
*Codicibus parvis teſtans quam expreſſerat ante.*

§. II.

Codicillis autem hæreditas neque dari, neque adimi poteſt, ne confundatur jus teſtamentorum, & codicillorum, & ideò nec exhæredatio ſcribi. Directo autem hæreditas codicillis neque dari, neque adimi poteſt; nàm per fideicommiſſum hæreditas codicillis jure relinquitur. Nec conditionem hæredi inſtituto codicillis adiicere, neque ſubſtituere directo (quis) poteſt.

*§. II.*

*Codicibus parvis nulla ratione valebit*
*As adimi, atque dari, ne ſit confuſio juris,*
*Codicis & parvi,ſcripti, ac teſtaminis inde.*
*Scribitur haud exhæredatio Codice parvo;*
*Codice directè parvo nec jura dabuntur,*
*Nec poterunt adimi; parvo nàm Codice ſolùm*
*Quivis per fideicommiſſa reliquerit aſſem.*
*Subſtituit nemò directè in Codice parvo,*
*Conditionem hæredi nec valet addere in illo.*

§. III.

Codicillos etiam plures quis facere poteſt, & nullam ſolemnitatem ordinationis deſiderant.

*§. III.*

*Haſce breves etiam ſcripturas condere plures*
*Quiſque poteſt,ipſarum aliquis nec poſcitur ordo.*

*FINIS LIBRI SECUNDI.*



Digitized by Google

# INSTITUTIONUM,

SEU

# ELEMENTORUM DIVI JUSTINIANI

SACRATISSIMI PRINCIPIS.

*Liber Terrtius,*

IN CARMINA REDACTUS.

## *De hæreditatibus, quæ ab inteſtato deferuntur*

## TITVLVS PRIMVS.

INteſtatus decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit, aut non jure fecit: aut id, quod fecerat, ruptum, irritumve factũ eſt, aut ſi ex eo nemo hæres extiterit.

§. I.

Inteſta torum autem hæreditates ex lege duodecim tabularum, primùm ad ſuos hæredes pertinent.

§. II.

Sui autem hæredes exiſtimantur, ( ut

*Ille inteſtatus dicetur linquere vitam,*
*Qui aut non effecit penitus teſtamina, Jure*
*Aut non fecit ea, aut quæ fecerat, irrita habẽtur,*
*Aut rupta, extiteritve hæres teſtamine nemo.*

§. *I.*

*Primùm autem è ſcripta induodenis lege tabellis*
*Jus ſuum ad hæredem inteſtati pertinet omne.*

§. *II.*

*Sed ſuus eſt hæres (ut ſupra diximus) ille,*

ſupra diximus, ) qui in poteſtate morientis fuerint, veluti filius, filiave, nepos, neptisve ex filio, pronepos, proneptiſve ex nepote ex filio nato, prognatus, prognatave. Nec intereſt, utrum naturales ſint liberi, an adoptivi. Quibus connumerari neceſſe eſt etiam eos, qui ex legitimis quidem (nuptiis, vel) matrimoniis non ſunt pregeniti, curiis tamen civitatum dati ſecundùm divalium conſtitutionum, quæ ſuper his poſitæ ſunt, tenorem, (hæredum) ſuorum jura nanciſcuntur. Necnon eos, quos noſtræ amplexæ ſunt conſtitutiones, per quas juſſimus: (ut) ſi quis mulierem, in ſuo contubernio copulaverit, non ab initio affectione maritali, eam tamen, cum qua poterat habere conjugium, & ex ea liberos ſuſtulerit: poſteà verò affectione procedente, etiam nuptialia inſtrumenta cum ea fecerit, & filios, vel filias habuerit: non ſolùm eos liberos, qui poſt dotem editi ſunt, juſtos, & in poteſtate patris eſſe: ſed etiam anteriores, qui & iis, qui poſtea nati ſunt, occaſionem legitimi nominis præſtiterunt. Quod obtinere cenſuimus, & ſi non progeniti fuerint poſt dotale inſtrumentum confectum liberi, vel etiam nati ab hac luce fuerint ſubtracti. Ità demùm tamen nepos, neptisve, pronepos, proneptisve: ſuorum hæredum numero ſunt, ſi præcedens perſona deſierit in poteſtate parentis eſſe: ſivè morte id acciderit, ſivè alia ratione, velut emancipatione. Nàm ſi per id tempus, quo quis moritur, filius in poteſtate ejus ſit: nepos ex eo, ſuus hæres eſſe non poteſt. Idque & in cæteris deinceps liberorum perſonis dictum (eſſe) intelligimus. Poſthumi quoque, qui ſi vivo parente nati eſſent, in poteſtate (ejus) futuri forent, ſui hæredes ſunt.

*Qui morientis erit ſub jure, ut filia, natus,*
*Sivè nepos, neptisve ex nato, ſivè proneptis,*
*Seù pronepos fuerit, dictoque nepote creatus,*
*Nec refert, utrum adoptivus ſit filius, an ſit*
*Naturalis; eum queis connumerare neceſſe*
*Eſt etiam, ſacri quamvis, qui è fœdere lecti*
*Non ſit progenitus juſto, datus attamen Urbis*
*Curiæ, ut inſtituit, juſſitque ea Sanctio Sacra,*
*Quæ ſuper his poſita eſt, hæredum Jura ſuorum*
*Nanciſcetur. Et eſſe ſuus cenſebitur hæres,*
*Quem fuit amplexa Imperialis Sanctio noſtra,*
*Per quam mãdatum, ut ſi quis ſibi junxerit illã*
*Ædibus in propriis, cum quà ſociare jugales*
*Tædas tunc poterat, juſti ſed fœdera lecti*
*Jungere principio fuerit non ulla voluntas,*
*Suſtuleritque ab ea natos, conjunxerit indè*
*Sed Sacri vinclo Juris, propriamque dicarit*
*Motus amore, iterum & natos, natasve crearit,*
*Non modò ſint juſti geniti poſt vincula Sacra,*
*Atque ſui adſtricti teneantur jure parentis,*
*Sed quoque legitimus genitus ſit quilibet ante,*
*Nominis à quo aliis occaſio præſtita natis*
*Poſtea legitimi eſt. Etiam hoc verũ eſſe putamus;*
*Et ſi non fuerint Sacri poſt fœdera lecti*
*Progeniti nati, placida vel morte quierint.*
*Sic autem neptis proneposve, neposve, proneptis*
*Demùm jura ſui hæredis cenſentur habere,*
*Si præcedens perſona eſſe in jure parentis*
*Deſierit. ſivè id poterit contingere morte,*
*Sivè modis aliis, veluti ſi ab jure ſoluta*
*Ipſa patris fuerit. Nàm ſi quis tempore mortis*
*Prognatos habeat patrio ſub jure, nepotes*
*Ex ipſis retinent hæredum haud jura ſuorum.*
*Dicimus in cunctis hoc deſcendentibus eſſe*
*Servandum. Ille ſuus cenſeri poſthumus hæres*
*Debet, qui ſi eſſet natus, vivente parente,*
*Ipſius tùm eſſet patris ſub jure futurus.*

§. III.

Sui autem hæredes fiunt etiam ignorantes, & licet furioſi ſint, hæredes poſſunt exiſtere: quia quibus ex cauſis ignorantibus nobis acquiritur: ex his cauſis & furioſis acquiri poteſt. Et ſtatim morte parentis, quaſi continuatur dominium, & ideò nec tutoris auctoritate opus eſt pupillis, cum etiam ignorantibus acquiratur ſuis hæredibus hæreditas, nec curatoris aſſenſu acquiritur furioſo, ſed ipſo jure.

§.IV.

§. *III.*

*Jàmque ſui hæredes ignorantes quoque fiunt,*
*Et quamvis fuerint furioſi, exiſtere poſſunt*
*Hæredes; etenim ex cauſis, queis quærere nobis*
*Poſſumus ignaris, furioſi acquirere poſſunt;*
*Et dominatus ei confeſtim morte parentis*
*Jàm quaſi continuatur, ei nec poſcitur Auctor,*
*Qui pupillus erit; defuncti nàm inſcius hæres*
*Jura ſuus retinet: Furioſo haud quæritur ullo*
*Aſſenſu curatoris, ſed jure paratur.*

§. *IV.*

§. IV.

Interdùm autem, licet in poteſtate (parentis) mortis tempore ſuus hæres non fuerit, tamen ſuus hæres parenti efficitur, veluti (ſi) ab hoſtibus quis reverſus fuerit poſt mortem patris (ſui,) jus enim poſtliminii hoc facit.

§. V.

Per contrarium (autem) evenit, ut licet quis in familia defuncta ſit mortis tempore, tamen ſuus hæres non fiat: veluti ſi poſt mortem ſuam pater judicatus fuerit perduellionis reus, ac per hoc memoria ejus damnata fuerit; ſuum enim hæredem habere non poteſt, cum Fiſcus ei ſuccedat, ſed poteſt dici ipſo (quidem) jure ſuum hæredem eſſe, ſed deſinere.

§. VI.

Cum filius, filiave, & ex altero filio nepos, neptiſve exiſtunt, pariter ad hæreditatem (avi) vocantur: nec qui gradi proximior eſt, ulteriorem excludit. Æquum enim eſſe videtur, nepotes, neptesque in patris ſui locum ſuccedere. Pari ratione & ſi nepos, neptiſve ſit ex filio, & ex nepote pronepos, proneptiſve, ſimul vocantur. Et quia placuit, nepotes, neptesve, item pronepotes, proneptesve in parentis ſui locum ſuccedere: conveniens eſſe viſum eſt, non in capita, ſed in ſtirpes hæreditatem dividi, ut filius partem dimidiam hæreditatis habeat, & ex altero filio duo, pluresve nepotes alteram dimidiam. Item ſi ex duobus filiis nepotes, neptesve exiſtant, ex altero unus fortè, aut duo, ex altero tres, aut quatuor: ad unum, aut duos dimidia pars pertineat, ad tres, vel ad quatuor altera dimidia.

§. VII.

Cum autem quæritur, an quis ſuus hæres exiſtere poſſit: eo tempore quærendum eſt, quo certum eſt, aliquem ſine teſtamento deceſſiſſe, quod accidit, & deſtituto teſtamento. Hac ratione, ſi filius exhæredatus fuerit, & extraneus hæres inſtitutus, & filio mortuo, poſteà certum fuerit, hæredem inſtitutum ex teſtamento non fieri hæredem, aut quia noluit eſſe hæres, aut quia non potuit, nepos avo ſuus hæres exiſtet: quia quo tempore certum eſt, inteſtatum deceſſiſſe patremfamilias, ſolus invenitur ne-

§. *IV.*

*At ſuus interdùm quamvis in jure parentis*
*Hæres non fuerit, genitor dùm cedit ad aſtra,*
*Attamen efficitur ſuus hæres ipſe parenti:*
*Si veluti fuerit diro quis ab hoſte reverſus,*
*Poſtquam deceſſit genitor; namque efficit illud*
*Jus Poſtliminii, de quò nos diximus ante.*

§. *V.*

*Sed contrà quamvis defuncti in jure parentis*
*Quis fuerit, vitæ genitor cum liquerit auras,*
*Non tamen ille ſuus fieri cenſebitur hæres:*
*Si veluti genitor poſt fata ſuprema rebellis*
*Ipſe reus Majeſtatis ſit crimine læſæ*
*Damnatus, reprobata ideò monumenta putantur*
*Ejus; namque nequit ſuus hæres ullus haberi,*
*Cum Fiſcus ſuccedat ei: dici attamen ipſo*
*Hæres jure ſuus poterit, ſed deſinit eſſe.*

§. *VI.*

*Cum verò fuerit natus, vel nata ſuperſtes,*
*Altero & ex nato exiſtat neptiſve, nepoſve,*
*Sunt ad avi pariter defuncti jura vocandi,*
*Atque gradu ulteriorem non excludere debet*
*Proximior natus. Juſtum namque eſſe videtur*
*Pro patre, ſeù neptem ſuccedere, ſivè nepotem.*
*Inſuper ex nato ſi ſit neptiſve, nepoſve,*
*Exque nepote proneptis ſit, pronepoſve, vocantur*
*Hi ſimul. Et quoniam placuit ſuccedere neptes,*
*Sivè nepotes, & pronepotes, ſivè proneptes*
*Pro genitore ſuo, idcircò nos duximus, aſſem*
*Totū haud in capita, aſt in ſtirpes eſſe ſecandum,*
*Dimidiam ut natus partem, pluresque nepotes,*
*Aut duo dimidiam accipiant. Sin fortè duobus*
*Ex natis neptes exiſtant, ſivè nepotes,*
*Unus, & ex uno, aut duo, terni, ſivè quaterni*
*Altero & ex nato, mediam partem accipit unus,*
*Sivè duo, alterā, & accipient ternive, quaterni.*

§. *VII.*

*Cum autē quis ſuus utrum hæres exiſtere poſſit,*
*Quæritur, eſt illo quærendum tempore ſolùm,*
*Eſt quo certum, aliquem nulla teſtamine facto*
*Deceſſiſſe. Pari ratione, quod accidit, ipſis*
*Deſertis tabulis. Fuerit ſi filius ergò*
*Exhæres factus, ſcriptuſque extraneus hæres,*
*Vitales auras natus ſed liquerit, indè*
*Et fuerit certum, hæredem teſtamine ſcriptum*
*Non fieri hæredem, aut quoniā hæres noluit eſſe,*
*Aut quia non potuit, jàm exiſtet avo ſuus hæres*
*Ipſe nepos; nàm inteſtatū, quo tempore certū eſt*
*Deceſſiſſe patrem, ipſe nepos ſolus reperitur.*

*Hoc*

Digitized by Google

nepos , & hoc certum eſt.

Hoc autem meritò juſſum , ac certũ eſſe fatémur.

§. VIII.

Et licet poſt mortem avi natus ſit , tamen avo vivo conceptus , mortuo patre ejus , poſteàque deſerto avi teſtamento , ſuus hæres efficitur . Planè ſi & conceptus, & natus fuerit poſt mortem avi ; mortuo patre ſuo, deſertoque poſteà avi teſtamento , ſuus hæres avo non exiſtet : quia nullo jure cognationis patrem ſui patris attigit. Sed nec ille eſt inter liberos avi , quem filius emancipatus adoptavit . Hi autem, cum non ſint ſui ( quantum ad hæreditatem ) liberi neque bonorum poſſeſſionem petere poſſunt quaſi proximi cognati . Hæc de ſuis hæredibus.

§. VIII.

Et poſt funus avi quamvis aſpexerit auras,
Sed fuerit conceptus, avo vivente, parente
Mortuo & ipſius , teſtamentoque deindè
Ejus avi deſerto , hæres cenſebitur eſſe
Jure ſuus . Planè ſi ſit poſt funera natus,
Et conceptus avi, genitore at funere adempto,
Deſertoque dein teſtamine avi, ſuus hæres
Non exiſtet avo; cari non attigit ullo,
Nàmque ſui patris cognati jure parentem.
Sed nec avi ſanè debent hi liberi haberi,
Natus adoptavit, patrio quos jure ſolutus.
His vero (quantum ſpectare videtur ad aſſem,)
Non ulla ratione ſui nàm liberi habentur;
Nec quaſi cognatis junctis magis ulla bonorum
Expoſci poterit poſſeſſio . Dictaque nobis
Omnia jura fuère ſuis de hæredibus iſta.

§. IX.

Emancipati autem liberi , jure civili nihil juris habent ( neque enim ſui hæredes ſunt , qui in poteſtate parentis eſſe deſierunt ) neque ullo alio jure per legem duodecim tabularum vocantur, ſed Prætor naturali æquitate motus , dat eis bonorum poſſeſſionem , *Undè liberi* , perindè , ac ſi in poteſtate parentis tempore mortis fuiſſent : ſivè ſoli ſint, ſivè cum ſuis hæredibus concurrant. Itaque duobus liberis exiſtentibus , emancipato uno, & eo, qui tempore mortis in poteſtate fuerit : ſanè quidem is , qui in poteſtate fuit , ſolus jure civili hæres eſt , & ſolus ſuus hæres , ſed cum emancipatus beneficio prætoris in partem admittitur : evenit, ut ſuus hæres pro parte hæres fiat

§. IX.

At verò patrio prognati jure ſoluti
Si ſint , jure nihil civili juris habebunt;
Nàmq; ſui hæredes non ſunt, qui in jure parentis
Deſierant eſſe, ullo alio nec jure vocantur
Deſcripta in tabulis duodenis lege , bonorum
Sed poſſeſſio Prætore à juſto datur, undè
Liberi eis, adſtricti non ſecus, atque fuiſſent
Jure poteſtatis genitoris tempore mortis,
Seù ſoli ſint , ſivè ſuis cum hæredibus ipſi
Concurrant . Gemino hinc nato exiſtente , ſoluto
Uno jure parentis, eo & qui tempore mortis
In patrio fuerit jure; is, qui in jure parentis
Fortè fuit, plane civili eſt ſolus habendus
Hæres jure, ſuus ſolus, dicendus & hæres :
Sed quoniam à Prætore in partẽ admittitur ille,
Jure poteſtatis Patria ſit qui ante ſolutus ,
Evenit, ut pro parte hæres fiat ſuus hæres.

§. X.

At hi, qui emancipati à parente in adoptionem ſe dederunt , non admittuntur ad bona naturalis patris quaſi liberi : ſi modò, cum is moreretur , in adoptiva familia fuerint . Nàm vivo eo emancipati ab adoptivo patre, perindè admittuntur ad bona naturalis patris, ac ſi emãcipati ab ipſo eſſent, nec unquàm in adoptiva familia fuiſſent. Et convenienter , quod ad adoptivum patrem pertinet , extraneorum loco eſſe incipiunt . Poſt mortem verò naturalis patris emancipati ab adoptivo patre : & quantum ad hunc adoptivum patrem pertinet , æquè extraneorum loco fiunt : & quantum

ad

§. X.

Qui verò patrio fuerant ab jure ſoluti,
Atque parentis adoptivi ſub jure recepti,
Non ullo ad naturalis bona jura parentis
Hi quaſi prognati admittuntur ; dummodò vita
Jàm naturalis genitor cum linqueret auras,
Patris adoptantis fuerint haud jure ſoluti
Nàm ipſo vivo, ab adoptivi ſi jure ſoluti
Sint patris, naturalis ſic ad bona patris
Admittuntur , ab ipſo ut ſi eſſẽt jure ſoluti,
Nunquam & adoptivi patris ſub iure fuiſſent.
Quare ad adoptivum patrem quod pertinet, eſſe
Externi incipiunt : ũerùm poſt funera patris
Naturalis adoptivo à patre iure ſoluti,
Ipſum patrẽ ad adoptivum quantũ attinet æquè

Fiunt

Digitized by Google

ad naturalis patris bona pertinet, nihilo magis liberorum gradum nanciſcuntur. Quod ideò ſic placuit, quia iniquum erat eſſe in poteſtate patris adoptivi, ad quod bona naturalis patris pertineant, utrum ad liberos ejus, an ad agnatos.

§. XI.

Minus ergò juris habent adoptivi (filii) quam naturales nàmque naturales emancipati, beneficio Prętoris gradum liberorum retinent, licet jure civili perdant: adoptivi verò emancipati, & jure civili perdunt gradum liberorum, & à Prætore non admittuntur, & rectè, naturalia enim jura civilis ratio perimere non poteſt, nec quia deſinunt ſui hæredes eſſe, poſſunt deſinere filii filiæ, vel aut nepotes neptesve eſſe, adoptivi verò emancipati, extraneorum loco incipiunt eſſe; quia jus nomenque filii filiæque, quod per adoptionem conſequuti ſunt, alia civili ratione, id eſt, emancipatione perdunt.

§. XII.

Eadem hæc obſervantur, & in ea bonorum poſſeſſione, quam contra tabulas teſtamenti parentis liberis præteritis, id eſt, neque hæredibus inſtitutis, neque ut oportet exhæredatis, Prætor pollicetur. Nàm eos quidem, qui in poteſtate mortis tempore fuerint, & emancipatos, vocat Prætor ad eandem bonorum poſſeſſionem: eos vero, qui in adoptiva familia fuerint per hoc tempus, quo naturalis pater moreretur, repellit. Item adoptivos liberos emancipatos ab adoptivo patre, ſicut nec ab inteſtato, ità longè minus contra tabulas teſtamenti ad bona ejus (non) admittit: quia deſinunt (in) numero liberorum (ejus) eſſe.

§. XIII.

Admonendi tamen ſumus, eos qui in adoptiva familia ſunt, quive poſt mortem naturalis parentis ab adoptivo patre emancipati fuerint; inteſtato parente naturali mortuo, licet ea parte edicti, qua liberi ad bonorum poſſeſſionem vocantur, non admittantur, alia tamen parte vocari, ſcilicet qua cognati defuncti vocantur. Ex qua parte ità admittuntur, ſi neque ſui hæredes liberi, neque emancipati obſtent, neque adgnatus quidem ullus interveniat. Ante enim

*Fiunt externi, & quãtum ad bona pertinet inde,*
*Patris naturalis, ſicut liberi habentur,*
*Atque gradum natorum omni de jure tenebunt:*
*Idque ideò placuit, quia cenſebatur iniquum*
*In Patris eſſe poteſtate optivi, manibusque*
*Ad quos pertineant naturalis bona Patris, (tur.*
*Utrũ ad eos, qui adgnati, an qui ejus liberi habẽ-*

§. *XI.*

*Natus adoptivus juris minus ergò tenebit,*
*Quàm naturalis; patrio nàm jure ſolutus*
*Si naturalis fuerit, Prætore jubente,*
*Ipſe gradum retinet nati, de jure Quiritum*
*Quamvis perdat; adoptivus de jure ſolutus,*
*Atque gradum natum deperdit jure Quiritum,*
*Atque à Prætore haud admittitur; Ipſa nequibit*
*Nàm ratio civilis naturalia Jura*
*Perdere. Nec quoniam ſuus hæres deſinit eſſe,*
*Deſinere eſſe poteſt natus, vel nata, neposque,*
*Neptis. Adoptivus patrio, ſed jure ſolutus,*
*Filius, extemplo jàm extraneus incipit eſſe;*
*Jus etenim, ac nati nomen, quod adoptio fecit,*
*Civili ex alia ratione hìc perdere fertur.*

§. *XII.*

*Servantur verò hæc eadem, à Prætore bonorum*
*Prognatis poſſeſſio cum promittitur illis,*
*Qui ſunt præteriti contra teſtamina patris,*
*Scilicet haud facti exhæredes, ſivè ſtatuti,*
*Non ſunt hæredes patris in tabulis, ut oportet;*
*Namque illis, fuerint qui patris tempore mortis*
*Sub patrio jure, atque ſolutis jure bonorum*
*A Prætore datur poſſeſſio. At ipſe repellit*
*Prætor eos, qui optivi patris, jure tenentur,*
*Cum naturalis pater ipſe volaret ad Aſtra.*
*Non admittit item natos ab jure ſolutos*
*Ad bona adoptivi contra teſtamina patris,*
*Sicut ab inteſtato; patris jure ſolutus*
*Nàm optivus numero natorum deſinit eſſe.*

§. *XIII.*

*Attamen attentè quicumque advertere debet,*
*Illos, patris adoptivi, qui jure tenentur,*
*Quive patris naturalis poſt funera, patre*
*Sint ab adoptivo civili ab jure ſoluti,*
*Naturalis ab inteſtato cedat ad aſtra*
*Si genitor, quamvis Edicti parte, bonorum*
*Qua datur à naturali poſſeſſio natis,*
*Non admittantur, tamen illa ex parte vocari,*
*Qua Cognati omnes defuncti nempè vocantur:*
*Ex qua parte admittuntur ſic, ni ſuus obſtet*
*Hæres, aut patrio fuerit, qui ab jure ſolutus,*
*Na-*

enim Prætor liberos vocat, tàm ſuos hæredes, quàm emancipatos, deindè legitimos hæredes, deindè proximos cognatos.

*Natus & optivus non intervenerit ullus.*
*A Prætore ſuus namque hæres ante vocatur,*
*Filius, atque ſolutus patris jure, deindè*
*Hæres legitimus, cognatus proximus inde.*

§. XIV.

Sed ea omnia antiquitati (quidem) placuerunt: aliquam autem emendationem à noſtra conſtitutione acceperunt, quam ſuper iis perſonis compoſuimus, quæ à patribus ſuis naturalibus in adoptionem aliis dantur. Invenimus etenim nonnullos caſus, in quibus filii, & naturalium parentum ſucceſſionem propter adoptionem amittebant: & adoptione facile per emancipationem ſoluta, ad neutrius patris ſucceſſionem vocabantur. Hoc ſolito more corrigentes, conſtitutionem ſcripſimus, per quam definivimus, quando parens naturalis filium ſuum adoptandum alii dederit, integra omnia jura ità ſervari: atque ſi in patris naturalis poteſtate permanſiſſet, nec penitùs adoptio fuiſſet ſubſequuta: niſi in hoc tantummodo caſu, ut poſſit ab inteſtato ad patris adoptivi venire ſucceſſionem. Teſtamento autem ab eo facto: neque jure civili, neque prætorio, ex hæreditate ejus aliquid perſequi poteſt, neque contra tabulas bonorum poſſeſſione agnita, neque inofficioſi quærela inſtituta: cum nec neceſſitas patri adoptivo imponatur, vel hæredem eum inſtituere, vel exhæredatum eum facere, utpotè nullo vinculo naturali copulatum, neque ſi ex Sabiniano Senatusconſulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nàm & id ejuſmodi caſu, neque quanta ei ſervatur, neque ulla actio ad ejus perſequutionem ei competit. Noſtra autem conſtitutione exceptus eſt is, quem parens naturalis adoptandum ſuſceperit. Utroque enim jure tàm naturali, quàm legitimo in hanc perſonam concurrente priſtina jura tali adoptioni ſervamus, quemadmodum ſi paterfamilias ſeſe dederit arrogandum: quæ ſpecialiter, & ſingulatim ex præfatæ conſtitutionis tenore poſſunt colligi.

§. XIV.

*Aſt hæc ætati placuerunt cuncta vetuſtæ,*
*Lege ſed à noſtra fuit emendatio facta,*
*Quam ſuper his perſonis nos ſancivimus ante,*
*Naturalis adoptandos, quos dat pater ipſe;*
*Nonnullos etenim caſus invenimus, in queis*
*Amittebatur natis ſucceſſio patris*
*Naturalis, adoptio quod confecerat ipſos*
*Alterius natos. Civilis adoptio juris,*
*Cumque ſoluta eſſet, patris illis indè dabatur*
*Neutrius ſucceſſio. Nos correximus iſtud*
*De ſolito more, & legem deſcripſimus illam,*
*Qua eſt ſancitum, naturalis quando voluntas*
*Patris adoptandum dederit natum, integra jura*
*Servari, naturalis ceù jure parentis*
*Manſiſſet, confecta & adoptio nulla fuiſſet*
*Omnino, niſi in hoc caſu tantummodò, ut ipſe*
*Poſſit ab inteſtato ad patris jura venire*
*Optivi. Verùm facto teſtamine ab ipſo,*
*Civili jure, aut Prætoris poſcere quidquàm*
*Non ex aſſe poteſt ejus, teſtamina contra*
*Cum non ulla bonorum ſit poſſeſſio nota,*
*Et ſit inofficioſi haud ulla querela ſtatuta,*
*Namq; hæredem illum deſcribere nullus adoptãs*
*Cogitur, aut exhæredem facere, utpotè nullo*
*Naturæ junctum vinclo, neque ſi ipſe Senatus*
*Conſulto ſit adoptatus tribus ex maribus; nàm*
*Caſu hoc non ſervatur ei quarta, actio nulla*
*Competit, is poſſit ſimilem, qua poſcere partem*
*Eſt autem noſtris exceptus legibus ille,*
*Naturalis adoptandum, quem acceperit ipſe*
*Jàm pater. In perſonam hãc cũ concurrat utrũq;*
*Jus naturæ & legitimum, ſua priſtina jura*
*Huic ſervamus adoptivo, ceù tradidit ipſe*
*Naturalis ſe optandum pater. Iſta tenore,*
*Singula præfatæ legis ſpectare poteſtis.*

§. XV.

Item vetuſtas ex maſculis progenitos plus diligens, ſolos nepotes, vel neptes: qui (quæve) ex virili ſexu deſcendunt: ad ſuorum vocabat ſucceſſionem, & jure adgnatorum eos anteponebat: nepotes autem,

§. XV.

*Inſuper à maribus genitos mage priſca vetuſtas*
*Dilexit, ſolos ex ſexu namque nepotes*
*Maſculeo, neptesque ſuorum ad jura vocabat*
*Adgnatorum, ipſos præponens jure: Nepotes*
*Fæmineo ex ſexu, & pronepotes neptibus ortos*

Con-

tem, qui ex filiabus nati ſunt, & pronepotes ex neptibus cognatorum loco connumerans, poſt adgnatorum lineam eos vocabat, tàm in avi, vel proavi materni, quàm in aviæ, vel proaviæ, ſivè paternæ, ſivè maternæ ſucceſſionem. Divi autem Principes non paſſi ſunt talem contra naturam injuriam ſine competenti emendatione relinquere: ſed cum nepotis, & pronepotis nomen commune ſit utriſque, tàm qui ex maſculis, quàm qui ex fœminis deſcendunt; ideò eundem gradum, & ordinem ſucceſſionis eis donaverunt. Sed ut amplius aliquid ſit eis, qui non ſolùm naturæ, ſed etiam veteris juris ſuffragiis muniuntur: portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps, (de quibus ſupra diximus) paulò minuendam eſſe exiſtimaverunt: ut minus tertia parte acciperent, quàm mater eorum, vel avia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel avus paternus, ſivè maternus, quando fœmina mortua ſit, cujus de hæreditate agitur: iiſque (licet ſoli ſint) adeuntibus, adgnatos minimè vocabant. Et quemadmodùm lex duodecim tabularum, filio mortuo, nepotes, vel neptes, pronepotes, vel proneptes in locum patris ſui ad ſucceſſionem avi ſui vocat; ità & principalis diſpoſitio in locum matris ſuæ, vel aviæ, eos cum jam deſignata partis tertiæ diminutione vocat.

*Connumerans cognatorum vice jure vetuſto*
*Lineolam poſt adgnatorum, ad jura vocabat,*
*Et proavi, vel avi materni, aviæque paternæ,*
*Vel maternæ, proque aviæ. At qui legibus æquis,*
*Et juſto imperio populos, Orbemque gubernant,*
*Hoc emendantes rectè haud liquerè gravamen*
*Contra naturam; verùm commune nepotis,*
*Et pronepotis cum ſit nomen utrique tributum*
*Fœmineo ex ſexu venienti, ſivè virili*
*Ordine eos idcircò ad jura, graduque vocarunt*
*Uno, & eodem; ſed quitquam ſit ut amplius illis,*
*Qui non ſolùm naturæ, at munimine juris*
*Sunt etiam fulti veteris, neptumve, nepotum,*
*Sivè deinceps, quos ipſi numeravimus ante,*
*Diminui partem paulò debere putarunt,*
*Terna, ut parte minus caperet, quàm mater eorū,*
*Sivè avia acceptura, paterve fuiſſet eorum,*
*Seù maternus avus capturus, ſivè paternus,*
*Fœmina vitales moriens cum liquerit auras,*
*Cujus de aſſe agitur toto. Atque adeuntibus ipſis*
*(Quāvis ſint ſoli,) haud defuctæ ad jura vocabāt*
*Adgnatos. Veluti in duodenis ſcripta tabellis*
*Lex, cum prognatus decedat ad aſtra, nepotes*
*Pro patre, ſeu neptes, pronepotes, ſivè proneptes*
*Ad bona decedentis avi vocat omnia: ſacra*
*Sanctio ſic pro matre ſua, aut avia advocat ipſos,*
*Dummodò ſit ternæ confecta minutio partis.*

§. XVI.

Sed nos, cum adhùc dubitatio maneret inter adgnatos, & memoratos nepotes, quartam partem ſubſtantiæ defuncti adgnatis ſibi vindicantibus ex cujuſdam conſtitutionis auctoritate: memoratam quidem conſtitutionem à noſtro Codice ſegregavimus, neque inſeri eam ex Theodoſiano Codice in eo conceſſimus. Noſtra autem conſtitutione promulgata, toti juri ejus derogarum eſt: & ſancimus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, ſuperſtitibus, adgnatos nullam partem mortui ſucceſſionis ſibi vindicare: nec hi, qui ex transverſa linea veniunt, poriores iis habeantur, qui recto jure deſcendunt. Quam conſtitutionem noſtram obtinere ſecundum ſui vigorem, & tempora, & nunc ſancimus: ità tamen, ut quemadmodùm inter filios, & nepotes ex filio antiqui-tas

§. XVI.

*Adgnatos inter memoratos, atque nepotes*
*Cum remaneret adhùc nobis dubitatio quartam*
*Aſſis defuncti partem accipientibus ipſis*
*Adgnatis, cujuſdam antiquæ robore legis*
*Præfatam à noſtro legem ſejunximus ipſi*
*Codice, nec deſcribi in eo conceſſimus illam* Theodoſ.
*Codice ab antiquo. Sed prodita ſanctio noſtra*
*Ejus jus totum delevit: ſanximus indè.*
*Ex muliebri prole nepote ſuperſtite tali,*
*Aut pronepote ex nepte ſuperſtite, ſicque deinceps;*
*Defuncti nullam partem retinere bonorum*
*Adgnatos, veniens transverſo ex tramite forte*
*Ne potior ſit eo, recto eſt qui jure profectus.*
*Hanc adeò legem robur retinere jubemus,*
*Ceù natos inter ſtatuerunt, atque nepotes*
*Ex nato antiqui, in ſtirpes partirier aſſem,*
*Non verò in capita, ut pariter jubeamus & inter*

P Na-

tas ſtatuit, non in capita, ſed in ſtirpes dividi hæreditatem: ſimiliter nos inter filios, & nepotes ex filia, diſtributionem fieri jubeamus, vel inter omnes nepotes, & neptes, & inter pronepotes, & proneptes, & alias deinceps perſonas: ut utraque progenies matris, vel patris, aviæ, vel avi, portionē ſine ulla diminutione conſequatur: ut ſi fortè unus, vel duo ex una parte, ex altera tres, aut quatuor extent: unus aut duo dimidiam, alteri tres, aut quatuor alteram dimidiam hæreditatis habeant.

*Natos, atque omnes muliebri ex prole nepotes*
*Diſtribui aſſem, inter ſeù neptes, atque nepotes,*
*Sivè omnes inter pronepotes, atque proneptes,*
*Ut matris, patriſque, aviæ, vel avi utraq; proles*
*Accipiat partem, & non ulla minutio fiat.*
*Una ex parte duo, aut unus ſi fortè ſuperſint,*
*Altera & exiſtant ſeù terni, ſivè quaterni,*
*Ut duo dimidiam, aut unus dicatur habere,*
*Dimidiam, & capiant ſeù terni, ſivè quaterni.*

## De *legitima adgnatorum ſucceſſione.*

## TITVLVS II.

SI nemo ſuus hæres, vel eorum, quos inter ſuos hæredes Prætor, vel conſtitutiones vocant, exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo amplectatur: tùnc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hæreditas.

*FOrte ſuus ſi hæres nemo exiſtat, vel eorum,*
*Quos vocat ipſe ſuos Prætor, vel ſāctio noſtra*
*Hæredes inter, cui ſit ſucceſſio danda*
*Ex quocumque modo in duodenis lege tabellis*
*Proximum ad agnatū jus defuncti attinet omne.*

### §. I.

Sunt autem adgnati, ut (primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis ſexus perſonas cognatione cōjuncti, quaſi à patre cognati. Itàque (ex) eodem patre nati fratres, adgnati ſibi ſunt, qui & conſanguinei vocantur: nec requiritur, an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & invicem is illi agnatus eſt. Eodem numero ſunt fratres patrueles, ideſt, qui ex duobus fratribus procreati ſunt, qui etiam conſobrini vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus adgnationis pervenire poterimus. Ii etiam, qui poſt mortem patris naſcuntur, jura conſanguinitatis nanciſcuntur. Non tamen omnibus ſimul adgnatis dat lex hæreditatem: ſed iis, qui tunc proximiores gradu ſunt, cum certum eſſe cæperit, aliquem inteſtatum deceſſiſſe.

### *§. I.*

*Sunt autem adgnati ſicut quoque diximus ante,*
*Cognati è maribus, conjuncti ſanguine, eodem*
*Et quaſi cognati, atque uno à patre. Ergò creati*
*Si fuerint fratres ab eodem patre, vocantur*
*Adgnati, proprio qui etiam cognomine dicti*
*Sunt conſanguinei haud poſcetur, an una & eadē*
*Sint geniti à matre. Et fertur quoq; patruus eſſe*
*Adgnatus fratris nato, illique ipſe viciſſim.*
*Sunt etiam fratres patrueles nomine dicti,*
*Fratribus à binis fuerant qui nempè creati,*
*Atque etiam conſobrini dicuntur. Et iſta*
*Ad plures ratione gradus procedere rectè*
*Quiſq; poteſt. Naſcuntur qui poſt funera patris,*
*Sanguinis hi nanciſcuntur quoque jura; ſed omni*
*Non ſimul adgnato defuncti ſanctio jura*
*Contribuit, ſed ei, qui tunc mage proximus extat,*
*Cum ſine confectis tabulis incæperit eſſe*
*Certum, commutaſſe aliquem cum funere vitam.*

### §. II.

Per adoptionem quoque adgnationis jus conſiſtit: veluti inter filios naturales, & eos, quos pater eorum adoptavit. Nec dubium eſt, quin impropriè conſanguinei appellentur. Item ſi quis ex cæteris adgnatis (tuis) veluti frater, aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu eſt, adoptaverit ali-

### *§. II.*

*Jus adgnatorum ſtatuit quoque adoptio, nempè*
*Inter eos, patris quos fecit adoptio natos,*
*Ipſius & naturales natos. Dubium haud eſt,*
*Quin conſanguinei improprio ſint nomine dicti.*
*Si quis item ex aliis adgnatis, ſcilicet ipſe*
*Frater, ſivè etiam patruus, gradibusve remotis*
*Qui magis eſt, aliquem natum ſibi deniq; adoptet,*
*Hic*

Digitized by Google

aliquem: adgnatus intet ſuos hæredes eſſe non dubitatur.

§. III.

Cæterùm inter maſculos quidem adgnationis jure hæreditas, etiamſi longiſſimo gradu ſint, ultrò,citroque capitur. Quod ad fœminas verò attinet: ità placebat, ut ipſæ conſan guinitatis jure tantùm capiant hæreditatem,ſi ſorores ſint: ulterius non capiãt; maſculi autem ad earũ hæreditates (etiam ſi longiſſimo gradu ſint) admittantur. Qua de cauſa fratris tui, aut patrui tui filiæ, vel amitæ tuæ hæreditas ad te pertinebat: tua verò ad illas non pertinebat. Quod ideò ità conſtitutum erat, quia commodius videbatur ità juſta conſtitui, ut plerumque hæreditates ad maſculos confluerent. Sed quia ſanè iniquum erat, in univerſum eas quaſi extraneas repelli: Prætor eas ad bonorum poſſeſſionem admittit ea parte, qua proximitatis nomine bonorum poſſeſſionem pollicetur,ex qua parte ità ſcilicet admittuntur,ſi neque adgnatus ullus, neque proximior cognatus interveniat. Et hæc quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit; ſed ſimplicitatem legibus amicam amplexa, ſimili modo omnes adgnatos ſivè maſculos, ſivè fœminas, cujuſcumque gradus, ad ſimilitudinem ſuorum invicem ad ſucceſſionem vocabat. Media autem juris prudentia, quæ erat quidem lege duodecim tabularum junior, Imperiali autem diſpoſitione anterior: ſubtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitùs eas à ſucceſſione adgnatorum repellebat: omni alia ſucceſſione incognita,donec Prætores paulatìm aſperitatem juris civilis corrigentes: ſivè,quod deerat, implentes,humano propoſito, alium ordinem ſuis edictis addiderunt: & cognationis linea proximitatis nomine introducta,per bonorum poſſeſſionem eas adjuvabant, & pollicebantur his bonorum poſſeſſione, quæ *undè cognati* appellatur.Nos verò,legẽ duodecim tabularum ſequentes, & ejus veſtigia in hac parte conſervantes, laudamus quidem Prætores ſuæ humanitatis, non tamen eos in plenum (huic) cauſæ mederi invenimus. Quare etenim uno,eodemque gradu naturali concurrente, & adgnationis titulis,tàm in maſculis,

*Hic ſuus eſſe adgnatus non dubitabitur hæres.*

§. *III.*

*De reliquo As ultro capitur,citroque viriles*
*Inter perſonas adgnati jure,remotis*
*Quãvis ſint gradibus. Sexus quod pertinet autẽ*
*Fœminei ad perſonas, ſic ſtatuiſſe placebat,*
*Sanguinis ut capiant dumtaxat jure ſorores*
*Aſſem, haud ulterius capiant,ſexusque virilis*
*Perſonæ,gradibus quamvis compluribus abſint,*
*Fœminei ſexus meritò admittantur ad aſſem.*
*Jura tuæ hinc amitæ,aut natæ fratris, patruive*
*Ad te ſpectabant, tua verò non ſtatim ad illas.*
*Idcircò hoc veteres quondam ſtatuiſſe videntur,*
*Commodius ſic conſtitui, quia jure putarunt,*
*As ut maſculeum ad ſexum plerumque veniret.*
*Cumque repellere eas in totum, jàm eſſet iniquum*
*Externas veluti, ipſis à Prætore bonorum*
*Parte datur poſſeſſio ea,qua nomine ab ipſo*
*Proximitatis erit meritò promiſſa bonorum*
*Hæc poſſeſſio; & ex hac parte, ità ſcilicèt ipſæ*
*Admittuntur, ſi non intervenerit ullus*
*Adgnatus,nec cognatus mage proximus extet.*
*Ulla haud hæc introduxit ratione tabellis*
*Lex ſcripta in duodenis: verùm legis amicam*
*Simplicitatem amplexa, pari ratione vocabat,*
*Cujuscumque gradus adgnatos ſivè virilis,*
*Seù ſexus muliebris ad omnia jura viciſſim,*
*Non ſecùs,atque ſuos. Media at prudentia juris,*
*Quæ fuerat planè in duodenis lège tabellis*
*Junior inſcripta, juſſis à Principe verò*
*Legibus anterior,quædam accuratius ipſa*
*Perpendens, dictum diſcrimen duxerat, illas*
*Perſonasque adgnatorum pellebat ab aſſe,*
*Cum quævis alia haud eſſet ſucceſſio nota,*
*Donec paulatìm aſperitatem denique juris*
*Emendans meritò civilis Prætor,adimplens,*
*Seù quod defuerat, diverſum, aliumque tenorem*
*Propoſito humano edictis ſimul addidit, atque*
*Introducta fuit cognati nomine ab ipſo*
*Linea proximitatis, eoque juvante,bonorum*
*His promiſſa fuit poſſeſſio, dicitur* undè,
*Quæ* cognati. *Nos verò deſcripta ſequentes*
*Omnia quæ fuerant duodenis lege tabellis,*
*Illiusque hac ſervantes veſtigia parte,*
*Laudamus planè facilem, nimiumque benignum*
*Prætorem,in plenum tamen haud invenimus ipsũ*
*Proſpicere huic cauſæ.Cũ etenim cõcurreret unus,*
*Atque idem naturalis gradus, atque virili,*
*Fœmineo & pariter ſexu æqua lance ſtatutis*
*Adgnati titulis, ad jura venire dabatur*

 *Ad-*

ſculis, quàm in fœminis æqua lance conſtitutis, maſculis quidem dabatur ad ſucceſſionem venire omnium adgnatorum: ex adgnatis autem mulieribus nulli penitùs, niſi ſoli ſorori, ad adgnatorum ſucceſſionem patebat aditus? Ideò (nos) in plenum omnia reducentes, & ad jus duodecim tabularum eandem diſpoſitionem exæquantes, noſtra conſtitutione ſancimus: omnes legitimas perſonas, id eſt, per virilem ſexum deſcendentes, (ſivè maſculini generis, ſivè fœminini ſint) ſimili modo ad jura ſucceſſionis legitimæ ab inteſtato vocari, ſecundum ſui gradus prærogativam: nec ideò excludendas, quia conſanguinitatis jura, ſicut germanæ, non habent.

*Adgnatorum, cur maribus, nullique patebat*
*Fœmineo ex ſexu præfata ad jura, ſorori*
*Sed ſoli hic aditus? Nos omnia duximus iſta*
*Idcircò in plenum, duodenis lege tabellis,*
*Et quod diſpoſitum fuit, exæquavimus omne,*
*Omnem legitimam perſonam hac lege jubemus,*
*(Maſculus hæc fuerit, vel fœmina) nempè virilem*
*Per ſexum deſcendentem, haud teſtamine facto,*
*Legitimè ratione pari ſuccedere ad aſſem,*
*Quæ ſit proximior, neque eam ſancivimus eſſe*
*Excludendam, quod non jura ſororis habebit.*

§. IV.

Hoc etiam addendum noſtræ conſtitutioni exiſtimavimus, ut transferatur unus tantummodo gradus à jure cognationis in legitimam ſucceſſionem; ut non ſolùm fratris filius, & filia (ſecundùm quod jàm definivimus) ad ſucceſſionem patris ſui vocentur: ſed etiam germanæ conſanguineæ, vel ſororis uterinæ filius, & filia ſoli, & non deinceps perſonæ una cum his ad jura avunculi ſui perveniant: & mortuo eo, qui patruus quidem eſt, ſui fratris filiis, avunculus autem ſororis ſuæ ſoboli, ſimili modo ab utroque latere ſuccedant, tanquàm ſi omnes ex maſculis deſcendentes, legitimo jure veniant, ſcilicet ubi frater, & ſoror ſuperſtites non ſunt. His etenim perſonis præcedentibus, & ſucceſſionem admittentibus, cæteri gradus remanent penitùs ſemoti, videlicet hæreditate non in ſtirpes, ſed in capita dividenda.

§. *IV.*

*Hoc etiam addendum noſtræ nos duximus eſſe*
*Legi, cognati ut ſolùm ſucceſſio fiat*
*Jure gradus unius, ſicut diximus ante,*
*Filius ut non ſolùm, nec non filia fratris*
*Cuncta ad jura ſui patrui de jure vocentur,*
*Sed conſanguineæ germanæ, ſivè ſororis*
*Prognati, nataque uterinæ, & nulla deinceps*
*Perſona ad fratris genitricis jura venire*
*Poſſit cum his. Vitæ & patruus cù liquerit auras,*
*Succedit fratris ſoboles, pariterque propago*
*Defuncti totum ſuccedit avunculi ad aſſem*
*Jàm latere ex utroq; velut ſi hæc cuncta propago*
*Legitimo è maribus deſcendens jure vocetur,*
*Nempè ubi non fuerit frater ve, ſororve ſuperſtes.*
*Nàm ſi hæ perſonæ ſuccedent, atque præibunt,*
*Indè gradus remanet penitùs ſemotus, & aſſis*
*In capita, & non in ſtirpes partitio fiat.*

§. V.

Si plures ſint gradus adgnatorum, apertè lex duodecim tabularum proximum vocat. Itàque ſi (verbi gratia) ſint defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur. Et quàmvis ſingulari numero uſa lex (duodecim tabularum) proximum vocet, tamen dubium non eſt, quin ſi plures ſint ejuſdem gradus, omnes admittantur. Nàm & propriè proximus ex pluribus gradibus intelligitur: & tamen non dubium eſt, quin licet unus ſit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hæreditas.

§. *V.*

*Pluribus at gradibus ſi quas adgnatio jungat,*
*Proximus è ſcripta duodenis lege vocatur*
*In tabulis. Frater defuncti eſt ſi ergò ſuperſtes*
*Fratris & alterius natus, frater ve parentis,*
*Frater habendus erit potior. Licet ipſe vocetur*
*Proximus è ſcripta in duodenis lege tabellis*
*Uno tantùm uſa numero, dubium tamen haud eſt,*
*Quin gradibus plures ſi adgnatio jungat iisdem,*
*Sint omnes admittendi; nàm proximus eſſe*
*E' multis intelligitur gradibus, tamen ullum*
*Haud dubiū eſt, licet adgnatorū ſit gradus unus,*
*Quin omnes fuerint defuncti ad jura vocandi.*

§. VI. §. *VI.*

Digitized by Google

§. VI.

Proximus autem, ſi quidem nullo teſtamento facto quisquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cujus de hæreditate quæritur. Quod ſi facto teſtamento quisquàm deceſſerit: per hoc tempus requiritur, quo certum eſſe cæperit, nullum ex teſtamento hæredem extiturum; tùnc enim propriè quisque inteſtatus deceſſiſſe intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo ſpatio temporis ſæpè accidit, ut, proximiore mortuo, proximus eſſe incipiat, qui, moriente teſtatore, non erat proximus.

§. VII.

Placebat autem in eo genere percipiendarum hæreditatum ſucceſſionem non eſſe; ideſt, ut quàmvis proximus, qui ſecundum ea, quæ diximus, vocatur ad hæreditatem, aut ſpreverit hæreditatem, aut antequàm adeat, deceſſerit; nihilo magis legitimo jure ſequentes admittantur. Quod iterùm Prætores imperfecto jure corrigentes, non in totum ſine adminiculo relinquebant: ſed ex cognatorum ordine eos vocabant, utpotè adgnationis, jure eis recluſo. Sed nos nihil perfectiſſimo juri deeſſe cupientes, noſtra conſtitutione, quam de jure patronatus, humanitate ſuggerente, protulimus, (ſancimus) ſucceſſionem in adgnatorum hæreditatibus non eſſe eis denegandam: cum ſatis abſurdum erat, quod cognatis à Prætore apertum eſt, hoc adgnatis eſſe recluſum; maximè cum in onere quidem tutelarum, & primo gradu deficiente ſequens ſuccedit, & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permiſſum.

§. VIII.

Ad legitimam ſucceſſionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contracta fiducia filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, ac deinceps emancipat: quod ex noſtra conſtitutione omnino inducitur, ut emancipationes liberorum ſemper videātur quaſi contracta fiducia fieri: cum apud veteres non aliter hoc obtinebat, niſi ſpecialiter contracta fiducia parens manumiſiſſet.

§. *VI.*

*Si verò quisquàm, nullo teſtamine facto,*
*Liquerit æthereas auras, tunc proximus eſſe*
*Tempore debet eo, ſuperis quo ceſſit ab oris*
*Is, cujus toto quæratur de aſſe. Relinquat*
*Quod ſi confecto quisquàm teſtamine vitam,*
*Quæritur id tempus, certum quo cæperit eſſe,*
*Ex teſtamento, nullum hæredem eſſe futurum;*
*Tùnc etenim propriè inteſtatus obiſſe putatur*
*Quisque. Interdùm id declaratur tempore longo.*
*Temporis hoc autem ſpatio ſæpè accidit, ut cum*
*Proximior moriens vitales liquerit auras, (ipſe*
*Proximus incipiat quisquàm eſſe, & proximus*
*Non fuerat tabulas contendis tempore mortis.*

§. *VII.*

*Aſt in eo genere accipiendi jura placebat,*
*Non aliquem ſuccedere, ideſt ut proximus ille,*
*Qui à nobis juxta præfata vocatur ad aſſem,*
*Spreverit aut quàmvis aſſem; aut deceſſerit ante,*
*Quàm ipſe adeat, non admittātur jure ſequentes*
*Legitimo. Hoc iterùm Prætor correxerat olim*
*Jure imperfecto, non in totum, ipſe relinquens*
*Id ſine ſubſidio; at cognatorum ordine ſolum*
*Admittebat eos, adgnati jure recluſo*
*Utpotè eis, juri perfecto nilque deeſſe*
*Nos cupidi, noſtra ut mandamus lege, benigni,*
*Quam de Jurepatronatus ſancivimus olim,*
*Aſſi adgnatorum ſucceſſio nulla neganda eſt:*
*Cum ſatis abſurdum fuerat, Prætore jubente,*
*Eſt quod apertum cognatis, hoc eſſe recluſum*
*Adgnatis, tutelarum cum in munere, primo*
*Deficiente gradu, ſucceſſio juſſa ſequenti eſt: [illegible]crū*
*Non erat hinc permiſſū, aliquod ſibi quærere lu-*
*Illum, tutelæ tulerat qui fortè gravamen.*

§. *VIII.*

*Legitima eſt etiam ſucceſſio danda parenti,*
*Qui modo contracta ſolvit fiducia ab omni*
*Jure poteſtatis natum, natamve, nepotem,*
*Aut neptē, atq; deinceps (noſtra ut lege ſtatutū eſt)*
*Ut quaſi contracta hi ſemper fiducia ab omni*
*Jure patris ſolvi videantur; habere vigorem*
*Nàmque hoc non alia veteres ratione putarunt,*
*Ni ſpeciatim contracta fiducia ab omni*
*Jure pater natos abſolveret, atque nepotes.*

## *De Senatusconſulto Tertulliano.*

## TITVLVS III.

Ex duodecim tabularum ità ſtricto jure utebatur, & præponebat maſculorum progeniem, & eos, qui per fœminini ſexus neceſſitudinem ſibi junguntur, adeò expellebat, ut ne quidem inter matrem, & filium, filiamve ultro, citroque hæreditatis capiendæ jus daret: niſi quod Prætores ex proximitate cognatorum eas perſonas ad ſucceſſionem, bonorum poſſeſſione, *undè cognati*, adcommodata, vocabant.

*Si ſtricto jure in duodenis ſcripta tabellis*
*Lex utebatur, præponebatque virilis*
*Progeniem ſexus, & eos, quos ſanguine junxit*
*Fœmineus ſexus ſic expellebat, ut inter*
*Matrem, & prognatos ultro, citroque negaret*
*Jus aſſis capiendi, ni quòd juſſa bonorum*
*A Prætore dabatur eis poſſeſſio, quæ* undè
*Eſt* cognati, *& ſuccedebat proximus iſta.*

### §. I.

Sed hæ juris anguſtiæ poſteà emendatæ ſunt. Et primùm quidem divus Claudius matri, ad ſolatium liberorum amiſſorum, legitimam eorum detulit hæreditatem.

*Emendata fuit deindè hæc anguſtia juris,*
*Claudius & primùm Divus mandaverat olim*
*Ad natorum amiſſorum ſolatia mæſtæ*
*Legitima ipſorum jura iſthæc danda parenti.*

### §. II.

Poſteà autem Senatusconſulto Tertulliano, quod divi Hadriani temporibus factum eſt, pleniſſimè de triſti ſucceſſione matri, non etiam aviæ deferenda cautum eſt: ut ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum, filiarumve admittatur inteſtatorũ mortuorum, licet in poteſtate parẽtis ſit: ut ſcilicet cum alieno juri ſubjecta eſt, juſſu ejus adeat (hæreditatem) cujus juri ſubjecta eſt.

*Conſulto atq; deindè Senatus tempore Divi* Tertull.
*Facto Hadriani, non aviæ, ſed firma parenti*
*Hæc planè triſtis fuerat ſucceſſio, terni*
*Liberi ut ingenuæ fuerint ſi fortè, quaterni*
*Et libertinæ, natorum ad jura vocentur,*
*Liquerunt inteſtati qui luminis auras,*
*Quàmvis adſtrictæ teneantur jure parentis,*
*Scilicèt alterius eum adſtrictæ jure tenentur,*
*Aſſem adeant juſſu ejus, cujus jure premuntur.*

### §. III.

Præferuntur autem matri liberi defuncti, qui ſui ſunt, quive ſuorum loco ſunt, ſivè primi gradus, ſivè ulterioris. Sed & filiæ ſuæ mortuæ filius, vel filia præponitur ex conſtitutionibus matri defunctæ, ideſt, aviæ ſuæ. Pater verò utriusque, non etiam avus, & proavus matri anteponitur, ſcilicet cum inter eos ſolos de hæreditate agitur. Frater autem conſanguineus tàm filii, quàm filiæ excludebat matrem: ſoror autem conſanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed ſi fuerant fráter, & ſoror conſanguinei, & mater liberis onerata: frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hæreditas ex æquis partibus fratribus, & ſororibus.

*Nati defuncti anteferendi jure putantur*
*Matri, ſivè ſui fuerint, vice ſivè ſuorum,*
*Sivè gradus primi, ſivè ulterioris habentur.*
*Sed natæ natus defunctæ, aut filia matri*
*Defuncti, nimirùm aviæ præponitur omni*
*Legibus è noſtris; pater aſt utriusque parenti*
*Non avus, aut etiam proavus præponitur, inter*
*Ipſos cum ſolos agitur jàm de aſſe parando.*
*At conſaguineus nati, nata que parentem*
*Excludebat frater. Sed cum matre ſorores*
*Admittebantur conſanguineæ; ſoror autem,*
*Et frater conſanguinei, materque gravata*
*Natis ſi fuerant, frater tantummodò matrem*
*Excludebat, commune aſt ex partibus æquis*
*Jus erat hæredum fratri ſimul, atque ſorori.*

### §. IV.

Sed nos conſtitutione, quam in Codice no-

*Sed nos ſubveniendum matri duximus eſſe*
*Lege,*

noſtro nomine decorato poſuimus, matri ſubveniendum eſſe exiſtimavimus, reſpicientes ad naturam,& puerperium, & periculum, & ſæpè mortem ex hoc caſu matribus illatam. Ideòque impium eſſe credidimus, caſum fortuitum in ejus admitti detrimentum. Si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immeritò defraudebatur ſucceſſione ſuorum liberorum: quid enim peccavit, ſi non plures, ſed paucos peperit? Et dedimus jus legitimum plenum matribus (ſivè ingenuis, ſivè libertinis) & ſi non ter enixæ fuerint, vel quater, ſed eum tantum, vel eam, qui, quæve morte intercepti ſunt, ut ſic vocentur in liberorum ſuorum legitimam ſucceſſionem.

*Lege, in Codice quam decoratam nomine noſtro*
*Scripſimus, aſpicientes naturamque, periclum,*
*Atque puerperium, ex hoc caſu & matribus eſſe*
*Mortem ſæpè illatam; Ideòq; putamus iniquum,*
*Fortuitum caſum hūc admitti in damna parētis.*
*Si ternos etenim ingenua, aut liberta quaternos*
*Non peperit natos, merito non jure ſuorum*
*Natorum hac tollebatur ſucceſſio matri.*
*Quid peccavit enim, ſi haud plures illa creavit,*
*Sed paucos? Dedimus plenum jus matribus omne*
*Legitimum (ingenuæ, aut libertæ) terve, quaterve*
*Etſi non fuerint enixæ, ſed tamen unum*
*Natum, vel natam pepererunt, morte perempti,*
*Qui eſſent, legitima ut ſit eis ſucceſſio danda.*

§. V.

Sed cum antea conſtitutiones jura legitimæ ſucceſſionis perſcrutantes, partim matrem adjuvabant, partìm eam prægravabant, nec inſolidum eam vocabant, ſed in quibusdam caſibus tertiam ei partem abſtrahentes, certis legitimis dabant perſonis, in aliis autem contrarium faciebant. Nobis viſum eſt rectâ, & ſimplici via matrē omnibus perſonis legitimis anteponi, & ſine ulla diminutione filiorum ſuorum ſucceſſionem accipere: excepta fratris, & ſororis perſona, ſivè conſanguinei ſint, ſivè ſola cognationis jura habentes; ut quemadmodum eam toti alii ordini legitimo præpoſuimus, ità omnes fratres, & ſorores, ſivè legitimi ſint, ſivè non, ad capiendas hæreditates ſimul vocemus: ità tamen, ut ſi quidem ſolæ ſorores adgnatæ, vel cognatæ, & mater defuncti, vel defunctæ ſuperſint; dimidiam quidem mater, alteram verò dimidiam partem omnes ſorores habeant. Si verò matre ſuperſtite, & fratre, vel fratribus ſolis, vel etiam cum ſororibus, ſivè legitima, ſivè ſola cognationis jura habentibus, inteſtatus quis, vel inteſtata moriatur; in capita diſtribuatur ejus hæreditas.

§. *V.*

*Ante at cum leges ſcrutantes omnia jura*
*Legitimè ſuccedendi, matremque juvabant*
*Defuncti partim, matrem partimq; gravabant,*
*Ipſam jura nec inſolidum præfata vocabant;*
*Caſibus at certis ternam minuentia partem*
*Legitimis dederant perſonis: caſibus autem*
*Diverſis aliter faciebant. Tramite recto*
*Perſonis, viſum eſt nobis, præponere cunctis*
*Legitimis matrem, ſucceſſio danda ſuorum*
*Eſt cui natorum: Atque haud ulla minutio fiat;*
*Verùm perſona excipitur fratriſque, ſororis,*
*Vel conſanguinei ſint, vel tantummodò jura*
*Cognatorum habeant, ut ſicut diximus, illam*
*Perſonis aliis præferri lege vocatis,*
*Sic vel legitimi, vel non, fratreſque, ſorores*
*Ad capienda omnes defuncti jura vocemus:*
*Sic tamen, ut cum agnatæ, cognatæve ſorores,*
*Et mater defuncti, defunctæve ſuperſint;*
*Dimidiam planè mater, partemque ſorores*
*Dimidiam capiant cunctæ. Atq; ſuperſtite matre,*
*Et fratre, aut tātummodò fratribus abſq; ſorore,*
*Aut etiam cum illa, legis vel ſola tenente*
*Cognati jura, inteſtatus quis moriatur;*
*In capita illius debebunt dividere aſſem.*

§. VI.

Sed quemadmodùm nos matribus proſpeximus, ità eas oportet ſuæ ſoboli conſulere: ſcituris eis, quod ſi tutores liberis non petierint, vel in locum remoti, vel excuſati, intra annum petere neglexerint: ab eorum impuberum morientium ſucceſſione merito repellentur.

§. *VI.*

*Verùm nos ſicut matri proſpeximus omni,*
*Ipſa ſuæ ſoboli debet ſic conſulere; undè*
*Ni gnatis ea tutores quæſiverit, atque*
*Pro tutoribus excuſatis, ſivè remotis*
*Poſcere eos intra annum ſpreverit: indè relinquat*
*Impubes vitam ſoboles, ſucceſſio matri*
*Eſt merito nati morientis quaque neganda.*

§. VII. §. *VII.*

§. VII.

Licet autem vulgò quæſitus ſit filius, filiave; poteſt (tamen) ad bona ejus mater ex Tertulliano Senatusconſulto admitti.

§. *VII.*

*At vulgò quàmvis fuerit quæſita propago,*
*Attamen hoc mater conſulto jure Senatus*
*Admitti poterit nati morientis ad aſſem.*

## *De Senatusconſulto Orphitiano.*

## TITVLVS IV.

PEr contrarium autem liberi ad bona matrum inteſtatarum admittuntur ex Senatusconſulto Orphitiano, quod Orphitio, & Rufo conſulibus effectum eſt, Divi Marci temporibus, & data eſt tàm filio, quàm filiæ legitima hæreditas, etiam ſi alieno juri ſubjecti ſint, & præferuntur conſanguineis, & adgnatis defunctæ matris.

*COntra autem admittũtur ad omnia jura pa-*
*Inteſtatorum nati,nataq;Senatus(rentum*
*Conſulto Orphitiano,quod jàm Conſule Rufo,*
*Orphitioque effectum eſt Divi tempore Marci,*
*Et data tàm nato, quàm natæ jura fuerunt*
*Legitima, hi quàmvis alieno jure tenentur*
*Adſtricti,& conſanguineis,cunctisque parentis*
*Adgnatis præponuntur,quæ ceſſit ad Aſtra.*

§. I.

Sed cum ex hoc Senatusconſulto nepotes,(& neptes)ad aviæ ſucceſſionem legitimo jure non vocarentur, poſteà hoc conſtitutionibus principalibus emendatum eſt, ut ad ſimilitudinem filiorum, filiarumq; & nepotes,& neptes vocentur.

§. *I.*

*Cumque Senatus hoc conſulto haud jure daretur*
*Neptibus, atque nepoti aviæ ſucceſſio, lege*
*Principis hoc emendatum fuit inde,nepotes,*
*Nepteſque ut veluti nati,nataque vocentur.*

§. II.

Sciendum autem eſt hujusmodi ſucceſſiones, quæ ex Tertulliano, & Orphitiano Senatusconſultis deferuntur, capitis diminutione non perimi, propter illam regulam, qua novæ hæreditates legitimæ capitis diminutione non pereunt, ſed illæ ſolæ, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.

§. *II.*

*At ſucceſſio,quam hæc dederant conſulta Senatus*
*Non ceſſat,capitis quæcumque minutio fiat*
*Propter eam normã, nova qua non jura peribũt,*
*Quàmvis ſit capitis quæcumque minutio facta;*
*Aſt ea quæ in duodenis lex deſcripta tabellis*
*Detulerat quondam,pereunt tantummodò jura.*

§. III.

Noviſſimè ſciendum eſt,etiam illos liberos,qui vulgò quæſiti ſunt,ad matris hæreditatem ex hoc Senatusconſulto admitti.

§. *III.*

*Qui fuerant vulgò quæſiti denique nati,*
*Orphitii hoc conſulto ad matris jura vocantur.*

§. IV.

Si ex pluribus legitimis hæredibus quidam omiſerint hæreditatem, vel morte,vel alia cauſa impediti fuerint, quominùs adeant: reliquis, qui adierint, accreſcit illorum portio: & licet ante deceſſerint: ad hæredes tamen eorum pertinet.

§. *IV.*

*Si quis omiſerit è multis hæredibus hæres*
*Aſſem,cum moritur, cauſa ſit ſivè retentus,*
*Ut ne adeat:reliquis,qui adeũt,jàm portio creſcit*
*Illius;ante licet linquant hi luminis auras,*
*Attamen hæredes ipſorum ad jura vocantur.*



Digitized by Google

## *De ſucceſſione cognatorum.*

## TITVLVS V.

POſt ſuos hæredes, eosque, quos inter ſuos hæredes Prætor, & conſtitutiones vocant, & poſt legitimos, (quorũ in numero ſunt adgnati, & hi, quos in locũ adgnatorũ tàm ſupradicta ſenatusconſulta, quàm noſtra erexit conſtitutio) proximos cognatos Prætor vocat.

*POſt hæredes, jure ſuos quos diximus ante,*
*Atque ſuos inter Prætor, legesq; vocarunt,*
*Et poſt legitimos (numero in quo dicitur eſſe*
*Adgnatus, quosque adgnati vice ſanctio noſtra*
*Conſtituit, ſupradicta & conſulta Senatus,)*
*Proximiores cognati à Prætore vocantur.*

§. I.

Qua parte naturalis cognatio ſpectatur, nàm adgnati capite diminuti, quique ex his progeniti ſunt, ex lege duodecim tabularum inter legitimos non habentur, ſed à Prætore tertio ordine vocantur: exceptis ſolis tantummodo fratre, & ſorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anaſtaſiana cum fratribus integri juris cõſtitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hæreditatem, ſivè ſororis: non æquis tamen partibus, ſed cum aliqua diminutione, quam facilè eſt ex ipſius conſtitutionis verbis colligere. Aliis verò adgnatis inferioris gradus, licet capitis diminutionem paſſi non ſunt, tamen anteponit eos, & proculdubio cognatis.

§. *I.*

*Qua aſpicitur naturalis cognatio parte,*
*Nàm capite adgnati fuerant qui forte minuti,*
*Quique ex his ſunt progeniti, non inter habentur*
*Legitimos duodenis ſcripta ex lege tabellis,*
*Ordine ſed terno dicto à Prætore vocantur,*
*Exceptis ſolis tantummodò fratre, ſorore,*
*Ante poteſtatis Patriæ qui ab jure ſoluti,*
*Non gnatis illorum, quos cum fratribus una*
*Effectis integri juris Anaſtaſiana*
*Lex fratrisq; ſororis legitimum advocat aſſem,*
*Non tamen id ſtatuit, diviſio partibus æquis,*
*Sed fieri debet nonnulla minutio, verbis*
*Quam facilè ipſius legis ſpectare poteſtis.*
*Aſt aliis adgnatis, quos adgnatio jungit*
*Inferiore gradu, quamvis non facta ſit ipſis*
*Ulla ſtatus mutatio, præponit tamen illos,*
*Atque proculdubio cognatis ſanctio dicta.*

§. II.

Eos etiam, qui per fœminini ſexus perſonas ex transverſo cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine Prætor ad ſucceſſionem vocat.

§. *II.*

*Prætor eos quoque, quos jungit cognatio ſexus*
*Fœminei per perſonas non tramite recto,*
*Conjunctos gradibus ternis admittit ad aſſem.*

§. III.

Liberi quoque, qui in adoptiva familia ſunt, ad naturalium parentum hæreditatem hoc eodem gràdu vocantur.

§. *III.*

*Mittitur hoc gradu eodem naturalis ad aſſem*
*Patris is, alterius quem fecit adoptio natum.*

§. IV.

Uulgò quæſitos nullos habere adgnatos, manifeſtum eſt: cum adgnatio à patre ſit, cognatio à matre, hi autem nullum patrem habere intelliguntur. Eadem ratione ne inter ſe quidem poſſunt videri conſanguinei eſſe: quia conſanguinitatis jus ſpecies eſt adgnationis. Tantùm ergò cognati ſunt ſibi, ſicut & matri cognati ſunt. Itaque omnibus iſtis (ex) ea parte competit bonorum poſſeſſio, qua proximitatis nomine cognati vocantur.

§. *IV.*

*Non ullos poterit vulgò quæſitus habere*
*Adgnatos; nàm à patre adgnatio ducitur omnis,*
*A matre, & cognatio. Fertur habere parentem*
*Hic nullum certum. Simili ratione videri*
*Nec conſanguineus poterit; nàm adgnatio jure*
*Eſt conſanguinitas. Ergò tantummodò vulgò*
*Quæſiti cognati ſunt ſibi, ut eſſe feruntur*
*Matri cognati. Ergò ex illa parte bonorum*
*Competit his cunctis poſſeſſio, nomine qua ipſi*
*Proximitatis erunt cognati jure vocandi.*

enim Prætor liberos vocat, tàm ſuos hæredes, quàm emancipatos, deindè legitimos hæredes, deindè proximos cognatos.

*Natus & optivus non intervenerit ullus.*
*A Prætore ſuus namque hæres ante vocatur,*
*Filius, atque ſolutus patris jure, deindè*
*Hæres legitimus, cognatus proximus inde.*

§. XIV.

Sed ea omnia antiquitati (quidem) placuerunt: aliquam autem emendationem à noſtra conſtitutione acceperunt, quam ſuper iis perſonis compoſuimus, quæ à patribus ſuis naturalibus in adoptionem aliis dantur. Invenimus etenim nonnullos caſus, in quibus filii, & naturalium parentum ſucceſſionem propter adoptionem amittebant: & adoptione facile per emancipationem ſoluta, ad neutrius patris ſucceſſionem vocabantur. Hoc ſolito more corrigentes, conſtitutionem ſcripſimus, per quam definivimus, quando parens naturalis filium ſuum adoptandum alii dederit, integra omnia jura ità ſervari: atque ſi in patris naturalis poteſtate permanſiſſet, nec penitùs adoptio fuiſſet ſubſequuta: niſi in hoc tantummodo caſu, ut poſſit ab inteſtato ad patris adoptivi venire ſucceſſionem. Teſtamento autem ab eo facto: neque jure civili, neque prætorio, ex hæreditate ejus aliquid perſequi poteſt, neque contra tabulas bonorum poſſeſſione agnita, neque inofficioſi querela inſtituta: cum nec neceſſitas patri adoptivo imponatur, vel hæredem eum inſtituere, vel exhæredatum eum facere, utpotè nullo vinculo naturali copulatum, neque ſi ex Sabiniano Senatusconſulto ex tribus maribus fuerit adoptatus. Nàm & id ejuſmodi caſu, neque quanta ei ſervatur, neque ulla actio ad ejus perſequutionem ei competit. Noſtra autem conſtitutione exceptus eſt is, quem parens naturalis adoptandum ſuſceperit. Utroque enim jure tàm naturali, quàm legitimo in hanc perſonam concurrente priſtina jura tali adoptioni ſervamus, quemadmodum ſi paterfamilias ſeſe dederit arrogandum: quæ ſpecialiter, & ſingulatim ex præfatæ conſtitutionis tenore poſſunt colligi.

§. XIV.

*Aſt hæc ætati placuerunt cuncta vetuſtæ,*
*Lege ſed à noſtra fuit emendatio facta,*
*Quam ſuper his perſonis nos ſancivimus ante,*
*Naturalis adoptandos, quos dat pater ipſe;*
*Nonnullos etenim caſus invenimus, in queis*
*Amittebatur natis ſucceſſio patris*
*Naturalis, adoptio quod confecerat ipſos*
*Alterius natos. Civilis adoptio juris,*
*Cumque ſoluta eſſet, patris illis indè dabatur*
*Neutrius ſucceſſio. Nos correximus iſtud*
*De ſolito more, & legem deſcripſimus illam,*
*Qua eſt ſancitum, naturalis quando voluntas*
*Patris adoptandum dederit natum, integra jura*
*Servari, naturalis ceù jure parentis*
*Manſiſſet, confecta & adoptio nulla fuiſſet*
*Omnino, niſi in hoc caſu tantummodò, ut ipſe*
*Poſſit ab inteſtato ad patris jura venire*
*Optivi. Verùm facto teſtamine ab ipſo,*
*Civili jure, aut Prætoris poſcere quidquàm*
*Non ex aſſe poteſt ejus, teſtamina contra*
*Cum non ulla bonorum ſit poſſeſſio nota,*
*Et ſit inofficioſi haud ulla querela ſtatuta,*
*Namq; hæredem illum deſcribere nullus adoptãs*
*Cogitur, aut exhæredem facere, utpotè nullo*
*Naturæ junctum vinclo, neque ſi ipſe Senatus*
*Conſulto ſit adoptatus tribus ex maribus; nàm*
*Caſu hoc non ſervatur ei quarta, actio nulla*
*Competit, is poſſit ſimilem, qua poſcere partem*
*Eſt autem noſtris exceptus legibus ille,*
*Naturalis adoptandum, quem acceperit ipſe*
*Jàm pater. In perſonam hãc eũ concurrat utrũq;*
*Jus naturæ & legitimum, ſua priſtina jura*
*Huic ſervamus adoptivo, ceù tradidit ipſe*
*Naturalis ſe optandum pater. Iſta tenore,*
*Singula præfatæ legis ſpectare poteſtis.*

§. XV.

Item vetuſtas ex maſculis progenitos plus diligens, ſolos nepotes, vel neptes: qui (quæve) ex virili ſexu deſcendunt: ad ſuorum vocabat ſucceſſionem, & jure adgnatorum eos anteponebat: nepotes autem,

§. XV.

*Inſuper à maribus genitos mage priſca vetuſtas*
*Dilexit, ſolos ex ſexu namque nepotes*
*Maſculeo, neptesque ſuorum ad jura vocabat*
*Adgnatorum, ipſos præponens jure: Nepotes*
*Fæmineo ex ſexu, & pronepotes neptibus ortos*
Con-

tem, qui ex filiabus nati ſunt, & pronepotes ex neptibus cognatorum loco connumerans, poſt adgnatorum lineam eos vocabat, tàm in avi, vel proavi materni, quàm in aviæ, vel proaviæ, ſivè paternæ, ſivè maternæ ſucceſſionem. Divi autem Principes non paſſi ſunt talem contra naturam injuriam ſine competenti emendatione relinquere: ſed cum nepotis, & pronepotis nomen commune ſit utriſque, tàm qui ex maſculis, quàm qui ex fœminis deſcendunt; ideò eundem gradum, & ordinem ſucceſſionis eis donaverunt. Sed ut amplius aliquid ſit eis, qui non ſolùm naturæ, ſed etiam veteris juris ſuffragiis muniuntur: portionem nepotum, vel neptum, vel deinceps, ( de quibus ſupra diximus ) paulò minuendam eſſe exiſtimaverunt: ut minus tertia parte acciperent, quàm mater eorum, vel avia fuerat acceptura, vel pater eorum, vel avus paternus, ſivè maternus, quando fœmina mortua ſit, cujus de hæreditate agitur: iiſque ( licet ſoli ſint ) adeuntibus, adgnatos minimè vocabant. Et quemadmodùm lex duodecim tabularum, filio mortuo, nepotes, vel neptes, pronepotes, vel proneptes in locum patris ſui ad ſucceſſionem avi ſui vocat; ità & principalis diſpoſitio in locum matris ſuæ, vel aviæ, eos cum jam deſignata partis tertiæ diminutione vocat.

*Connumerans cognatorum vice jure vetuſto*
*Lineolam poſt adgnatorum, ad jura vocabat,*
*Et proavi, vel avi materni, aviæque paternæ,*
*Vel maternæ, proque aviæ. At qui legibus æquis,*
*Et juſto imperio populos, Orbemque gubernant,*
*Hoc emendantes rectè haud liquerè gravamen*
*Contra naturam; verùm commune nepotis,*
*Et pronepotis cum ſit nomen utrique tributum*
*Fœmineo ex ſexu venienti, ſivè virili*
*Ordine eos idcircò ad jura, graduque vocarunt*
*Uno, & eodem; ſed quicquàm ſit ut amplius illis,*
*Qui non ſolùm naturæ, at munimine juris*
*Sunt etiam fulti veteris, neptumve, nepotum,*
*Sivè deinceps, quos ipſi numeravimus ante,*
*Diminui partem paulò debere putarunt,*
*Terna, ut parte minus caperēt, quàm mater eorū,*
*Sivè avia acceptura, paterve fuiſſet eorum,*
*Seù maternus avus capturus, ſivè paternus,*
*Fœmina vitales moriens cum liquerit auras,*
*Cujus de aſſe agitur toto. Atque adeuntibus ipſis*
*(Quāvis ſint ſoli,) haud defunctæ ad jura vocabāt*
*Adgnatos. Veluti in duodenis ſcripta tabellis*
*Lex, cum prognatus decedat ad aſtra, nepotes*
*Pro patre, ſeù neptes, pronepotes, ſivè proneptes*
*Ad bona decedentis avi vocat omnia: ſacra*
*Sanctio ſic pro matre ſua, aut avia advocat ipſos,*
*Dummodò ſit ternæ confecta minutio partis.*

## §. XVI.

Sed nos, cum adhùc dubitatio maneret inter adgnatos, & memoratos nepotes, quartam partem ſubſtantiæ defuncti adgnatis ſibi vindicantibus ex cujuſdam conſtitutionis auctoritate: memoratam quidem conſtitutionem à noſtro Codice ſegregavimus, neque inſeri eam ex Theodoſiano Codice in eo conceſſimus. Noſtra autem conſtitutione promulgata, toti juri ejus derogatum eſt: & ſanximus, talibus nepotibus ex filia, vel pronepotibus ex nepte, & deinceps, ſuperſtitibus, adgnatos nullam partem morrui ſucceſſionis ſibi vindicare: ne hi, qui ex transverſa linea veniunt, potiores iis habeantur, qui recto jure deſcendunt. Quam conſtitutionem noſtram obtinere ſecundum ſui vigorem, & tempora, & nunc ſancimus: ità tamen, ut quemadmodùm inter filios, & nepotes ex filio antiquitas

## §. XVI.

*Adgnatos inter memoratos, atque nepotes*
*Cum remaneret adhùc nobis dubitatio quartam*
*Aſſis defuncti partem accipientibus ipſis*
*Adgnatis, cujuſdam antiquæ robore legis*
*Præfatam à noſtro legem ſejunximus ipſi*
*Codice, nec deſcribi in eo conceſſimus illam* Theodoſ.
*Codice ab antiquo. Sed prodita ſanctio noſtra*
*Ejus jus totum delevit: ſanximus indè.*
*Ex muliebri prole nepote ſuperſtite tali,*
*Aut pronepote ex nepte ſuperſtite, ſicque deinceps;*
*Defuncti nullam partem retinere bonorum*
*Adgnatos, veniens transverſo ex tramite forte*
*Ne potior ſit eo, recto eſt qui jure profectus.*
*Hanc adeò legem robur retinere jubemus,*
*Ceù natos inter ſtatuerunt, atque nepotes*
*Ex nato antiqui, in ſtirpes partirier aſſem,*
*Non verò in capita, ut pariter jubeamus & inter*

tas ſtatuit,non in capita,ſed in ſtirpes dividi hæreditatem: ſimiliter nos inter filios, & nepotes ex filia,diſtributionem fieri jubeamus, vel inter omnes nepotes,& neptes,& inrer pronepotes, & proneptes, & alias deinceps perſonas: ut utraque progenies matris, vel patris, aviæ,vel avi,portionẽ ſine ulla diminutione conſequatur: ut ſi fortè unus, vel duo ex una parte, ex altera tres, aut quatuor exrent: uuus aut duo dimidiam, alteri tres, aut quatuor alteram dimidiam hæreditatis habeaut.

*Natos, atque omnes muliebri ex prole nepotes*
*Diſtribui aſſem,inter ſeù neptes,atque nepotes,*
*Sivè omnes inter pronepotes, atque proneptes,*
*Ut matris,patriſque,aviæ,vel avi utraq; proles*
*Accipiat partem, & non ulla minutio fiat.*
*Una ex parte duo,aut unus ſi fortè ſuperſint,*
*Altera & exiſtant ſeù terni, ſivè quaterni,*
*Ut duo dimidiam,aut unus dicatur habere,*
*Dimidiam,& capiant ſeù terni, ſivè quaterni.*

## *De legitima adgnatorum ſucceſſione.*

## TITVLVS II.

SI nemo ſuus hæres, vel eorum, quos inter ſuos hæredes Prætor, vel conſtitutiones vocant, exiſtat, qui ſucceſſionem quoquo modo amplectatur: tùnc ex lege duodecim tabularum ad agnatum proximum pertinet hæreditas.

*FOrte ſuus ſi hæres nemo exiſtat, vel eorum,*
*Quos vocat ipſe ſuos Prætor,vel sãctio noſtra*
*Hæredes inter, cui ſit ſucceſſio danda*
*Ex quocumque modo in duodenis lege tabellis*
*Proximum ad agnatũ jus defuncti attinet omne.*

§. I.

Sunt autem adgnati, ut (primo quoque libro tradidimus) cognati per virilis ſexus perſonas cognatione cõjuncti,quaſi à patre cognati. Itàque (ex) eodem patre nati fratres, adgnati ſibi ſunt, qui & conſanguinei vocantur:nec requiritur,an etiam eandem matrem habuerint. Item patruus fratris filio, & invicem is illi agnatus eſt. Eodem numero ſunr fratres patrueles, ideſt, qui ex duobus fratribus procreati ſunt, qui etiam conſobrini vocantur. Qua ratione etiam ad plures gradus adgnationis pervenire poterimus. Ii etiam,qui poſt mortem patris naſcuntur,jura conſanguinitatis nanciſcuntur. Non tamen omnibus ſimul adgnatis dat lex hæreditatem:ſed iis,qui tunc proximiores gradu ſunt, cum certum eſſe cæperit,aliquem inteſtatum deceſſiſſe.

§. *I.*

*Sunt autem adgnati ſicut quoque diximus ante,*
*Cognati è maribus, conjuncti ſanguine, eodem*
*Et quaſi cognati, atque uno à patre. Ergò creati*
*Si fuerint fratres ab eodem patre, vocantur*
*Adgnati, proprio qui etiam cognomine dicti*
*Sunt conſanguinei haud poſcetur,an una & eadẽ*
*Sint geniti à matre. Et fertur quoq; patruus eſſe*
*Adgnatus fratris nato, illique ipſe viciſſim.*
*Sunt etiam fratres patrueles nomine dicti,*
*Fratribus à binis fuerant qui nempè creati,*
*Atque etiam conſobrini dicuntur. Et iſta*
*Ad plures ratione gradus procedere rectè*
*Quiſq; poteſt. Naſcuntur qui poſt funera patris,*
*Sanguinis hi nanciſcuntur quoque jura; ſed omni*
*Non ſimul adgnato defuncti ſanctio jura*
*Contribuit,ſed ei,qui tunc mage proximus extat,*
*Cum ſine confectis tabulis inceperit eſſe*
*Certum, commutaſſe aliquem cum funere vitam.*

§. II.

Per adoptionem quoque adgnationis jus conſiſtit: veluti inter filios naturales, & eos, quos pater eorum adoptavit. Nec dubium eſt, quin impropriè conſanguinei appellentur. Item ſi quis ex cæteris adgnatis(ruis)veluti frater,aut patruus, aut denique is, qui longiore gradu eſt, adoptaverit ali-

§. *II.*

*Jus adgnatorum ſtatuit quoque adoptio, nempè*
*Inter eos, patris quos fecit adoptio natos,*
*Ipſius & naturales natos. Dubium haud eſt,*
*Quin conſanguinei improprio ſint nomine dicti.*
*Si quis item ex aliis adgnatis, ſcilicet ipſe*
*Frater,ſivè etiam patruus,gradibuſve remotis*
*Qui magis eſt,aliquem natum ſibi deniq; adoptet,*
*Hic*

aliquem: adgnatus inter ſuos hætedes eſſe non dubitatur.

### §. III.

Cætcrùm inter maſculos quidem adgnationis jure hæreditas, etiamſi longiſſimo gradu ſint, ultrò, citroque eapitur. Quod ad fœminas verò attinet: ità placebat, ut ipſæ conſanguinitatis jure tantùm capiant hæreditatem, ſi ſorores ſint: ulterius non eapiāt; maſculi autem ad earū hæreditates (etiam ſi longiſſimo gradu ſint) admittantur. Qua de cauſa fratris tui, aut patrui tui filiæ, vel amitæ tuæ hæreditas ad te pertinebat: tua verò ad illas non pertinebat. Quod ideò ità conſtitutum erat, quia commodius videbatur ità jura conſtitui, ut plerumque hæreditates ad maſculos confluerent. Sed quia ſanè iniquum erat, in univerſum eas quaſi extraneas repelli: Prætor eas ad bonorum poſſeſſionem admittit ea patte, qua proximitatis nomine bonorum poſſeſſionem pollicetur, ex qua parte itâ ſeilicet admittuntur, ſi neque adgnatus ullus, neque ptoximior cognatus interveniat. Et hæc quidem lex duodecim tabularum nullo modo introduxit; ſed ſimplicitatem legibus amicam amplexa, ſimili modo omnes adgnatos ſivè maſculos, ſivè fœminas, cujuſcumque gradus, ad ſimilitudinem ſuorum invicem ad ſucceſſionem vocabat. Media autem juris prudentia, quæ erat quidem lege duodecim tabularum junior, Imperiali autem diſpoſitione anterior: ſubtilitate quadam excogitata, præfatam differentiam inducebat, & penitùs eas à ſucceſſione adgnatorum repellebat: omni alia ſuceeſſione incognita, donee Prætores paulatìm aſperitatem juris civilis corrigentes: ſivè, quod deerat, implentes, humano propoſito, alium ordinem ſuis edictis addiderunt: & eognationis linea proximitatis nomine introducta, per bonorum poſſeſſionem eas adjuvabant, & pollicebantur his bonorum poſſeſſione, quæ *undè cognati* appellatur. Nos verò, legē duodecim tabularum ſequentes, & ejus veſtigia in hac parte conſervantes, laudamus quidem Prætores ſuæ humanitatis, non tamen eos in plenum (huic) cauſæ mederi invenimus. Quare etenim uno, eodemque gradu naturali concurrente, & adgnationis titulis, tàm in maſculis,

*Hic ſuus eſſe adgnatus non dubitabitur hæres.*

### *§. III.*

*De reliquo As ultro capitur, citroque viriles*
*Inter perſonas adgnati jure, remotis*
*Quāvis ſint gradibus. Sexus quod pertinet autē*
*Fœminei ad perſonas, ſic ſtatuiſſe placebat,*
*Sanguinis ut capiant dumtaxat jure ſorores*
*Aſſem, haud ulterius capiant, ſexusque virilis*
*Perſonæ, gradibus quamvis compluribus abſint,*
*Fœminei ſexus meritò admittantur ad aſſem.*
*Jura tuæ hinc amitæ, aut natæ fratris, patruive*
*Ad te ſpectabant, tua verò non ſtatim ad illas.*
*Idcircò hoc veteres quondam ſtatuiſſe videntur,*
*Commodius ſic conſtitui, quia jure putarunt,*
*As ut maſculeum ad ſexum plerumque veniret.*
*Cumque repellere eas in totum, jàm eſſet iniquum*
*Externas veluti, ipſis à Prætore bonorum*
*Parte datur poſſeſſio ea, qua nomine ab ipſo*
*Proximitatis erit meritò promiſſa bonorum*
*Hæc poſſeſſio; & ex hac parte, ità ſcilicèt ipſæ*
*Admittuntur, ſi non intervenerit ullus*
*Adgnatus, nec cognatus mage proximus extet.*
*Ulla haud hæc introduxit ratione tabellis*
*Lex ſcripta in duodenis: verùm legis amicam*
*Simplicitatem amplexa, pari ratione vocabat,*
*Cujuſcumque gradus adgnatos ſivè virilis,*
*Seù ſexus muliebris ad omnia jura viciſſim,*
*Non ſecùs, atque ſuos. Media at prudentia juris,*
*Quæ fuerat planè in duodenis lège tabellis*
*Junior inſcripta, juſſis à Principe verò*
*Legibus anterior, quædam accuratius ipſa*
*Perpendens, dictum diſcrimen duxerat, illas*
*Perſonasque adgnatorum pellebat ab aſſe,*
*Cum quævis alia haud eſſet ſucceſſio nota,*
*Donec paulatìm aſperitatem denique juris*
*Emendans meritò civilis Prætor, adimplens,*
*Seù quod defuerat, diverſum, aliumque tenorem*
*Propoſito humano edictis ſimul addidit, atque*
*Introducta fuit cognati nomine ab ipſo*
*Linea proximitatis, eoque juvante, bonorum*
*His promiſſa fuit poſſeſſio, dicitur* undè,
*Quæ* cognati. *Nos verò deſcripta ſequentes*
*Omnia quæ fuerant duodenis lege tabellis,*
*Illiusque hac ſervantes veſtigia parte,*
*Laudamus planè facilem, nimiumque benignum*
*Prætorem, in plenum tamen haud invenimus ipsū*
*Proſpicere huic cauſæ. Cū etenim cōcurreret unus,*
*Atque idem naturalis gradus, atque virili,*
*Fœmineo & pariter ſexu æqua lance ſtatutis*
*Adgnati titulis, ad jura venire dabatur*

ſculis, quàm in fœminis æqua lance conſtitutis, maſculis quidem dabatur ad ſucceſſionem venire omnium adgnatorum: ex adgnatis autem mulieribus nulli penitùs, niſi ſoli ſorori, ad adgnatorum ſucceſſionem patebat aditus? Ideò (nos) in plenum omnia reducentes, & ad jus duodecim tabularum eandem diſpoſitionem exæquantes, noſtra conſtitutione ſancimus: omnes legitimas perſonas, id eſt, per virilem ſexum deſcendentes, (ſivè maſculini generis, ſivè fœminini ſint) ſimili modo ad jura ſucceſſionis legitimæ ab inteſtato vocari, ſecundum ſui gradus prærogativam: nec ideò excludendas, quia conſanguinitatis jura, ſicut germanæ, non habent.

*Adgnatorum, cur maribus, nullique patebat*
*Fœmineo ex ſexu præfata ad jura, ſorori*
*Sed ſoli hic aditus? Nos omnia duximus iſta*
*Idcircò in plenum, duodenis lege tabellis,*
*Et quod diſpoſitum fuit, exæquavimus omne,*
*Omnem legitimam perſonam hac lege jubemus,*
*(Maſculus hæc fuerit, vel fœmina) nempè virilem*
*Per ſexum deſcendentem, haud teſtamine facto,*
*Legitimè ratione pari ſuccedere ad aſſem,*
*Quæ ſit proximior, neque eam ſancivimus eſſe*
*Excludendam, quod non jura ſororis habebit.*

## §. IV.

Hoc etiam addendum noſtræ conſtitutioni exiſtimavimus, ut transferatur unus tantummodo gradus à jure cognationis in legitimam ſucceſſionem; ut non ſolùm fratris filius, & filia (ſecundùm quod jàm definivimus) ad ſucceſſionem patris ſui vocentur: ſed etiam germanæ conſanguineæ, vel ſororis uterinæ filius, & filia ſoli, & non deinceps perſonæ una cum his ad jura avunculi ſui perveniant: & mortuo eo, qui patruus quidem eſt, ſui fratris filiis, avunculus autem ſororis ſuæ ſoboli, ſimili modo ab utroque latere ſuccedant, tanquàm ſi omnes ex maſculis deſcendentes, legitimo jure veniant, ſcilicet ubi frater, & ſoror ſuperſtites non ſunt. His etenim perſonis præcedentibus, & ſucceſſionem admittentibus, cæteri gradus remanent penitùs ſemoti, videlicet hæreditate non in ſtirpes, ſed in capita dividenda.

## *§. IV.*

*Hoc etiam addendum noſtræ nos duximus eſſe*
*Legi, cognati ut ſolùm ſucceſſio fiat*
*Jure gradus unius, ſicut diximus ante,*
*Filius ut non ſolùm, nec non filia fratris*
*Cuncta ad jura ſui patrui de jure vocentur,*
*Sed conſanguineæ germanæ, ſivè ſororis*
*Prognati, nataque uterinæ, & nulla deinceps*
*Perſona ad fratris genitricis jura venire*
*Poſſit cum his. Vita & patruus cũ liquerit auras,*
*Succedit fratris ſoboles, pariterque propago*
*Defuncti totum ſuccedit avunculi ad aſſem*
*Jàm latere ex utroq; velut ſi hæc cuncta propago*
*Legitimo è maribus deſcendens jure vocetur,*
*Nempè ubi non fuerit frater ve, ſoror ve ſuperſtes.*
*Nàm ſi hæ perſonæ ſuccedent, atque præibunt,*
*Indè gradus remanet penitùs ſemotus, & aſſis*
*In capita, & non in ſtirpes partitio fiat.*

## §. V.

Si plures ſint gradus adgnatorum, apertè lex duodecim tabularum proximum vocat. Itàque ſi (verbi gratia) ſint defuncti frater, & alterius fratris filius, aut patruus, frater potior habetur. Et quàmvis ſingulari numero uſa lex (duodecim tabularum) proximum vocet, tamen dubium non eſt, quin ſi plures ſint ejuſdem gradus, omnes admittantur. Nàm & propriè proximus ex pluribus gradibus intelligitur: & tamen non dubium eſt, quin licet unus ſit gradus adgnatorum, pertineat ad eos hæreditas.

## *§. V.*

*Pluribus at gradibus ſi quas adgnatio jungat,*
*Proximus è ſcripta duodenis lege vocatur*
*In tabulis. Frater defuncti eſt ſi ergò ſuperſtes*
*Fratris & alterius natus, frater ve parentis,*
*Frater habendus erit potior. Licet ipſe vocetur*
*Proximus è ſcripta in duodenis lege tabellis*
*Uno tantùm uſa numero, dubium tamen haud eſt,*
*Quin gradibus plures ſi adgnatio jungat iiſdem,*
*Sint omnes admittendi; nàm proximus eſſe*
*E' multis intelligitur gradibus, tamen ullum*
*Haud dubiũ eſt, licet adgnatorũ ſit gradus unus,*
*Quin omnes fuerint defuncti ad jura vocandi.*



§. VI.

§. VI.

Proximus autem, ſi quidem nullo teſtamento facto quiſquam deceſſerit, per hoc tempus requiritur, quo mortuus eſt is, cujus de hæredirate quæritur. Quod ſi facto teſtamento quiſquàm deceſſerit: per hoc tempus requiritur, quo certum eſſe cæperit, nullum ex teſtamento hæredem extitutum; tùnc enim propriè quiſque inteſtatus deceſſiſſe intelligitur. Quod quidem aliquando longo tempore declaratur. In quo ſpatio temporis ſæpè accidit, ut, proximiore mortuo, proximus eſſe incipiat, qui, moriente teſtatore, non erat proximus.

§. VI.

*Si verò quiſquàm, nullo teſtamine facto,*
*Liquerit æthereas auras, tunc proximus eſſe*
*Tempore debet eo, ſuperis quo ceſſit ab oris*
*Is, cujus toto quæratur de aſſe. Relinquat*
*Quod ſi confecto quiſquàm teſtamine vitam,*
*Quæritur id tempus, certum quo cæperit eſſe,*
*Ex teſtamento, nullum hæredem eſſe futurum;*
*Tùnc etenim propriè inteſtatus obiſſe putatur*
*Quiſque. Interdùm id declaratur tempore longo.*
*Temporis hoc autem ſpatio ſæpè accidit, ut cum*
*Proximior moriens vitales liquerit auras, (ipſe*
*Proximus incipiat quiſquàm eſſe, & proximus*
*Non fuerat tabulas contendis tempore mortis.*

§. VII.

Placebat autem in eo genere percipiendarum hæreditatum ſucceſſionem non eſſe; ideſt, ut quàmvis proximus, qui ſecundum ea, quæ diximus, vocatur ad hæreditatem, aut ſpreverit hæreditatem, aut antequàm adeat, deceſſerit; nihilo magis legitimo jure ſequentes admittantur. Quod iterùm Prætores imperfecto jure corrigentes, non in totum ſine adminiculo relinquebant: ſed ex cognatorum ordine eos vocabant, utpotè adgnationis, jure eis recluſo. Sed nos nihil perfectiſſimo juri deeſſe cupientes, noſtra conſtitutione, quam de jure patronatus, humanitate ſuggerente, protulimus, (ſancimus) ſucceſſionem in adgnatorum hæreditatibus non eſſe eis denegandam: cum ſatis abſurdum erat, quod cognatis à Prætore apertum eſt, hoc adgnatis eſſe recluſum; maximè cum in onere quidem tutelarum, & primo gradu deficiente, ſequens ſuccedit, & quod in onere obtinebat, non erat in lucro permiſſum.

§. VII.

*Aſt in eo genere accipiendi jura placebat,*
*Non aliquem ſuccedere, ideſt ut proximus ille,*
*Qui à nobis juxta præfata vocatur ad aſſem,*
*Spreverit aut quàmvis aſſem; aut deceſſerit ante,*
*Quàm ipſe adeat, non admittãtur jure ſequentes*
*Legitimo. Hoc iterùm Prætor correxerat olim*
*Jure imperfecto, non in totum, ipſe relinquens*
*Id ſine ſubſidio; at cognatorum ordine ſolum*
*Admittebat eos, adgnati jure recluſo*
*Utpotè eis, juri perfecto nilque deeſſe*
*Nos cupidi, noſtra ut mandamus lege, benigni,*
*Quam de Jurepatronatus ſancivimus olim,*
*Aſſi adgnatorum ſucceſſio nulla neganda eſt:*
*Cum ſatis abſurdum fuerat, Prætore jubente,*
*Eſt quod apertum cognatis, hoc eſſe recluſum*
*Adgnatis, tutelarum cum in munere, primo*
*Deficiente gradu, ſucceſſio juſſa ſequenti eſt: ſerũ*
*Non erat hinc permiſſũ, aliquod ſibi quærere lu-*
*Illum, tutelæ tulerat qui fortè gravamen.*

§. VIII.

Ad legitimam ſucceſſionem nihilominus vocatur etiam parens, qui contracta fiducia filium, vel filiam, nepotem, vel neptem, ac deinceps emancipat: quod ex noſtra conſtitutione omnino inducitur, ut emancipationes liberorum ſemper videãtur quaſi contracta fiducia fieri: cum apud veteres non aliter hoc obtinebat, niſi ſpecialiter contracta fiducia parens manumiſiſſet.

§. VIII.

*Legitima eſt etiam ſucceſſio danda parenti,*
*Qui modo contracta ſolvit fiducia ab omni*
*Jure poteſtatis natum, natamve, nepotem,*
*Aut neptẽ, atq; deinceps (noſtra ut lege ſtatutũ eſt)*
*Ut quaſi contracta hi ſemper fiducia ab omni*
*Jure patris ſolvi videantur; habere vigorem*
*Nàmque hoc non alia veteres ratione putarunt,*
*Ni ſpecialim contracta fiducia ab omni*
*Jure pater natos abſolveret, atque nepotes.*

## *De Senatusconſulto Tertulliano.*

## TITVLVS III.

Lex duodecim tabularum ità ſtricto jure utebatur, & præponebat maſculorum progeniem, & eos, qui per fœminini ſexus neceſſitudinem ſibi junguntur, adeò expellebat, ut ne quidem inter matrem, & filium, filiamve ultro, citroque hæreditatis capiendæ jus daret: niſi quod Prætores ex proximitate cognatorum eas perſonas ad ſucceſſionem, bonorum poſſeſſione, *undè cognati*, adcommodata, vocabant.

*Sic ſtricto jure in duodenis ſcripta tabellis*
*Lex utebatur, præponebatque virilis*
*Progeniem ſexus, & eos, quos ſanguine junxit*
*Fœmineus ſexus ſic expellebat, ut inter*
*Matrem, & prognatos ultro, citroque negaret*
*Jus aſſis capiendi, ni quòd juſſa bonorum*
*A Prætore dabatur eis poſſeſſio, quæ* undè
*Eſt* cognati, *& ſuccedebat proximus iſta.*

### §. I.

Sed hæ juris anguſtiæ poſteà emendatæ ſunt. Et primùm quidem divus Claudius matri, ad ſolatium liberorum amiſſorum, legitimam eorum detulit hæreditatem.

*Emendata fuit deindè hæc anguſtia juris,*
*Claudius & primùm Divus mandaverat olim*
*Ad natorum amiſſorum ſolatia mæſtæ*
*Legitima ipſorum jura iſthæc danda parenti.*

### §. II.

Poſteà autem Senatusconſulto Tertulliano, quod divi Hadriani temporibus factum eſt, pleniſſimè de triſti ſucceſſione matri, non etiam aviæ deferenda cautum eſt: ut ingenua trium liberorum jus habens, libertina quatuor, ad bona filiorum, filiarumve admittatur inteſtatorū mortuorum, licet in poteſtate parētis ſit: ut ſcilicet cum alieno juri ſubjecta eſt, juſſu ejus adeat (hæreditatem) cujus juri ſubjecta eſt.

*Conſulto atq; deindè Senatus tempore Divi* Tertull.
*Facto Hadriani, non aviæ, ſed firma parenti*
*Hæc planè triſtis fuerat ſucceſſio, terni*
*Liberi ut ingenuæ fuerint ſi fortè, quaterni*
*Et libertinæ, natorum ad jura vocentur,*
*Liquerunt inteſtati qui luminis auras,*
*Quamvis adſtrictæ teneantur jure parentis,*
*Scilicèt alterius cum adſtrictæ jure tenentur,*
*Aſſem adeant juſſu ejus, cujus jure premuntur.*

### §. III.

Præferuntur autem matri liberi defuncti, qui ſui ſunt, quive ſuorum loco ſunt, ſivè primi gradus, ſivè ulterioris. Sed & filiæ ſuæ mortuæ filius, vel filia præponitur ex conſtitutionibus matri defunctæ, id eſt, aviæ ſuæ. Pater verò utriusque, non etiam avus, & proavus matri anteponitur, ſcilicet cum inter eos ſolos de hæreditate agitur. Frater autem conſanguineus tàm filii, quàm filiæ excludebat matrem: ſoror autem conſanguinea pariter cum matre admittebatur. Sed ſi fuerant frater, & ſoror conſanguinei, & mater liberis onerata: frater quidem matrem excludebat, communis autem erat hæreditas ex æquis partibus fratribus, & ſororibus.

*Nati defuncti anteferendi jure putantur*
*Matri, ſivè ſui fuerint, vice ſivè ſuorum,*
*Sivè gradus primi, ſivè ulterioris habentur.*
*Sed natæ natus defunctæ, aut filia matri*
*Defuncti, nimirùm aviæ præponitur omni*
*Legibus è noſtris; pater aſt utriusque parenti*
*Non avus, aut etiam proavus præponitur, inter*
*Ipſos cum ſolos agitur jàm de aſſe parando.*
*At conſanguineus nati, nataque parentem*
*Excludebat frater. Sed cum matre ſorores*
*Admittebantur conſanguineæ; ſoror autem,*
*Et frater conſanguinei, materque gravata*
*Natis ſi fuerant, frater tantummodò matrem*
*Excludebat, commune aſt ex partibus æquis*
*Jus erat hæredum fratri ſimul, atque ſorori.*

### §. IV.

Sed nos conſtitutione, quam in Codice no-

*Sed nos ſubveniendum matri duximus eſſe*
*Lege,*

noſtro nomine decorato poſuimus, matri ſubveniendum eſſe exiſtimavimus, reſpicientes ad naturam,& puerperium, & periculum, & ſæpè mortem ex hoc caſu matribus illatam. Ideòque impium eſſe credidimus, caſum fortuitum in ejus admitti detrimentum. Si enim ingenua ter, vel libertina quater non peperit, immeritò defraudebatur ſucceſſione ſuorum liberorum: quid enim peccavit, ſi non plures, ſed paucos peperit?Et dedimus jus legitimum plenum matribus (ſivè ingenuis, ſivè libertinis) & ſi non ter enixæ fuerint, vel quater, ſed eum tantum, vel eam, qui, quæve morte intercepti ſunt, ut ſic vocentur in liberorum ſuorum legitimam ſucceſſionem.

*Lege, in Codice quam decoratam nomine noſtro*
*Scripſimus, aſpicientes naturamque, periclum,*
*Atque puerperium,ex hoc caſu & matribus eſſe*
*Mortem ſæpè illatam; Ideòq; putamus iniquum,*
*Fortuitum caſum hüc admitti in damna parẽtis.*
*Si ternos etenim ingenua,aut liberta quaternos*
*Non peperit natos, merito non jure ſuorum*
*Natorum hæc tollebatur ſucceſſio matri.*
*Quid peccavit enim, ſi haud plures illa creavit,*
*Sed paucos? Dedimus plenum jus matribus omne*
*Legitimum(ingenuæ,aut libertæ)terve,quaterve*
*Etſi non fuerint enixæ,ſed tamen unum*
*Natum,vel natam pepererunt,morte perempti,*
*Qui eſſent,legitima ut ſit eis ſucceſſio danda.*

§. V.

Sed cum antea conſtitutiones jura legitimæ ſucceſſionis perſcrutantes, partim matrem adjuvabant, partim eam prægravabant, nec inſolidum eam vocabant, ſed in quibusdam caſibus tertiam ei partem abſtrahentes, certis legitimis dabant perſonis, in aliis autem contrarium faciebant. Nobis viſum eſt recta, & ſimplici via matrẽ omnibus perſonis legitimis anteponi, & ſine ulla diminutione filiorum ſuorum ſucceſſionem accipere: excepta fratris,& ſororis perſona, ſivè conſanguinei ſint, ſivè ſola cognationis jura habentes; ut quemadmodum eam toti alii ordini legitimo præpoſuimus, ità omnes fratres, & ſorores, ſivè legitimi ſint, ſivè non, ad capiendas hæreditates ſimul vocemus: ità tamen, ut ſi quidem ſolæ ſorores adgnatæ, vel cognatæ, & mater defuncti, vel defunctæ ſuperſint; dimidiam quidem mater, alteram verò dimidiam partem omnes ſorores habeant. Si verò matre ſuperſtite, & fratre, vel fratribus ſolis,vel etiam cum ſororibus,ſivè legitima, ſivè ſola cognationis jura habentibus,inteſtatus quis, vel inteſtata moriatur; in capita diſtribuatur ejus hæreditas.

§. *V.*

*Ante at cum leges ſcrutantes omnia jura*
*Legitimè ſuccedendi, matremque juvabant*
*Defuncti partim,matrem partimq;gravabant,*
*Ipſam jura nec inſolidum præfata vocabant;*
*Caſibus at certis ternam minuentia partem*
*Legitimis dederant perſonis: caſibus autem*
*Diverſis aliter faciebant. Tramite recta*
*Perſonis, viſum eſt nobis,præponere cunctis*
*Legitimis matrem,ſucceſſio danda ſuorum*
*Eſt cui natorum: Atque haud ulla minutio fiat;*
*Verùm perſona excipitur fratrisque, ſororis,*
*Vel conſanguinei ſint, vel tantummodò jura*
*Cognatorum habeant, ut ſicut diximus,illam*
*Perſonis aliis præferri lege vocatis,*
*Sic vel legitimi, vel non,fratresque,ſorores*
*Ad capienda omnes defuncti jura vocemus:*
*Sic tamen,ut cum agnatæ,cognatæve ſorores,*
*Et mater defuncti, defunctæve ſuperſint;*
*Dimidiam planè mater, partemque ſorores*
*Dimidiam capiant cunctæ. Atq;ſuperſtite matre,*
*Et fratre,aut tãtummodò fratribus abſq; ſorore,*
*Aut etiam cum illa, legis vel ſola tenente*
*Cognati jura, inteſtatus quis moriatur;*
*In capita illius debebunt dividere aſſem.*

§. VI.

Sed quemadmodùm nos matribus proſpeximus,ità eas oportet ſuæ ſoboli conſulere:ſcituris eis,quod ſi tutores liberis non petierint, vel in locum remoti, vel excuſati, intra annum petere neglexerint: ab eorum impuberum morientium ſucceſſione merito repellentur.

§. *VI.*

*Verùm nos ſicut matri proſpeximus omni,*
*Ipſa ſuæ ſoboli debet ſic conſulere;undè*
*Ni gnatis ea tutores quæſiverit,atque*
*Pro tutoribus excuſatis, ſivè remotis*
*Poſcere eos intra annum ſpreverit:indè relinquat*
*Impubes vitam ſoboles ſucceſſio matri*
*Eſt meritò nati morientis quaque neganda.*

§. VII.

Licet autem vulgò quæſitus ſit filius, filiave; poteſt (tamen) ad bona ejus mater ex Tertulliano Senatuſconſulto admitti.

§. *VII.*

*At vulgò quàmvis fuerit quæſita propago,*
*Attamen hoc mater conſulto jure Senatus*
*Admitti poterit nati morientis ad aſſem.*

## *De Senatuſconſulto Orphitiano.*

## TITVLVS IV.

PEr contrarium autem liberi ad bona matrum inteſtatarum admittuntur ex Senatuſconſulto Orphitiano, quod Orphitio, & Rufo conſulibus effectum eſt, Divi Marci temporibus, & data eſt tàm filio, quàm filiæ legitima hæreditas, etiam ſi alieno juri ſubjecti ſint,& præferuntur conſanguineis,& adgnatis defunctæ matris.

*COntra autem admittũtur ad omnia jura patris*
*Inteſtatorum nati,nataq;Senatus(rentum*
*Conſulto Orphitiano,quod jàm Conſule Rufo,*
*Orphitioque effectum eſt Divi tempore Marci,*
*Et data tàm nato, quàm natæ jura fuerunt*
*Legitima, hi quàmvis alieno jure tenentur*
*Adſtricti,& conſanguineis,cunctiſque parentis*
*Adgnatis præponuntur, quæ ceſſit ad Aſtra.*

§. I.

Sed cum ex hoc Senatuſconſulto nepotes,(& neptes)ad aviæ ſucceſſionem legitimo jure non vocarentur, poſteà hoc conſtitutionibus principalibus emendatum eſt, ut ad ſimilitudinem filiorum, filiarumq; & nepotes,& neptes vocentur.

§. *I.*

*Cumque Senatus hoc conſulto haud jure daretur*
*Neptibus, atque nepoti aviæ ſucceſſio, lege*
*Principis hoc emendatum fuit inde,nepotes,*
*Neptesque ut veluti nati,nataque vocentur.*

§. II.

Sciendum autem eſt hujuſmodi ſucceſſiones, quæ ex Tertulliano, & Orphitiano Senatuſconſultis deferuntur, capitis diminutione non perimi, propter illam regulam, qua novæ hæreditates legitimæ capitis diminutione non pereunt, ſed illæ ſolæ, quæ ex lege duodecim tabularum deferuntur.

§. *II.*

*At ſucceſſio,quam hæc dederant conſulta Senatus*
*Non ceſſat,capitis quæcumque minutio fiat*
*Propter eam normã, nova qua non jura peribũt,*
*Quàmvis ſit capitis quæcumque minutio facta;*
*Aſt ea quæ in duodenis lex deſcripta tabellis*
*Detulerat quondam,pereunt tantummodò jura.*

§. III.

Noviſſimè ſciendum eſt,etiam illos liberos,qui vulgò quæſiti ſunt,ad matris hæreditatem ex hoc Senatuſconſulto admitti.

§. *III.*

*Qui fuerant vulgò quæſiti denique nati,*
*Orphitii hoc conſulto ad matris jura vocantur.*

§. IV.

Si ex pluribus legitimis hæredibus quidam omiſerint hæreditatem, vel morte,vel alia cauſa impediti fuerint, quominùs adeant: reliquis, qui adierint, adcreſcit illorum portio: & licet ante deceſſerint: ad hæredes tamen eorum pertinet.

§. *IV.*

*Si quis omiſerit è multis hæredibus hæres*
*Aſſem,cum moritur, cauſa ſit ſivè retentus,*
*Ut ne adeat:reliquis,qui adeũt,jàm portio creſcit*
*Illius;ante licet linquant hi luminis auras,*
*Attamen hæredes ipſorum ad jura vocantur.*

De

## *De ſucceſſione cognatorum.*

## TITVLVS V.

POſt ſuos hæredes, eosque, quos inter ſuos hæredes Prætor,& conſtitutiones vocant,& poſt legitimos, (quorū innumero ſunt adgnati, & hi, quos in locū adgnatorū tàm ſupradicta ſenatusconſulta, quàm noſtra erexit conſtitutio) proximos cognatos Prætor vocat.

*POſt hæredes, jure ſuos quos diximus ante,*
*Atque ſuos inter Prætor,legesq;vocarunt,*
*Et poſt legitimos(numero in quo dicitur eſſe*
*Adgnatus, quosque adgnati vice ſanctio noſtra*
*Conſtituit,ſupradicta & conſulta Senatus,)*
*Proximiores cognati à Prætore vocantur.*

### §. I.

Qua parte naturalis cognatio ſpectatur, nàm adgnati capite diminuti, quique ex his progeniti ſunt,ex lege duodecim tabularum inter legitimos non habentur, ſed à Prætore tertio ordine vocantur: exceptis ſolis tantummodo fratre,& ſorore emancipatis, non etiam liberis eorum, quos lex Anaſtaſiana cum fratribus integri juris cōſtitutis, vocat quidem ad legitimam fratris hæreditatem, ſivè ſororis:non æquis tamen partibus, ſed cum aliqua diminutione, quam facilè eſt ex ipſius conſtitutionis verbis colligere. Aliis verò adgnatis inferioris gradus, licet capitis diminutionem paſſi non ſunt, tamen anteponit eos, & proculdubio cognatis.

*Qua aſpicitur naturalis cognatio parte,*
*Nàm capite adgnati fuerant qui forte minuti,*
*Quique ex his ſunt progeniti,non inter habentur*
*Legitimos duodenis ſcripta ex lege tabellis,*
*Ordine ſed terno dicto à Prætore vocantur,*
*Exceptis ſolis tantummodò fratre, ſorore,*
*Ante poteſtatis Patriæ qui ab jure ſoluti,*
*Non gnatis illorum,quos cum fratribus una*
*Effectis integri juris Anaſtaſiana*
*Lex fratrisq;ſororis legitimum advocat aſſem,*
*Non tamen id ſtatuit, diviſo partibus æquis,*
*Sed fieri debet nonnulla minutio, verbis*
*Quam facilè ipſius legis ſpectare poteſtis.*
*Aſt aliis adgnatis, quos adgnatio jungit*
*Inferiore gradu, quamvis non facta ſit ipſis*
*Ulla ſtatus mutatio,præponit tamen illos,*
*Atque proculdubio cognatis ſanctio dicta.*

### §. II.

Eos etiam, qui per fœminini ſexus perſonas ex transverſo cognatione junguntur, tertio gradu proximitatis nomine Prætor ad ſucceſſionem vocat.

*Prætor eos quoque, quos jungit cognatio ſexus*
*Fœminei per perſonas non tramite recto,*
*Conjunctos gradibus ternis admittit ad aſſem.*

### §. III.

Liberi quoque, qui in adoptiva familia ſunt,ad naturalium parentum hæreditatem hoc eodem grádu vocantur.

*Mittitur hoc gradu eodem naturalis ad aſſem*
*Patris is, alterius quem fecit adoptio natum.*

### §. IV.

Uulgò quæſitos nullos habere adgnatos, manifeſtum eſt: cum adgnatio à patre ſit, cognatio à matre, hi autem nullum patrem habere intelliguntur.Eadem ratione ne inter ſe quidem poſſunt videri conſanguinei eſſe: quia conſanguinitatis jus ſpecies eſt adgnationis. Tantùm ergò cognati ſunt ſibi, ſicut & matri cognati ſunt. Itaque omnibus iſtis (ex) ea parte competit bonorum poſſeſſio,qua proximitatis nomine cognati vocantur.

*Non ullos poterit vulgò quæſitus habere*
*Adgnatos; nàm à patre adgnatio ducitur omnis,*
*A matre,& cognatio.Fertur habere parentem*
*Hic nullum certum. Simili ratione videri*
*Nec conſanguineus poterit;nàm adgnatio jure*
*Eſt conſanguinitas.Ergò tantummodò vulgò*
*Quæſiti cognati ſunt ſibi,ut eſſe feruntur*
*Matri cognati.Ergò ex illa parte bonorum*
*Competit his cunctis poſſeſſio,nomine qua ipſi*
*Proximitatis erunt cognati jure vocandi.*

§. V.

Hoc loco & illud neceſſariò admonendi ſumus, adgnationis quidem jure admitti aliquem ab hæreditatem, & ſi decimo gradu ſit: ſivè de lege duodecim tabularum quæramus, ſivè de edicto, quo Prætor legitimis hæredibus daturum ſe bonorum poſſeſſionem pollicetur. Proximitatis verò nomine iis ſolis Prætor promittit bonorum poſſeſſionem, qui uſque ad ſextum gradum cognationis ſunt, & ex ſeptimo ſobrino, ſobrinaque nato, natæve.

*§. V.*

*Quisquã animo hic debet, firmàq; advertere mẽ- (te,*
*Jure adgnati aliquem defuncti ad jura venire,*
*Et ſi bis quinis gradibus ſit, ſivè loquamur*
*De ſcripta quondam in duodenis lege tabellis,*
*Seù de edicto; legitimis quo hæredibus olim*
*Jure eſt promiſſa omnibus à Prætore bonorum*
*Jàm poſſeſſio. Sed ſolis poſſeſſio talis*
*Nomine proximitatis eis promiſſa videtur*
*A Prætore, gradum quos jàm cognatio jungit*
*Uſque ad ſextum; promiſſa & poſſeſſio nato,*
*Aut natæ ex ſepteno ſobrino, atque ſobrina.*

## *De gradibus cognationum.*

## TITVLVS VI.

HOc loco neceſſarium eſt exponere, quemadmodum gradus cognationis numerentur. Quare in primis admonendi ſumus, cognationem aliam ſupra numerari, aliam infra, aliam ex transverſo, quæ etiam à latere dicitur. Superior cognatio eſt parentum, inferior liberorum, ex transverſo fratrum, ſororumve, & eorum qui, quæve ex his generantur: & convenienter patrui, amitæ, avunculi, materteræ. Et ſuperior quidem, & inferior cognatio à primo gradu incipit: at ea, quæ ex transverſo numeratur, à ſecundo.

*JAm verò hìc exponere duximus eſſe neceſſe,*
*Qua ratione gradus cognatorum numerentur.*
*Inprimis igitur quisquàm hæc advertere debet:*
*Infra connumeranda alia eſt cognatio, ſupra*
*Eſt alia, ex transverſo alia, à latere iſta vocatur.*
*Quæ ſupra eſt cognatio, dicimus eſſe parentum:*
*Inferior natorum eſt; & fratrum, atque ſororum*
*Ex transverſo, & eorum, qui generantur ab iſtis,*
*Atq; amitæ, & patrui, matertera; avunculi, & o-*
*Incipit atq; gradu primo cognatio ſupra, (mnis*
*Atq; infra: Quæ ex trãsverſo, incipit illa ſecũdo.*

§. I.

Primo gradu eſt ſupra pater, mater: infra filius, filia.

*§. I.*

*Eſtque gradu primo ſupra materq;, parensque:*
*Natus, nata gradu eſſe infrà dicuntur eodem.*

§. II.

Secundo (gradu) ſupra avus, avia: infra nepos, neptis: ex transverſo frater, ſoror.

*§. II.*

*Supra avus, atq; avia eſt, infra neptisq; nepoſque,*
*Atque gradu è latere eſt fraterq; ſororq; ſecundo.*

§. III.

Tertio (gradu) ſupra proavus, proavia: infra pronepos, proneptis: ex transverſo fratris, ſororisque filius, filia: & convenienter patruus, amita, avunculus, matertera. Patruus eſt frater patris, qui Græcè πατράδελφος appellatur. Avunculus eſt frater matris qui Græcè μητράδελφος dicitur, & uterque promiſcuè θεῖος appellatur. Amita eſt patris ſoror, (quæ Græcè πατράδελφη appellatur.) Matertera verò matris ſoror, quæ (Græcè πατρ-άδελφη dicitur,) & utraque promiſcuè θεία appellatur.

*§. III.*

*In gradibus verò ternis ſupra eſt proavusque,*
*Proq; avia. Eſt gradibus proneposq; proneptis iis-*
*Infra. Ex trãsverſo prognatus, nata ſororis, (dem*
*Et fratris. Gradibus ternis ſic eſſe ferũtur (mnis.*
*Patruus, atq; amita, & matertera, avunculus o-*
*Patruus eſt frater patris, fraterque parentis*
*Noſtræ dictus avunculus eſt, amitamq; vocamus*
*Germanam patris, ſoror eſt matertera matris.*
*Hos autem vario dixerunt nomine Græci.*

§. IV.

Quarto gradu ſupra abavus, abavia: in-

tra

*§. IV. (ternis*

*Supra abavus tuus, abq; avia eſt tibi juncta qua-*

*In*

tra abnepos, abneptis: ex transverſo fratris, ſororisque nepos, neptisve: & convenienter patruus magnus, amita magna, id eſt, avi frater, & ſoror; item avunculus magnus, & matertera magna, id eſt, aviæ frater, & ſoror: conſobrinus, conſobrina, id eſt, qui, quæve ex ſororibus, aut fratribus procreantur. Sed quidam rectè conſobrinos eos propriæ dici putant; qui ex duabus ſororibus progenerantur, quaſi conſororinos: eos verò, qui ex duobus fratribus progenerantur, propriè fratres patrueles vocari. Si autem ex duobus fratribus filiæ naſcuntur, ſorores patrueles appellari. At eos, qui ex fratre, & ſorore progenerantur, amitinos propriè dici (putant.) Amitæ tuæ filii conſobrinum te appellant, tu illos amitinos.

*In gradibus: jungũtur & infrà abneptis iisdem,*
*Abque nepos, neptisve, nepos fratrisque, ſororis*
*Ex trãsverſo, amita & magna, & patruus quoq; magnus,*
*Nempè ſororq; & frater avi, qui, quæve creantur*
*A fratre, aut germana. At quidam nomine dici*
*Conſobrinos, quos binæ genuere ſorores*
*Cenſent, ſed binis fuerant qui ex fratribus orti,*
*Dixerunt fratres patrueles eſſe vocandos.*
*Fratribus at binis natæ ſi fortè creentur,*
*Has patrueles dicendas retulere ſorores:*
*Verùm dici amitinos, quos fraterque, ſororque*
*Progenuit. Conſobrinum te nomine dicunt*
*Nati amitæ, aſt illos amitinos ipſe vocabis.*

§. V.

Quinto (gradu) ſupra atavus, atavia: infra adnepos, adneptis: ex transverſo fratris, ſororisque pronepos, proneptis: & convenienter pro patruus proamita, id eſt, proavi frater, & ſoror: (&) proavunculus, & promatertera, id eſt, proaviæ frater, & ſoror. Item fratris patruelis, vel ſororis patruelis, conſobrini, & conſobrinæ, amitini, & amitinæ filius, filia: propius ſobrino, propius ſobrina, hi ſunt patrui magni, amitæ magnæ, avunculi magni, materteræ magnæ, filius filia.

§. *V.*

*Supra adavus tuus, adq; avia eſt quinis tibi jũcta*
*In gradibus, jungũtur & infrà adneptis iisdem,*
*Adque nepos: ex transverſo proneposq; proneptis*
*Germanæ, & fratris. Propatruus omnis habetur*
*Sic quoque, proq; amita, ut proavi fraterq; ſororq;*
*Proque aviæ ſoror, & frater proavunculus, atq;*
*Promatertera. Item patruelis ſivè ſororis,*
*Seù fratris, ſobrini amitini filia, natus*
*Et ſobrinæ. Magna amita hos genuit, patruusque*
*Magnus, magnus avunculus, & matertera magna.*

§. VI.

Sexto gradu ſupra tritavus, tritavia: infra trinepos, trineptis: ex transverſo fratris, ſororisq; abnepos, abneptis: & convenienter abpatruus, abamita, id eſt, abavi frater, & ſoror: abavunculus, abmatertera, ideſt, frater abaviȩ, & ſoror. Item propatrui, proamitæ, proavunculi, promateteræ filius, filia: item propius ſobrino, ſobrinȩve filius, filia: Item ſobrini, ſobrinæ, id eſt, qui, quæve ex fratribus, vel ſororibus patruelibus, vel conſobrinis, vel amitinis progenerantur.

§. *VI.*

*Triq; avia eſt ſenis gradibus, triavusq; ſupernè,*
*Eſt trinepos infrà, gradibusque trineptis iisdem,*
*Abque nepos ex transverſo, abneptisque ſororis,*
*Fratrisq; abq; amita, abpatruus, fraterq; ſororq;*
*Nẽpè abavi, atq; abavunculus, abmatertera, nẽpè*
*Abque aviæ ſoror, & frater: quoque filia, natus,*
*Propatruus quos progenuit, proavunculus, atque*
*Promatertera, proque amita. Inſuper ipſe ſobrino,*
*Sobrinæ propius prognatus, nata: ſobrini,*
*Sobrinæ, qui aut quæ ex patrueli fratre, ſorore,*
*Aut amitinis, ex conſobrinisve creantur.*

§. VII.

Hactenùs oſtendiſſe ſufficiat, quemadmodùm gradus cognationis numerentur. Nàmque ex his palàm eſt intelligere, quẽadmodùm ulteriores quoque gradus numerare debeamus: quippè ſemper generata perſona gradum adiicit, ut longè facilius

§. *VII.*

*Hactenùs oſtendiſſe ſatis ſit, quomodò rectè*
*Quosque gradus cognatorum numerare poteſtis;*
*Namq; palàm ex iſtis poterit cognoſcere quisquã,*
*Ulteriores qua ratione gradus numerare*
*Debeat. Addit quippè gradum perſona creata,*
*Ut facilè eſſe magis ſit reſpondere putandum*

lius ſit reſpondere; quoto quisque gradu ſit, quàm propria cognationis appellatione quenquam denotare.

*Quali quisq; gradu ſit, quàm quemcumq; notare.*

§. VIII.

Adgnationis quoque gradus eodem modo numerantur.

§. *VIII.*

*Adgnati ratione gradus numerantur eadem.*

§. IX.

Sed cum magis veritas oculata fide, quàm per aures animis hominum infigatur: ideò neceſſarium duximus poſt narrationem graduum, eos etiam præſenti libro inſcribi, quatenus poſſint & auribus, & oculorum inſpectione adoleſcentes perfectiſſimam graduum doctrinam adipiſci.

§. *IX.*

*Sed cũ animis hominũ magis hæc infixa manerẽt*
*Vera, fide jàm oculata, quàm cõmiſſa per aures,*
*Poſt graduum tractatum duximus eſſe neceſſe,*
*Præſenti accuratè libro inſcribier illos,*
*Auribus, atque oculis ſubito ut ſtudioſa juventus*
*Perfectam graduum doctrinam acquirere poſſit.*

## *De ſervili cognatione.*

## TITVLVS VII.

ILlud certum eſt, ad ſerviles cognationes illam partem edicti, qua proximitatis nomine bonorum poſſeſſio promittitur, non pertinere: nàm nec ulla antiqua lege talis cognatio computabatur. Sed noſtra conſtitutione, quam pro jure patronatus fecimus (quod jus uſque ad noſtra tempora ſatis obſcurum, atque nube plenum, & undique confuſum fuerat,) & hoc humanitate ſuggerente conceſſimus, ut ſi quis in ſervili conſtitutus conſortio, liberum, vel liberos habuerit, ſivè ex libera, ſivè ex ſervilis conditionis muliere, vel contra ſerva mulier ex libero, vel ſervo habuerit liberos cujuscũque ſexus: & ad libertatem his pervenientibus, ii, qui ex ſervili ventre nati ſunt, libertatem meruerint, vel dùm mulieres liberæ erant, ipſi in ſervitute eos habuerint, & poſteà ad libertatem pervenerint: ut hi omnes ad ſucceſſionem patris, vel matris veniant, patronatus jure in hac parte ſopito. Hos enim liberos non ſolùm in ſuorum parentum ſucceſſionem, ſed etiam alterum in alterius ſucceſſionem mutuam vocavimus, ex illa lege ſpecialiter eos vocantes: ſivè ſoli inveniantur, qui in ſervitute nati, & poſteà manumiſſi ſunt: ſivè unà cum aliis, qui poſt libertatem parentum cõcepti ſunt: ſivè ex eodem patre, ſivè ex eadem matre, ſivè ex aliis nuptiis ad ſimilitudinem eorum, qui ex juſtis nuptiis procreati ſunt.

§. I.

*SErvilis cognatio non cenſetur in illa*
*Parte expreſſa edicti, qua promiſſa bonorum*
*Nomine proximitatis adeſt poſſeſſio; nàmque*
*Adnumerabatur talis cognatio lege*
*Nulla antiqua: conceſſit ſed ſanctio noſtra,*
*Quam pro jure patronatus nos fecimus ante:*
*(Quod ſatis obſcurum, confuſum, atq; undiq; plenũ*
*Nube fuit) ſervili ut ſi quis pondere preſſus*
*Sivè ex ingenua natum, natosq; crearit,*
*Sivè ex ancilla, vel contra fœmina ſerva*
*Natos ſivè ex ingenuo, ſervove crearit,*
*Atque ad libertatem pervenientibus iſtis,*
*Illi, qui fuerant ſervili ex ventre creati,*
*Sint meriti libertatem: aut dùm fœminæ habebãt*
*Libertatem, illos ſervili pondere preſſi*
*Ipſi habeant, ad libertatem poſteà gratam*
*Perveniant, ut cunctis ſit ſucceſſio patris*
*Et matris danda, hoc ſopito jure patroni*
*Hac parte; his etenim ſucceſſio danda parentum*
*Eſt, atque alter in alterius ſuccedere jura*
*Mutuò debebit ſpeciali ex lege ſtatuta:*
*Aut hi ſint ſoli Domini, qui in jure creati,*
*Atque deindè manumiſſi ſunt, hi cum aliis aut*
*Poſt libertatem, quos concepere parentes,*
*Aut ſint à patre eodem, ab eadẽ aut matre creati,*
*Connubio aut alio, juſto ut qui fœdere nati.*

§. *I.*

§. I.

Repetitis itaque omnibus, quæ jàm tradidimus, apparet non ſemper eos, qui parem gradum cognationis obtinent, pariter vocari, eoque amplius ne eum quidem, qui proximior ſit cognatus, ſemper potiorem eſſe. Cum enim prima cauſa ſit ſuorum hæredum, & eorum, quos inter ſuos hæredes enumeravimus: apparet, pronepotem, vel abnepotem defuncti potiorem eſſe, quàm fratrem, aut patrem, matremque defuncti, cum alioquin pater quidem, & mater (ut ſupra quoque tradidimus) primum gradum cognationis obtineant, frater verò ſecundum, pronepos autem tertio gradu ſit cognationis, & abnepos quarto. Nec intereſt, in poteſtate morientis fuerit, an non, quòd vel emancipatus, vel ex emancipato, aut ex fœmineo ſexu propagatus eſt. Amotis quoque ſuis hæredibus, & quos inter ſuos hæredes vocati diximus, adgnatus, qui integrum jus habet adgnationis, etiam ſi longiſſimo gradu ſit, plerumque potior habetur, quàm proximior cognatus. Nàm patrui nepos, vel pronepos avunculo, vel materteræ præfertur. Toties igitur dicimus, aut potiorem haberi eum, qui proximiorem gradum cognationis obtinet, aut pariter vocari eos, qui cognati ſunt: quoties neque ſuorum hæredum, quique inter ſuos hæredes ſunt, neque adgnationis (jure) aliquis præferri debeat, ſecundum ea, quæ tradidimus: exceptis fratre, & ſorore emancipatis, qui ad ſucceſſionem fratrum, vel ſororum, vocantur, qui & ſi capite diminuti ſunt, tamen præferuntur cæteris ulterioris gradus adgnatis.

§. I.

*His ergò repetitis, quæ jàm diximus ante,*
*Apparet clarè, pariter non eſſe vocandos*
*Semper eos, nec eum potiorem ſemper habendum,*
*Qui ſit proximior cognatus: nàmque ſuorum*
*Cum prior hæredum ſit cauſa, ſuos & eorum,*
*Quos jure enumerandos ipſi duximus inter*
*Hæredes, potiorem apparet ſemper habendum*
*Defuncti pronepotem, aut à pronepote creatum,*
*Quàm fratrem, atq; patrẽ defuncti, ſivè parentẽ,*
*Cum patrem, matremq; aliàqui ut diximus ipſi*
*Ante gradu primo jungat cognatio, fratrem*
*Ex bino, terno pronepotes, abque nepotes*
*Quarto. Nec refert morientis jure ſoluti*
*Hi fuerint, an non, patriæ quod jure ſoluti*
*Sivè poteſtatis ſint, ſivè à patre ſoluto.*
*Jure patris, muliebri ex ſexu ſivè creati:*
*Atque ſuis etiam amotis hæredibus, inter*
*Atque ſuos hæredes quos numeravimus ante,*
*Adgnatus, qui adgnatorum integra jura tenebit,*
*Quàmvis forte gradu fuerit longiſſimo, habetur*
*Plerumq; is potior, potiusque vocandus ad aſſem,*
*Quàm cognatus proximior, pronepoſq; nepoſque;*
*Nàm patruo ſemper, materteræ, avùnculo, & omni*
*Præfertur. Toties præferri dicimus illum,*
*Quem modò proximiore gradu cognatio jungit,*
*Aut illos pariter defuncti ad jura vocamus,*
*Qui ſunt cognati, quoties neque jure ſuorum*
*Hæredum, atque ſuos qui hæredes inter habẽtur,*
*Præferri jure adgnati neque debeat ullus,*
*Juxtà ea, quæ planè nos diximus ante, ſorore,*
*Et fratre exceptis, patrio vel jure ſolutis,*
*Queis danda eſt ſucceſſio fratrum, ſivè ſororum,*
*Queis quàmvis capitis ſit facta minutio, jure*
*Ulteriore gradu adgnatis ſunt anteferendi.*

## *De ſucceſſione libertorum.*

## TITVLVS VIII.

Nunc de libertorum bonis videamus. Olim itaque licebat liberto patronum ſuum impunè teſtamento præterire: nàm ità demum lex duodecim tabularum ad hæreditatem liberti vocabat patronum, ſi inteſtatus mortuus eſſet libertus, hærede ſuo nullo relicto. Itàque inteſtato mortuo liberto, ſi is ſuum hæredem reliquiſſet, patrono

*Nunc nobis de libertorum eſt rebus agẽdum.*
*Ergò ſuum quondàm liberto impunè licebat*
*Patronum teſtamine omittere: nàmque tabellis*
*Lex ſcripta in duodenis ſic ad jura vocabat*
*Liberti demùm patronum, mortuus eſſet*
*Libertus ſi inteſtatus, nulloque relicto*
*Tunc hærede ſuo. Si igitur ceſſiſſet ab oris*
*Libertus ſuperis, nullo teſtamine facto,*
*Here-*

trono nihil in bonis ejus juris erat. Et ſi quidem ex naturalibus liberis aliquem ſuum hæredem reliquiſſet, nulla videbatur querela: ſi verò adoptivus filius fuiſſet, apertè iniquum erat, nihil juris patrono ſupereſſe.

§. I.

Qua de cauſa poſteà Prætoris edicto hæc juris iniquitas emendata eſt: ſivè enim faciebat teſtamentum libertus, jubebatur ità teſtari, ut patrono partem dimidiam bonorum ſuorum relinquere: & ſi aut hihil, aut minus parte dimidia reliquerat, dabatur patrono contra tabulas teſtamenti partis dimidiæ bonorum poſſeſſio. Sivè inteſtatus moriebatur, ſuo hærede relicto, ſilio adoptivo, dabatur æquè patrono contra hunc ſuum hæredem partis dimidiæ bonorum poſſeſſio. Prodeſſe autem liberto ſolebant ad excludendum parronum naturales liberi, non ſolùm quos in poteſtate mortis tempore habebat, ſed etiam emancipati, & in adoptionem dari: ſi modò ex aliqua parte ſcripti hæredes erant, aut præteriti, contra tabulas bonorum poſſeſſionem ex edicto (prætorio) petierant; nàm exhæredati nullo modo repellebant patronum.

§. II.

Poſteà (verò) lege Papia adaucta ſunt jura patronorum, qui locupletiores libertos habebant. Cautum eſt enim, ut ex bonis ejus, qui ſeſtertium centum millium patrimoniũ reliquerat, & pauciores, quàm tres liberos habebat: ſivè is teſtamento facto, ſivè inteſtatus mortuus erat: virilis pars patrono deberetur. Itaque cum unum (quidem) filium, filiamve hæredem reliquerat libertus: perindè pars dimidia debebatur patrono, ac ſi is ſine ullo filio, filiave inteſtatus deceſſiſſet, cum (verò) duos, duasve hæredes reliquerat, tertia pars debebatur patrono: ſi tres reliquerat, repellebatur patronus.

§. III.

Sed noſtra conſtitutio, quam pro omni natione, Græca lingua compendioſo tractatu habito compoſuimus, ità hujuſmodi

causam

*Hæredemq; ſuum liquiſſet, jura patronus*
*Nulla bonis illius cenſebatur habere.*
*Et ſi planè ex natis naturalibus ullum*
*Ipſe ſuum hæredem liquiſſet, nulla querela*
*Eſſe videbatur. Verùm ſi fortè fuiſſet*
*Natus adoptivus, clarè apparebat iniquum,*
*Liberti haud aliquid juris ſupereſſe patrono.*

§. I.

*Qua cauſa hoc emendavit jus Prætor iniquum*
*Edicto; tabulas moriens nàm ſivè ſupremas*
*Libertus faceret, tali ratione jubebat*
*Prætor teſtari, partem ut teſtamine in ipſo*
*Dimidiam patrono linqueret ille, bonorum*
*Eſſet ſi nihil, aut minus ipſi parte relictum*
*Dimidia patrono, jure dabatur eidem*
*Contra teſtamen partis nonnulla bonorum*
*Dimidiæ poſſeſſio. Sivè hærede relicto*
*Illo ſorte ſuo, quem ſecit adoptio natum,*
*Nullis deſcriptis tabulis, migrabat ad aſtra,*
*Contra hunc hæredem patrono dicta bonorum*
*Danda petebatur pariter poſſeſſio partis*
*Dimidiæ. Liberto autem prodeſſe ſolebant*
*Naturales, excludi patronus ut ipſe*
*Poſſet; non ſolùm patris qui tempore mortis*
*Jure tenebantur, nati ſed jure ſoluti,*
*Et dati adoptandi, modò ſi qua parte fuiſſent*
*A patre ſcripti hæredes, prætiritive, dabatur*
*Hæc contra tabulas, Prætore jubente, bonorum*
*Patris eis poſſeſſio; nàmque repellere nulla*
*Exhæredati poterunt ratione patronum.*

§. II.

*Papia at aucta fuerunt omnia poſtea lege*
*Jura patronorum, quorum libertus habebat*
*Argenti dives congeſti pondera, & auri;*
*Jure etenim cautum eſt, ut ſi ſeſtertia centum*
*Millia liquiſſet moriens libertus, habebat*
*Et numerum terno natorum fortè minorem,*
*Is ſivè inteſtatus, ſeù teſtatus obiſſet,*
*Patrono deberetur pars tota virilis.*
*Ergò cum natam, natumve reliquerat unum*
*Hæredem libertus, erat pars debita planè*
*Patrono media, haud ſecus ac ſi liquerat auras*
*Absque ſuis natis ullis, natave, ſupremis*
*Non ſcriptis tabulis. Verùm cum liquerat ipſe*
*Binos, aut binas hæredes, tertia tantùm*
*Pars debebatur patrono: liquerat autem*
*Si tres, eſcludebatur patronus ab aſſe.*

§. III. *(ni,*

*Noſtra autem lex, pro populo quã ſcripſimus om-*
*Conciſo jàm habito tractatu idiomate Græco,*
*Hanc ità conſtituit cauſam, ut ſi fortè minoris,*

*Auri*

cauſam definivit; ut ſi quidem libertus, vel liberta minores centenariis ſint, ideſt, minus centum aureis habeant ſubſtantiam (ſic enim legis Papię ſummam interpretati ſumus, ut pro mille ſeſtertiis unus aureus computetur) nullum locum habeat patronus in eorum ſucceſſione: ſi tamen teſtamentum fecerint. Sin autem inteſtati deceſſerint, nullo liberorum relicto: tunc patronatus jus (quod erat ex lege duodecim tabularum) integrum reſervavit. Cum verò majores centenariis ſint, ſi hęredes, vel bonorum poſſeſſores liberos habeant, ſivè unum, ſivè plures, cujuſcumque ſexus, vel gradus: ad eos ſucceſsiones parentum deduximus, patronis omnibus modis una cum ſua progenie ſemotis. Sin autem ſine liberis deceſſerint: ſi quidem inteſtati, ad omnem hęreditatem patronos, patronaſque vocavimus, ſi verò teſtamentum quidem fecerint, patronos autem, aut patronas prætererierint, cum nullos liberos haberent, vel habentes eos exhęredaverint, vel mater, ſivè avus maternus eos pręterierint, ita quòd non poſſint argui inofficioſa eorum teſtamenta: tunc ex noſtra conſtitutione per bonorum poſſeſſionem contra tabulas, non dimidiam (ut antea) ſed tertiam partem bonorum liberti conſequātur: vel quod deeſt eis, ex conſtitutione noſtra repleatur, ſi quando minus tertia parte bonorum ſuorum libertus, vel liberta eis reliquerit: ita ſine onere, ut nec liberis liberti, libertæve ex ea parte legata, vel fideicommiſſa præſtentur, ſed ad cohęredes eorum hoc onus redundet: multis aliis caſibus à nobis in pręfata conſtitututione cōgregatis, quos neceſſarios eſſe ad hujuſmodi diſpoſitionem juris perſpeximus, ut tàm patroni, patronæque, quàm liberi eorum, nec non qui ex tranſverſo latere veniunt, uſq; ad quintū gradum ad ſucceſſionem libertorum libertarumve vocentur, ſicut ex ea conſtitutione intelligendum eſt: & ſi ejuſdem patroni, vel patronæ, vel duorum, duarumque, pluriumve liberi ſint: qui proximior eſt, ad liberti, vel libertæ vocetur ſucceſſionem, & in capita, non in ſtirpes dividatur ſucceſſio: eodem modo & in iis, qui ex tranſverſo latere veniunt, ſervando. Penè enim conſonantia jura ingenuitatis, & libertinitatis in ſucceſſionibus fecimus.

*Auri quàm centum nummos liberta tenebit,*
*Libertusve (etenim ſic intelleximus illam*
*Præfatam legem, aureus ut ſeſtertia mille*
*Unus connumeretur) ſit ſucceſſio nulla*
*Debita patrono, teſtamen dummodò condant:*
*Decedant ſi inteſtati, nulloque relicto*
*Prognato, patronus jàm ſua jura reſervet*
*Integra, quæ fuerant duodenis lege tabellis.*
*Cum verò libertus plus poſſederit auri*
*Quàm centum nummos, ſi hæres ſit, ſivè bonorum*
*Poſſeſſor gnatus ſibi, cujuscumque gradusve,*
*Seù ſexus fuerit, ſit ei ſucceſſio danda,*
*Cumque ſuis natis omni ratione patronis*
*Semotis. Si autem ſine natis morte quierit*
*In placida, ſiquidem nullo teſtamine facto,*
*Nos patronos, patronasve vocavimus omne*
*Ad jus defuncti. Verùm ſi ſcripſerit ipſe*
*Supremas tabulas, patronos, ſivè patronas*
*Præteriens, cum non ullos libertus haberet*
*Prognatos, vel habens exhæredaverit illos,*
*Vel maternus avus, vel mater omiſerit ipſos,*
*Ut teſtamen inofficioſum haud poſſit haberi,*
*Tunc contra tabulas ex noſtra lege bonorum*
*Non mediæ ut prius, at ternæ poſſeſſio partis*
*Aſſis totius liberti eſt danda patronis,*
*Quodque deeſt, repleatur eis ex lege ſtatuta*
*Noſtra, parte minus terna ſi quando bonorum*
*Libertus teſtans, libertave liquerit ipſis*
*Sic absque ullo onere, ut nec ea de parte relicta,*
*Vel fideicommiſſa ulli præſtanda putentur*
*Liberti, aut libertæ nato, oneretque gravamen*
*Tale cohæredum præfata in lege coactis*
*Caſibus à nobis, quos vidimus eſſe neceſſe*
*Hoc ad jus, tàm ut patroni, quàm liberi eorum,*
*Nec non qui è latere adveniunt, ad jura vocētur*
*Ad quintum usque gradum libertorum, velut illa*
*Quisquā ex lege poteſt cognoſcere, ſivè patroni,*
*Sivè patronæ ejusdem habeantur, ſivè duorum,*
*Seù multorum liberi ad integra jura vocentur*
*Liberti, aut libertæ, qui mage proximus extat.*
*In capita, & non in ſtirpes partitio fiat;*
*Atque in eis eadem ratio ſervanda videtur,*
*Qui veniunt ex transverſo. Concordia namque*
*Jura ferè ingenuis cunctis ſancivimus, atque*
*Libertinis, queis fuerit ſucceſſio danda.*

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Sed hæc de iis libertinis hodie dicenda ſunt, qui in civitatem Romanam pervenerunt: cum nec ſint alii liberti, ſimul & Deditiis, & Latinis ſublatis, cum Latinorum legitimæ ſucceſſiones nullæ penitus erant, quia licet ut liberi vitam ſuam peragebant, attamen ipſo ultimo ſpiritu ſimul animam, atque libertatem amittebant, & quaſi ſervorum bona eorum jure quodammodò peculii ex lege Junia (Norbana) manumiſſores detinebant. Poſtea verò ſenatuſconſulto Largiano cautum fuetar, ut liberi manumiſſoris non nominatim exhæredati facti, extraneis hæredibus eorum in bonis Latinorum præponerentur. Quibus etiam ſupervenit divi Trajani edictum, quod eundem hominem, ſi invito; vel ignorante patrono ad civitatem Romanam venire ex beneficio principis feſtinarat, faciebat quidem vivum civem Romanum, Latinum verò morientem. Sed noſtra conſtitutione propter hujuſmodi conditionum vices, & alias difficultates, cum ipſis Latinis etiam legem Juniam, & ſenatuſconſultum Largianum, & edictum divi Trajani, in perpetuum deleri cenſuimus, ut omnes liberti civitate Romana fruantur, & mirabili modo quibusdam adiectionibus ipſas vias, quæ in Latinitatem ducebant, ad civitatem Romanam capiendam tranſpoſuimus.

§. *IV.*

*Atque hæc de libertinis dicenda putamus,*
*Qui Romanam advenerunt tantūmodò ad Urbē,*
*Cum nec ſint alii, ſublati nàmque latini,*
*Libertique alii: fuerat ſucceſſio nulla*
*Nàmq; latinorū, quia quāquàm ut liberi agebāt*
*Vitam at linquebat cum ſpiritus ultimus auras,*
*Linquebant animam cum libertate, & eorum*
*Hi quaſi ſervorum quadam ratione peculi*
*Jure bona ipſa manumiſſores lege tenebant* (Junia
*Norbana. Verū cōſulta deindè Senatus* (Largiana
*Conſtituerunt, patroni non nomine facti*
*Liberi ut exhæredes, tunc hæredibus eſſent*
*Præpoſiti externis libertùm in rebus eorum,*
*Nomine quos veteres quondàm dixère latinos:*
*Queis etiam acceſſit Trajani Principis illud*
*Edictum, quod eundem hominē, ignorāte patrono,*
*Aut invito, Romanam ſi accedere ad Urbem*
*Principis egregio dono acceleraverat, Urbis*
*Efficiebat viventem Civem, atque latinum,*
*Spiritus ipſius cum linqueret ultimus auras;*
*Lege at noſtra conditionum munera propter,*
*Difficilesq; modos cum his delendam eſſe latinis*
*Et legem Norbanam, conſultumq; Senatus,*
*Divique edictum Trajani, juſſimus, omni*
*Tempore liberti ut Romana jàm Urbe fruantur,*
*Atque vias, libertos quæ adduxère latinos,*
*Ad capiendam Romanam traduximus Urbem,*
*Nonnullis planè mira ratione peractis.*

## *De adſignatione libertorum.*

## TITULUS IX.

IN ſumma (quod ad bona libertorum attinet) admonendi ſumus, cenſuiſſe ſenatum, ut quamvis ad omnes patroni liberos, qui ejuſdem gradus ſunt, æqualitèr bona libertotum pertineant: tamen licere parenti, uni ex liberis adſignare libertum, ut poſt mortem ejus ſolus is patronus habeatur, cui adſignatus eſt: & cæteri liberi, qui ipſi quoque ad eadem bona, nulla adſignatione interveniente pariter admitterentur, nihil juris in his bonis habeant: ſed ita demum priſtinum jus recipiant, ſi is, cui adſignatus eſt, deceſſerit nullis liberis relictis.

*IN ſumma liberti ad res quod pertinet omnes,*
*Noſcere debemus, meritò ſtatuiſſe Senatum,*
*Ut licet ad natos patroni æqualiter omnes*
*Liberti bona pertineant, tamen eſſe parenti*
*Uni libertum licitum adſignare, patronus*
*Filius ut poſt mortem ejus ſit ſolus habendus,*
*Cui fuit adſignatus. Verùm cætera proles,*
*Quæ quoque ſi nulla adſignatio facta fuiſſet,*
*Ad bona liberti pariter ſuccederet, illis*
*Ipſa bonis habeat juris nihil. Aſt ità demùm*
*Antiquum capiat jus ſi decedat ad aſtra*
*Is cui ſignatus, nullos natosque relinquat.*

§. I. §. *I.*

§. I.

Nec tantùm libertum, ſed etiam libertam,& non tantùm filio,nepotive,ſed etiam filiæ,neptive adſignare permittitur.

§. *I.*

*Et libertum, & libertam adſignare licebit*
*Natæ,ſeù nepti, prognato,ſivè nepoti.*

§. II.

Datur autem hæc adſignandi facultas ei, qui duos, pluresve liberos in poteſtate habebit, ut eis, quos in poteſtate habet, adſignare libertum, libertamve liceat. Undè quærebatur, ſi eum, cui adſignavit, poſtea emancipaverit: nùm evaneſcat adſignatio? Sed placuit evaneſcere, quod & Juliano, & aliis plerisque viſum eſt.

§. *II.*

*Hæc ſed ei eſt adſignandi conceſſa facultas,*
*Qui binos natos, pluresve in jure tenebit,*
*Sic ut eis, cohibet patris quos jure poteſtas,*
*Libertum, libertamve adſignare facultas*
*Sit danda. Hinc quærebatur, ſi emancipat illum*
*Poſteà, cui ſignavit, nùm adſignatio vana*
*Reddatur? Placuit verò evaneſcere, multis* (Juliano
*Quod viſum eſt æquũ, merito ac de jure tenendũ.*

§. III.

Nec intereſt, (an) teſtamento quis adſignet, an ſine teſtamento, ſed etiam quibuscumque verbis patronis hoc permittitur facere, ex ipſo Senatusconſulto, quod Claudianis temporibus factum eſt, Sabellio Ruſo, & Aſterio Scapula Conſulibus.

§. *III.*

*Nec refert, an ſignet quis teſtamine facto,*
*An ſine teſtamento, ſed permittitur iſtud*
*Efficere expreſſa verbis ratione patronis,*
*Temporibus Claudi ut juſſit, ſtatuitque Senatus,*
*Scapula cum conſul, Ruſusque Sabellius eſſet.*

## *De bonorum poſſeſſionibus.*

## TITVLVS X.

JUs bonorum poſſeſſionis introductum eſt à Prætore emendandi veteris juris gratia. Nec ſolùm in inteſtatorum hæreditatibus vetus jus eo modo Prætor emendavit, ſicut ſupra dictũ eſt, ſed in eorum quoque, qui teſtamento facto deceſſerint. Nàm ſi alienus poſthumus hæres fuerit inſtitutus, quàmvis hæreditatem jure civili adire non poterat, cũ inſtitutio nõ valebat, honorario tamen jure bonorum poſſeſſor efficiebatur, videlicet cum à Prætore adjuvabatur; ſed & is à noſtra cõſtitutione hodie rectè hæres inſtituitur, quaſi & jure civili nõ incognitus.

*AD vetus emendãdum jus inducta bonorum*
*A Prætore fuit poſſeſſio; nec vetus ipſe*
*Jus emendavit dumtaxat in aſſibus ejus,*
*Qui ſine deſcriptis tabulis deceſſit, eorum*
*Sed quoque, qui vitam linquunt teſtamine facto,*
*Nàm fuerit factus ſi alienus poſthumus hæres,*
*Jure ex civili quamvis non poſſet adire*
*Aſſem, cum haud hæredis ſcriptio facta valebat*
*A teſtante, tamen Prætoris jure bonorum*
*Efficiebatur poſſeſſor, ſcilicet ille*
*Cum à Prætore juvabatur; ſed lege ſtatuta*
*A nobis rectè is ſcriptus cenſebitur hæres,*
*Jure quaſi civili non incognitus eſſet.*

§. I.

Aliquando tamen neque emendandi, neque impugnandi veteris juris, ſed magis confirmandi gratia (Prætor) pollicetur bonorum poſſeſſionem. Nàm illis quoque, qui rectè teſtamento facto hæredes inſtituti ſunt, dat ſecundùm tabulas bonorum poſſeſſionem. Item ab inteſtato ſuos hæredes, & adgnatos ad bonorum poſſeſſionem vocat. Sed & remota quoque bonorum poſſeſſione, ad eos pertinet hæreditas jure civili.

§. *I.*

*Attamen interdùm nec ut emendatio fiat,*
*Jus nec ut impugnetur, verùm quo vigor ipſi*
*Sit major, promiſſa eſt à Prætore bonorum*
*Hæc poſſeſſio; Nàmque etiam conceſſa bonorum*
*Eſt illis juxtà tabulas poſſeſſio, rectè*
*Qui fuerant ſcripti hæredes teſtamine facto.*
*Inſuper à Prætore ſuis hæredibus, atque*
*Adgnatis meritò fuerat conceſſa bonorum*
*Hæc poſſeſſio ab inteſtato; aſt ipſa bonorum*
*Si quoque jàm fuerit poſſeſſio fortè remota,*
*At totus jure ex civili ſpectat ad illos.*

§. II.

Quos autem ſolus vocat Prætor ad hæreditatem, hæredes quidem ipſo jure non fiunt, nàm Prætor hæredem facere non poteſt, per legem enim tantùm, vel ſimilem juris conſtitutionem hæredes fiunt, veluti per Senatusconſulta,& conſtitutiones principales, ſed cum eis Prætor dat bonorum poſſeſſionem, loco hæredum conſtituuntur, & vocantur bonorum poſſeſſores. Adhùc autem & alios complures gradus Prætor fecit in bonorum poſſeſſionibus dandis, dùm id agebat, ne quis ſine ſucceſſore moreretur. Nàm anguſtiſſimis finibus conſtitutum per legem duodecim tabularum jus percipiendarum hæreditatum, Prætor ex bono,& æquo dilatavit.

§. *II.*

*Quos autem ſolus revocabit Prætor ad aſſem,*
*Ipſo non fient hæredes jure; Nequibit*
*Nàm facere hæredem Prætor: Tantũmodò nàmq;*
*Legibus, aut ſimili juris moderamine fiunt*
*Hæredes, veluti ſancita à Principe lege,*
*Conſultisque Senatus. Sed cum dicta bonorum*
*A Prætore datur poſſeſſio, jure ſtatuti*
*Hæredum vice dicuntur, pariterque bonorum*
*Hi poſſeſſores. Plures confecerat autem*
*Ipſe gradus Prætor, fuerat cum juſſa bonorum*
*Hæc poſſeſſio ab ipſo; Nàmque id agebat, ut auras*
*Quis vitæ ſine ſucceſſore haud linquere poſſet.*
*Prætor nàm in tabulis duodenis lege ſtatutum*
*Finibus anguſtis nimium jus aſſis habendi,*
*Ex æquo, atque bono dilatandum eſſe putavit.*

§. III.

Sunt autem bonorum poſſeſſiones ex teſtamento quidem hæ. Prima, quæ præteritis liberis datur, vocaturque *contra tabulas.* Secunda, quam omnibus jure ſcriptis hæredibus Prætor pollicetur, ideòque vocatur *ſecundum tabulas*. Et cum de teſtatis prius loquutus eſt, ad inteſtatos tranſitum fecit. Et primo loco ſuis hæredibus, & iis, qui ex edicto Prætoris inter ſuos hæredes connumerantur, dat bonorum poſſeſſionem; quæ vocatur *undè liberi*. Secundo, legitimis hæredibus. Tertio, decem perſonis, quas extraneo manumiſſori præferebat. Sunt autem decem perſonæ hæ: pater, mater, avus, avia, tàm paterni, quàm materni: item filius, filia, nepos, neptis, tàm ex filio, quàm ex filia: frater, ſororve, conſanguinei, vel uterini. Quarto, cognatis proximis. Quinto, *tanquàm ex familia*. Sexto, patrono, patronæque, liberisque eorum, & parentibus. Septimo, viro, & uxori. Octavo, cognatis manumiſſoris.

§. *III.*

*Multiplici diviſa autem ratione bonorum*
*Ex teſtamento eſt poſſeſſio. Prima vocata*
*Eſt* contra tabulas, *natis conceſſaque omiſſis:*
*Quam Prætor jure inſcriptis hæredibus ipſe*
*Promittit, fuerit numeranda ſecunda,* ſecundùm
*Et* tabulas *idcircò dicta eſt. Cumque locutus*
*Sit de teſtatis Prætor, pertranſit ad illos,*
*Qui linquunt vitam, nullo teſtamine facto,*
*Principioque ſuis hæredibus, inſuper illis,*
*Qui Prætoris juſſu connumerantur & inter*
*Hæredes, meritò cenſetur danda bonorum*
*Hæc poſſeſſio, quæ ſit* liberi & undè *vocata,*
*Legitimisque loco eſt hæredibus ipſa ſecundo*
*Conceſſa: Atque decem perſonis deindè tributa,*
*Ipſe manumiſſori quas præponere juſſit*
*Externo Prætor: Sed connumerantur ab ipſo*
*Mater, Avus, Genitor, Materna avia, atq; pa-*
*Filia prætereà, natus, neptisque, nepos q; ( terna,*
*Tàm ex nato, quã etiã ex nata, frater q; ſororq;*
*Aut conſanguinei, aut uterini. Danda bonorum*
*Eſt quartò poſſeſſio eis, cognatio jungit*
*Quos magis. Atque loco quinto conceſſa videtur*
Tãquàm ex familia: Patrono, *etiamq;* patronæ
*Sextò, & eorum natis, atque parentibus. Indè*
*Uxori, atque viro. Cognatis denique & ejus,*
*Qui ſervum ſolvit vinclo, gravibusque catenis.*

§. IV.

Sed eas quidem prætoria introduxit juriſdictio: à nobis tamen nihil incurioſum prætermiſſum eſt, ſed noſtris conſtitutionibus omnia corrigentes, contra tabulas quidem, & ſecundum tabulas bonorum poſſeſſiones

§. *IV.*

*Introduxit eas planè Prætoria juris*
*Dictio. Prætorum attentè perpendimus iſta,*
*Legibus at noſtris correximus omnia, contra*
*Et tabulas; tabulasq; ſecũdum admiſſa bonorũ eſt*
*A nobis poſſeſſio; nàmque neceſſe ſtatuta*
*Utraq; ab inteſtato, undè & quoq; liberi, & undè*
*Legi-*

Digitized by Google

ſiones admiſimus, utpotè neceſſarias conſtitutas: nec non ab inteſtato *undè liberi, &* *undè legitimi* bonorum poſſeſſiones. Quæ autem in Prætoris edicto quinto loco poſita fuerat: id eſt, *undè decem perſonæ*, eam pio propoſito, & compendioſo ſermone ſupervacuam oſtendimus. Cum enim præfata bonorum poſſeſſio decem perſonas proponebat extraneo manumiſſori: noſtra conſtitutio, quam de emancipatione liberorum fecimus, omnibus parentibus, eisdemque manumiſſoribus contracta fiducia manumiſſionem facere dedit: ut ipſa manumiſſio eorum hoc in ſe habeat privilegium, & ſupervacua fiat ſupradicta bonorum poſſeſſio. Sublata igitur prædicta quinta bouorum poſſeſſione, in gradum ejus ſextam anteà bonorum poſſeſſionem induximus: & quintam fecimus, quam Prætor proximis cognatis pollicetur. Cumque anteà fuerat ſeptimo loco bonorum poſſeſſio, *tanquàm ex familia*, & octavo, *undè patroni, patronæque, & parentes eorum*: utramque per conſtitutionem noſtram, quam de jurepatatronatus fecimus: penitùs evacuavimus. Cũ enim ad ſimilitudinem ſucceſſionis ingenuorum, libertinorum ſucceſſiones poſuimus, quas uſque ad quintum gradum tantummodò coarctavimus: ut ſit aliqua inter ingenuos, & libertinos differentia: ſufficit eis tàm contra tabulas bonorum poſſeſſio, quàm *undè legitimi*, & *undè cognati*, ex quibus poſſunt ſua jura vindicare, omni ſcrupuloſitate, & inextricabili errore iſtarum duarum bonorum poſſeſſionum reſoluta. Aliam verò bonorum poſſeſſionem, quæ *undè vir, & uxor* appellatur, & nono loco inter veteres bonorũ poſſeſſiones poſita fuerat, & in ſuo vigore ſervavimus, & altiore loco, ideſt, ſexto eam poſuimus: decima quoque bonorum poſſeſſione, quæ erat *undè cognati manumiſſoris*, propter cauſas enumeratas meritò ſublata: ut ſex tantummodò bonorum poſſeſſiones ordinariæ permaneant, ſuo vigore pollentes. Septima eas ſecuta, quam optima ratione Prætores introduxerunt. Noviſſimè enim promittitur edicto iis etiã bonorum poſſeſſio, quibus ut detur, lege, vel Senatusconſulto, vel cõſtitutione comprehenſum eſt: quam neque bonorum poſſeſſionibus, quæ ab inteſtato veniunt, neque iis,

*Legitimi à nobis etiam eſt admiſſa. Locata*
*Quæ Prætoris in edicto fuit ante benigno,*
*Propoſitoque pio, paucis & vocibus illam,*
*Scilicet undè decem perſonæ, oſtendimus indè*
*Eſſe ſupervacuam; cum etenim præfata bonorum*
*Perſonas denas poſſeſſio ferre volebat*
*Ante manumiſſori externo, ſanctio noſtra,*
*Quam de ſolvendis natis à jure parentis*
*Condidimus, cunctis patribus conceſſit, eisdem*
*Atque manumiſſoribus hoc abſolvere jure,*
*Cum contracta prius fuerit fiducia, ut iſtud*
*In ſe habeat præfata ſolutio, ſitque bonorum*
*Dicta ſupervacua hæc poſſeſſio. Quinta bonorum*
*Ergò ſublata eſt poſſeſſio, proque gradu ejus*
*Eſt prius à nobis ſexta introducta bonorum*
*Jàm poſseſſio; Nos & quintam fecimus illam,*
*Quàm Prætor promittit proximioribus ipſe*
*Cognatis. Cum eſset ſepteno ſcripta bonorum*
*Tamquàm ex familia ante loco poſseſſio, & undè*
*Patroni, patronæque, ipſorumque parentes*
*Octavo: lege utramque evacuavimus illa,*
*Quam de jurepatronatus nos fecimus, æqua*
*Cum data libertinis, ingenuisque fuiſset*
*A nobis ſuceeſſio, quam reſtrinximus ipſi*
*Ad quintum usq; gradũ tantũ, diſerimen ut inter*
*Ingenuos aliquod, libertinosque habeatur.*
*Tàm cõtra tabulas, quàm legitimi undè bonorũ,*
*Undè & cognati poſseſſio ſufficit illis.*
*Scrupulus omnis, & hinc non extricabilis error*
*Tollitur, utraque quos poſseſſio gignere poſset.*
*At verò illa, bonorum quæ poſseſſio dicta eſt*
*Undè vir, atque uxor, nono fueratque locata*
*Ante loco veteres inter, ſua robora ſervat,*
*Atque loco in ſexto poſita eſt. Quoq; dena bonorũ,*
*Cognati undè manumiſsoris quæ ante vocata*
*Eſt poſseſſio ſublata eſt meritò numeratas*
*Ob cauſas, ut ſex tantummodò ab ordine dictæ*
*Jure ſuo maneant, firmum ſerventque vigorem.*
*Septima eas ſequitur, meritò quã induxerat ipſe*
*Prætor; Nàmque edicto etiam promiſsa bonorum*
*Eſt poſseſsio eis demùm, queis Sacra Statuta,*
*Sanctio, lex dandam juſserunt, atque Senatus*
*Conſultum, ſtabili Prætor quam haud jure recẽſet*
*Inter eas, procedant quæ ex teſtamine facto,*
*Inter eas nec ab inteſtato jure vocatas,*
*Sed quaſi ſupremum auxilium, ut res exigit, illis*
*Attribuit, veniunt qui ex legibus, atque Senatus*
*Conſultis, placitis Regum, tabulisve ſupremis,*
*Jure novo, vel ab inteſtato. Induxerat ergò*
*Cum Prætor plures ſpecies ſuccedere, recto*
*Ordine cum digeſſit eas, in qualibet harum*

iis, quæ ex teſtamento ſunt, Prætor ſtabili jure connumeravit: ſed quaſi ultimum, & extraordinarium auxiliũ(prout res exegit) accomodavit, ſcilicet iis, qui ex legibus, Senatusconſultis, conſtitutionibusve Priucipum, ex novo jure, vel ex teſtamento, vel ab inteſtato veniunt. Cum igitur plures ſpecies ſucceſſionum Prætor introduxiſſet, easque per ordinem diſpoſuiſſet, & in unaquaque ſpecie ſucceſſionis ſæpè plures extent diſpari gradu perſonæ, ne actiones creditorum differrentur, ſed haberent, quos convenirent, & ne facilè in poſſeſſionem bonorum defuncti mitterentur, & eo modo ſibi conſulerent: ideò petendæ bonorum poſſeſſioni certum tempus præfinivit. Liberis itàque, & parentibus, tàm naturalibus, quàm adoptivis in petẽda bonorum poſſeſſione anni ſpatium, cæteris (autem) adgnatis, vel cognatis, centum dierum dedit.

*Diſparibus gradibus eum ſæpè exiſtere plures*
*Perſonæ videantur, ne actio debita jure*
*Differretur ei immeritò, qui creditor extat,*
*Is ſed haberet, queis fieri conventio poſset,*
*Ne eſset ei facilis poſseſſio danda bonorum*
*Defuncti, ac tali intentus ratione videret,*
*Conſuleretque ſibi: præfinit tempora certa*
*Idcircò Prætor, queis ſit poſcenda bonorum*
*Hæc poſseſſio. Natis, atque parentibus ergò,*
*Legibus aut fuerint, aut natura, eſt datus annus,*
*Cognato, agnatoque dierum tempora centum,*
*Ipſa bonorum queis poſci poſseſſio poſſit.*

§. V.

Et ſi intra hoc tempus aliquis bonorum poſſeſſionem non petierit, ejusdem gradus perſonis adcreſcit: vel ſi nullus ſit, deinceps cæteris bonorum poſſeſſionem perindè ex ſucceſſorio edicto pollicetur, ac ſi is, qui præcedebat, ex eo numero non eſſet. Si quis itàque delatam ſibi bonorum poſſeſſionem repudiaverit, non quousque tempus bonorum poſseſſioni præfinitum exceſſerit, expectatur: ſed ſtatim cæteri ex eodem edicto admittuntur. In petenda autem bonorum poſſeſſione dies utiles ſinguli conſiderantur.

§. *V.*

*Et ſi intrà hoc tempus poſseſſio nulla petatur,*
*Ejusdem illa gradus perſonæ adcreſcere debet*
*Vel ſi nullus adeſt, aliis promiſsa bonorum*
*Ex ſuccedendi edicto eſt poſseſſio, ſicut*
*Si is, qui præceſſit, numero non èſset ab illo.*
*Si nonnulli ergò fuerit delata bonorum,*
*Atque reſutata hæc poſseſſio, tempora donec*
*Prætereant, non expectatur, at illicò eodem*
*Ex edicto alii admittuntur, & ipſa bonorum*
*Cum petitur poſseſſio, nos ſpectare dierum*
*Debemus ſpatium, & quod tẽporis utile habetur.*

§. VI.

Sed benè anteriores Principes & huic cauſæ providerunt, ne quis pro petenda bonorum poſſeſſione curet: ſed quocumque modo admittentis eam judicium (intrà ſtatuta tamen tempora) oſtenderit, plenum habeat earum beneficium.

§. *VI.*

*Sed benè proviſum antiquis huic eſse videtur*
*Cauſæ à Principibus, ne quis pro tale petendo*
*Auxilio curet, verum ſi oſtenderit ipſe*
*Judicium auxilium admittentis tale, ſtatutum*
*Intrà tempus, plenum habeat, ſervetq; juvamen.*

## *De acquiſitione per adrogationem.*

## TITVLVS XI.

ESt & alterius generis per univerſitatem ſucceſſio, quæ neque lege duodecim tabularum, neque Prætoris edicto, ſed eo jure, quod conſenſu receptum eſt, introducta eſt.

*ALterius generis ſucceſſio in omnia jura eſt,*
*Quę neq; deſcripta in duodenis lege tabellis,*
*Edicto neque Prætoris, ſed, jure receptum*
*Quod conſenſu eſt, introducta fuiſse videtur.*

§. I.

§. *I.*

§. I.

Ecce enim cum paterfamilias ſe ſe in adrogationem dat, omnes res ejus corporales, & incorporales, quæque ei debitæ ſunt, adrogatori anteà quidem pleno jure acquirebantur: exceptis iis, quæ per capitis diminutionem pereunt, quales ſunt operarum obligationes, & jus adgnationis. Uſus etenim, & uſusfructus, licet his anteà connumerabantur, attamen capitis diminutione minima eos tolli prohibuit noſtra conſtitutio.

*§. I.*

*Ecce ſuos genitor natos cùm jure tenebit,*
*Se dat adoptãdũ, omnes res ſine corpore, & omnes*
*Corpore veſtitas, atque ejus nomina cuncta*
*Ante pater pleno jure acquirebat adoptans,*
*Exceptis, capitis quæ facta minutio tollit,*
*Qualia ſunt operarum conſtringentia jura,*
*Jusque adgnatorum; numerentur nàm licet illis*
*Rebus & uſus, & uſusfructus, ſed tamen ipſos*
*Infima nulla ſtatus tollit mutatio, jure*
*Ut meritò quondam mandavit ſanctio noſtra.*

§. II.

Nunc autem nos eandem adquiſitionem, quæ per adrogationem fiebat, coarctavimus ad ſimilitudinem naturalium parentum. Nihil enim aliud, niſi tantummodò uſusfructus tàm naturalibus parentibus, quàm adoptivis per filios familiarum adquiritur in iis rebus, quæ extrinſecus filiis obveniunt, dominio eis integro ſervato: Mortuo autem filio adrogato in adoptiva familia, etiam dominium (rerum) ejus ad adrogatorem pertranſit, niſi ſuperſint aliæ perſonæ, quæ ex conſtitutione noſtra partem in iis, quæ adquiri non poſſunt, antecedant.

*§. II.*

*Sed quæ perfecta acquirebat adoptio, nunc ſunt*
*Stricta à nobis; naturales nàmque parentes*
*Sicut non acquirunt, ni tantummodò fructum*
*Uſum, ſic quoque adoptivi ſibi quærere patres*
*Per natos, retinent ipſi quos jure parentum,*
*Uſumfructum dicuntur tantummodò in illis*
*Rebus, quæ obveniunt natis extrinſecus, ipſis*
*Servato integro dominatu: Morte perempto*
*Sed nato, cùm ipſum teneat ſub jure poteſtas*
*Patris adoptantis, rerum dominatus ad ipſum*
*Tranſit adoptivum, ni perſona ulla ſuperſit,*
*Quæ patrem ſolùm rebus præcedat in illis,*
*Quæ nequeunt acquiri noſtra ex lege ſtatuta.*

§. III.

Sed ex diverſo pro eo, quod is debuit, qui ſe in adoptionem dedit, ipſo quidem jure adrogator non tenetur, ſed nomine filii convenitur: & ſi noluerit eum defendere, permittitur creditoribus per competentes noſtros magiſtratus bona, quæ ejus cum uſufructu futura fuiſſent, ſi ſe alieno juri non ſubjeciſſet, poſſidere, & legitimo modo ea diſponere.

*§. III.*

*At verò contra pro illo, quod debuit ipſe,*
*Qui ſe tradit adoptandum, non jure tenetur,*
*Conveniendus erit nati ſed nomine adoptans;*
*Et ſi noluerit natum defendere, jure*
*Præcipiente Magiſtratu, bona creditor illa*
*Poſſideat, nequicquàm quæ conceſſa fuiſſent*
*Cum uſufructu, ni ſe alienis juribus ipſe*
*Subjeciſſet, legitimè ac diſponere poſſit.*

## *De eo, cui libertatis cauſa bona addicuntur.*

## TITVLVS XII.

Acceſſit novus caſus ſucceſſionis ex conſtitutione Divi Marci. Nàm ſi ii, qui libertatem acceperunt à domino in teſtamento, ex quo non aditur hæreditas, velint bona ſibi addici libertatum conſervandarum cauſa, audiuntur.

*Jam novus acceſſit caſus ſuccedere, Divi*
*Marci ut lex ſtatuit; nàm ſi is, qui fortè recepit*
*A Domino libertatem in teſtamine ſcripto,*
*Ex quo as non petitur, jura addici ſibi poſcat,*
*Liber ut exiſtat, jàm audiri à Judice debet.*

§. I.

Et ità Divi Marci reſcripto ad Pompilium

*§. I.*

*Pompilium ad Rufum quondam reſcripſerat iſta*
*Divus*

Digitized by Google

lium Rufum continetur. Verba reſcripti ità ſe habent: Si Virginio Valenti, qui teſtamento ſuo libertatem quibusdam adſcripſit, nemine ſucceſſore ab inteſtato exiſtente, in ea cauſa bona (ejus) eſſe cœperunt, ut venire debeant, is, cujus de ea re notio eſt, aditus ratione deſiderii tui habebit, ut libertatum tàm earum, quæ directo, quàm earum, quæ per ſpeciẽ fideicommiſſi relictæ ſunt, tuendarũ gratia addicantur tibi: ſi idoneè creditoribus caveris de ſolido, quod cuique debetur, ſolvendo. Et ii quidem, quibus directa libertas data eſt, perindè liberi erunt, ac ſi hæreditas adita eſſet. Ii autem, quos hæres manumittere rogatus eſt, à te libertatem conſequentur: ità ut ſi non alia conditione velis tibi bona addici, quàm ut (ii) etiam, qui directò libertatem acceperunt, tui liberti fiant. Nàm huic etiam volũtati tuæ, ſi ii, quorum & de ſtatu agitur, conſentiant, auctoritatem noſtram accommodamus. Et ne hujus reſcriptionis noſtræ emolumentum alia ratione irritum fiat: ſi fiſcus bona agnoſcere voluerit, & ii, qui rebus noſtris attendunt, ſciant commodo pecuniario præferendam eſſe libertatis cauſam, & ità bona cogenda, ut libertas iis ſalva ſit, qui eam adipiſci potuerunt, ac ſi hæreditas ex teſtamento adita eſſet.

*Divus Marcus: Virginio ſi fortè valenti,*
*Qui libertatem liquit teſtamine ſervis,*
*Haud ſucceſſor ab inteſtato exiſteret ullus,*
*Et bona cæperunt in ea cauſa illius eſſe,*
*Ut ſint vendenda, is, cujus tùm notio de re eſt,*
*Tunc talem rationem aditus debebit habere,*
*Hæc tibi ut addicantur, tàm ratione tuendi*
*Libertates per fideicommiſſa relictas,*
*Quàm quæ directò fuerant teſtamine ſcriptæ,*
*De ſolido caveas ſi illi, eſt qui creditor, aptè*
*Solvendo, quod debetur. Verùm ille, relicta*
*Eſt cui libertas planè directa, perindè*
*Liber erit, ſi as atque aditus foret; attàmen illis,*
*Quos hæres fuit ante rogatus ſolvere vinclo*
*Servili, libertatem concedere debes,*
*Ut ſi non alia tibi conditione repoſcas*
*Addici bona, quàm ut tibi liberti illicò fiant*
*Hi quoque, qui fuerant directò à jure ſoluti;*
*Nàmque tuæ menti ſi horum conſenſus habetur,*
*Quorum agitur fortaſse ſtatus, nos robora legis*
*Addimus, & ne alia fiat ratione juvamen*
*Hujus reſcripti vanum, ſi agnoſcere fiſcus*
*Iſta velit bona, & illi, qui noſtris modò rebus*
*Attendunt, noſcant, nummis eſſe anteferendam*
*Cauſam libertatis; ità & bona cogere debent,*
*Salva ut libertas ſit eis, qui acquirere poſsent*
*Ipſam, ac ſi as aditus foret ex teſtamine ſcripto.*

§. II.

Hoc reſcripto ſubventum eſt & libertatibus, & defunctis, ne bona eorum à creditoribus poſſideantur, & veneant. Certè ſi fuerint hac de cauſa bona addicta, ceſsat bonorum venditio; exiſtit enim defuncti defenſor, & quidem idoneus, qui de ſolido creditoribus cavet.

*§. II.*

*Defunctis reſcripto, & libertatibus iſto*
*Subventnm eſt, ut non horum bona creditor ullus*
*Poſſideat, vendatque. Hac de cauſa bona certè*
*Si fuerint addicta, abſtractio quæque bonorum*
*Ceſsat; defuncti defenſor enim aptus habetur,*
*De ſolidoque cavens olli, qui creditor extat.*

§. III.

In primis hoc reſcriptum toties locum habet, quoties teſtamento libertates datæ ſunt. Quid ergò, ſi quis inteſtatus decedens, codicillis libertates dederit, neque adita ſit ab inteſtaro hæreditas: (an) favor conſtitutionis debebit locum habere? Certè ſi inteſtatus deceſserit, & codicillis dederit libertatem, competere nemini dubium eſt.

*§. III.*

*In primis toties reſcriptum hoc robur habebit,*
*Eſt data libertas quoties teſtamine in ipſo;*
*Ergò quid, ſi quis nullo teſtamine facto,*
*Codicibus parvis abſolvat pondere ſervos,*
*Nec ſit ab inteſtato aditum jus, an favor ullum*
*Præfatæ legis robur debebit habere?*
*Certè vitæ ſi inteſtatus liquerit auras,*
*Et dederit libertates in codice parvo,*
*Competere auſus eas fuerit tùm nemò negare.*

§. IV.

Tunc (enim) conſtitutioni locum eſse verba oſtendunt, cum nemo ſucceſsor ab inteſtato exiſtat. Ergò quamdiù incertum erit,

*§. IV.*

*Tũc etenim eſse locum legi, iſthęc verba notarũt,*
*Cum ſucceſsor ab inteſtato nemò manebit.*
*Ergò donec erit dubium, utrum exyſtat is, an non,*
*San-*

erit, utrum exiſtat, an non: ceſſabit conſtitutio. Si verò certum eſſe cœperit,neminem exiſtere: tunc erit conſtitutioni locus.

*Sanctio ceſſabit. Certum ſin cœperit eſſe,*
*Nullum exiſtere, tunc legi locus eſſe videtur.*

§. V.

Si is, qui in integrum reſtitui poteſt, abſtinuerit hæreditate: an quàmvis poteſt in integrum reſtitui, poſſit admitti conſtitutio, & bonorum addictio fieri? Quid ergò ſi poſt addictionem libertatum conſervandarum cauſa factam,in integrum ſit reſtitutus? Utique non erit dicendum revocari libertates,quia ſemel competierunt.

§. *V.*

*Sed ſit in integrum,ſi cui conceſſa facultas*
*Reſtitui,abſtineat ſe aſſe,utrum hæc ſanctio poſſit*
*Admitti,fierique addictio dicta bonorum,*
*Quàmvis poſſit in integrum de jure reponi?*
*Ergò quid,ſi poſtquàm addictio facta bonorum*
*Ob libertates ſervandas,ille repoſtus*
*Sit ſtatum in integrum? Non ullus dicere debet,*
*Has libertates revocari; Nàmque manere*
*Firmæ debent,quæ ſemel obtinuere vigorem.*

§. VI.

Hæc conſtitutio libertatum tuendarum cauſa introducta eſt. Ergò ſi libertates nullæ ſunt datæ:ceſſat ( hæc ) conſtitutio. Quid ergò ſi vivus dederit libertates , vel mortis cauſa:& nemo de hoc queratur,utrū in fraude creditorum, an non factum ſit, idcircò velint ſibi addici bona , an audiendi ſint? Et magis eſt, ut audiri debeant,etſi deficiāt verba conſtitutionis.

§. *VI.*

*Hæc libertatis cauſa introducta tuendæ*
*Lex eſt.Hæc igitur ceſſabit ſanctio jure,*
*Si data ſit libertas fruſtra,& nulla. Quid ergò*
*Si vivus det libertatem,aut nomine mortis, ( qui*
*Et de hoc nemò queratur, utrū in fraudē illius,eſt*
*Creditor,an non ſit confectum, ideòque repoſcant*
*Illa ſibi addici bona, ſint utrum auribus ipſi*
*Excipiendi? Audiri debent, nulla legantur*
*Verba licet de hoc in prædicta lege notata.*

§. VII.

Sed cum multas diviſiones ejuſmodi cōſtitutioni deeſſe perſpeximus, lata eſt à nobis pleniſſima conſtitutio, in qua multæ ſpecies collatæ ſunt, quibus jus hujuſmodi ſucceſſionis pleniſſimum eſt effectum , quas ex ipſius lectione conſtitutionis poteſt quis cognoſcere.

§. *VII.*

*Sed legi huic cum deficientia vidimus eſſe*
*Permulta , à nobis lex eſt pleniſſima lata,*
*In qua collatæ ſpecies , parteſque fuerunt*
*Multæ, queis pleniſſima jura effecta videntur*
*Sic ſuccedendi, poterit quas noſcere quiſque,*
*Si legat attentè legem, obſervetque tenorem.*

## *De ſucceſſionibus ſublatis , quæ fiebant per bonorum venditiones , & ex Senatusconſulto Claudiano.*

## TITVLVS XIII.

ERant ante prædictam ſucceſſionē olim & aliæ per univerſitatem ſucceſſiones, qualis fuerat bonorum emptio, quæ de bonis debitoris vendēdis per multas ambages fuerat introducta , & tunc locum habebat, quādo judicia ordinaria in uſu fuerant, ſed cum extraordinariis judiciis poſteritas uſa eſt: ideò cum ipſis ordinariis judiciis,etiam bonorum venditiones expiraverunt,& tantummodò creditoribus datur officio Judicis bona poſſidere , & prout utile eis viſum eſt, ea diſponere, quod ex latioribus Digeſtorum libris perfectiùs apparebit.

*ANte modum ſuccedendi, quē diximus olim,*
*Jàm generalis erat quædā ſucceſſio,qualis*
*Emptio, per multas quam ambages vidimus eſſe*
*Introductam de vendendis rebus eorum,*
*Solvere qui debent;Et talis tunc locum habebat*
*Emptio,judicium fuerat cum ex ordine in uſu,*
*Sed cum poſteritas latis ex ordine nullo*
*Uſa eſt judiciis,idcircò ex ordine latis*
*Judiciis fuerat cum ipſis extincta bonorum*
*Venditio,& tantùm retinet bona creditor ipſa*
*Judicis officio,penitùs diſponere & illa,*
*Utile ei in quantum viſum eſt,quod clariùs omne*
*Ex Digeſtorum libris quis noverit amplis.*

§. I. §. *I.*

Digitized by Google

indè etiam mutuum appellatum eſt, quia ità à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat: & ex eo contractu naſcitur actio, quæ vocatur condictio.

§. I.

Is quoque, qui non debitum accepit ab eo, qui per errorem ſolvit, re obligatur: daturque agenti contrà eum propter repetitionem condictitia actio. Nàm perindè ei condici poteſt, ſi apparet eum dare oportere, ac ſi mutuum accepiſſet. Undè pupillus, ſi ei ſine tutoris auctoritate indebitum per errorem datum eſt, non tenebitur indebiti condictione: non magis, quàm mutui datione. Sed hæc ſpecies obligationis non videtur ex contractu conſiſtere: cum is, qui ſolvendi animo dat, magis voluerit negotium diſtrahere, quàm contrahere.

§. II.

Item is, cui res aliqua utenda datur, ideſt, commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is, ab eo, qui mutuum accepit, longè diſtat; nàmque non ità res datur, ut ejus fiat: & ob id de ea re ipſa reſtituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, ſi quolibet fortuito caſu amiſerit, quod accepit: veluti, incendio, ruina, naufragio, aut latronum, hoſtiumve incurſu: nihilominus obligatus remanet. At is, qui utendum accepit, ſanè quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare jubetur: nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus adhibere ſolitus eſt; ſi modò alius diligentiùs poterat eam rem cuſtodire: ſed propter majorem vim, majoresve caſus non tenetur, ſi modò nō ipſius culpa is caſus intervenerit, alioqui ſi id, quod tibi commodatum eſt domi, peregrè tecum ferre malueris, & id incurſu hoſtium, prædonumve: vel naufragio amiſeris, dubium non eſt, quin de reſtituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc propriè intelligitur, ſi nulla mercede accepta, vel conſtituta, res tibi utenda data eſt; alioqui mercede interveniente, locatus tibi uſus rei videtur. Gratuitum enim debet eſſe commodatum.

§. III.

Præterea & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, teneturque actione depoſiti: quia & ipſe de ea re, quam accepit,

*Ex meo ut efficiatur jàm tuum, & actio ab illò*
*Extemplo contractu oritur, condictio dicta.*

§. *I.*

*Is quoque, qui fortè accepit non debita ab illo,*
*Solvit qui errore, hoc contractu, reque tenetur,*
*Eſt & agenti contrà illum condictio danda,*
*Ut repetat quodcumque fuit non jure ſolutum;*
*Nàmque perindè poteſt ipſi condicier, ipſum*
*Si apparet dare oportere, ac ſi mutuum ab illo*
*Accepiſſet. Pupillo hinc ſi errore ſolutum*
*Sit ſine conſenſu tutoris, forſitan ipſi*
*Quod non debetur, dabitur condictio nulla*
*Contrà ipſum: pupillus nec datione tenetur*
*Mutui. At hæc vincli ſpecies non eſſe videtur*
*Ex contractu; quandoquidem diſtractio ab illo,*
*Dat qui animo ſolvendi, non contractio fiet.*

§. *II.*

*Præterea, eſt ut jure ſtatutum, re obligat illum,*
*Cui rem utendā quis dat, ideſt rem cōmodat, inq;*
*Accipientem danti idcircò eſt actio danda;*
*At verò accipiens longè is diſtabit ab illo,*
*Accepit qui mutuum; Ità haud res nàmq; putatur*
*Jàm dari, ut ejus fiat, & idcircò ipſe tenetur*
*De re reſtituenda ipſa, quam fortè recepit.*
*Mutuum at accipiens, caſu ſi quolibet ipſam*
*Fortuito rem amiſerit, ut flammisve, ruina,*
*Naufragio navis laceræ, incurſuve latronum,*
*Adſtrictus juris vinclo remanebit, at is, qui*
*Utendam rem accepit, cuſtodire jubetur*
*Exacto ſtudio rem ipſam, nec ſufficit olli,*
*Sedulitatem illam poſuiſſe, adhibere ſolebat*
*In rebus quantam propriis, ſolertior ipſam*
*Si modò rem poterat ſtudio quicumque tueri.*
*Sed non ob majorem vim, caſusve tenetur*
*Majores, ipſius culpa dummodò caſus*
*Non evenit; nàmq; domi quod commodat ullus,*
*Malueris peregrè tecum ſi ferre per Orbem,*
*Hoſtium & incurſu prædonum, ſivè ruina,*
*Naufragio laceratæ amittas ſivè carinæ,*
*De re reddenda, dubium haud eſt, quin tenearis.*
*Jàm verò propriè rem tunc quis commodat, ulla*
*Rem utendam dederit eum non mercede ſtatuta;*
*Aſt accepta, aut ſuppoſita mercede, locatus*
*Jure rei meritò ipſius cenſebitur uſus;*
*Nàm gratis debet dare, qui rem cōmodat ullam.*

§. *III.*

*Prætereaque tenebitur, obque ligabitur ille*
*Re quoq; apud quem res deponitur, actio in ipſum*
*Depoſiti & dabitur, quia ea de re ipſe tenetur*

pit, reſtituenda tenetur. Sed is ex eo ſolo tenetur,ſi quis dolo cōmiſerit,culpæ autem nomine, ideſt, deſidiæ,aut negligentiæ non tenetur. Itàque ſecurus eſt,qui parum diligenter cuſtoditam rem furto amiſerit: quia qui negligenti amico rem cuſtodiendam tradit,(non ei,) ſed ſuæ facilitati id imputare debet.

*Reſtituenda,quam accepit.Commiſerit indè*
*Sed ſi quid fortaſſe dolo, vel fraude, tenetur,*
*At non deſidiæ ullius, vel nomine culpæ.*
*Si ergò depoſitam furto rem amiſerit ille*
*Parvo ſervatam ſtudio,ſecurus habetur;*
*Nàm qui ſervandam pigro rem tradit amico,*
*Id ſibi,non illi debet convertere culpæ.*

§. IV.

Creditor quoque, qui pignus accepit,re obligatur,quia & ipſe de ea re,quam accepit, reſtituenda,tenetur actione pignoratitia. Sed quia pignus utriuſq; gratia datur, & debitoris, quò magis pecunia ei credatur, & creditoris, quò magis ei in tuto ſit creditū; placuit ſufficere,ſi ad eam rem cuſtodiendam exactam diligentiam adhibeat: quam ſi præſtiterit, & aliquo fortuito caſu rem amiſerit, ſecurum eſſe, nec impediri creditum petere.

*§. IV.*

*Re quoque conſtrictus remanebit creditor ille,*
*Qui accepit pignus,quia de re etiam ipſe tenetur,*
*Quam accepit,reddenda,& pignoris actio danda*
*Debenti eſt in eum.Pignus verò quia cauſa*
*Utriuſque datur, debenti ſcilicet ipſi*
*Quò mage credātur nūmi, & quò creditor exſtet*
*Tutior; eſſe ſatis placuit,ſit ni impiger ipſe*
*In reſervanda,ſtudio ſi nàmque tuetur*
*Rem exacto, caſuq; deindè amiſerit ipſam*
*Fortuito, omninò ſecurus habebitur, illi*
*Credita poſcendi eſt etiam tribuenda facultas.*

## *De verborum obligationibus.*

## TITVLVS XVI.

VErbis obligatio contrahitur ex interrogatione, & reſponſione, cum quid dari, fierive nobis ſtipulamur: ex qua duæ proficiſcuntur actiones,tàm condictio certi, ſi certa ſit ſtipulatio, quàm ex ſtipulatu, ſi incerta ſit: quæ hoc nomine indè utitur, quod ſtipulum apud veteres firmum appellabatur,fortè à ſtipite deſcendens.

*COntrahitur juris vinclū,obq;ligatio verbis,*
*Unus ſi reſpondeat,atque interroget alter,*
*Cum nobis ſtipulamur,quid fierive,darive.*
*Ex quo oritur gemina actio,ideſt condictio certi,*
*Si fuerit ſtipulatio certa,atque ex ſtipulatu,*
*Si haud fuerit ſtipulatio certa;hocque utitur indè*
*Nomine, quòd ſtipulum firmum dixère priores,*
*Stipite de duro fuerat fortaſſe vocatum.*

§. I.

In hac re olim talia verba tradita fuerunt: *Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide promittis? Fide promitto. Fidejubes? Fidejubeo. Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Utrum autem Latina, an Græca, vel qualibet alia lingua ſtipulatio concipiatur, nihil intereſt: ſcilicet ſi uterque ſtipulantium intellectum ejus linguæ habeat: nec neceſſe eſt eadem lingua utrumque uti, ſed ſufficit congruenter ad interrogata reſpondere. Quin etiam duo Græci Latina lingua obligationem contrahere poſſunt. Sed hæc ſolemnia verba olim quidem in uſu fuerunt: poſteà autem Leonina conſtitutio lata eſt, quæ ſolemnitate verborum ſublata ſen-

*§. I.*

*Hæc in re quondam fuerant hæc tradita verba:*
*Spondes? Spondeo. Promittis? Promitto. Fide ne*
*Promittis? Promitto fide. Ipſe fide ne jubes? Nunc*
*Ipſe fide jubeo. Dabis? Ipſe dabo. Efficies ne?*
*Efficiam. Verùm utrum Græca hæc,an ne latina,*
*Quavis aut alia lingua ſtipulatio fiat,*
*Nil refert; ſtipulantes ſi ejus ſcilicet omnem*
*Intellectum habeant linguæ, nec uterq; neceſſe eſt*
*Lingua utatur eadem; verùm ſufficit apta*
*Si detur reſponſio ei, qui interrogat: Immo-*
*Contrahere & poſſunt lingua,verbisque latinis*
*Jàm bini Græci. Verùm ſolemnia verba*
*Hæc quidem in uſu olim fuerāt,ſed poſteà lata eſt*
*Sanctio Sacra Leonis,quæ hæc ſolemnia verba*
*Subſtulit, ex parte & dumtaxàt poſcit utraque*
*Ex-*

Digitized by Google

ſenſum ; & conſonantem intellectum ab utraq; parte ſolùm deſiderat , licet quibuscumque verbis expreſſum ſit.

§. II.

Omnis ſtipulatio aut purè , aut in diem, aut ſub conditione fit. Purè, veluti: *Quinque aureos dare ſpondes* ? Idque confeſtim peti poteſt. In diem, cum adiectio die, quo pecunia ſolvatur, ſtipulatio fit, veluti: *decem aureos primis kalendis Martiis dare ſpondes*? Id autem, quod in diem ſtipulamur, ſtatim quidem debetur : ſed peti prius, quàm dies venerit , non poteſt : at ne eo quidem ipſo die, in quem ſtipulatio facta eſt, peti poteſt: quia totus is dies arbitrio ſolventis tribui debet. Neque enim certum eſt eo die, in quem promiſſum eſt, datum non eſſe prius, quàm is præterierit.

§. III.

At ſi ità ſtipuleris : *decem aureos annuos, quoad vivam , dare ſpondes* ? & purè facta obligatio intelligitur, & perpetuatur, quia ad tempus non poteſt deberi: ſed hæres petendo , pacti exceptione ſubmovebitur.

§. IV.

Sub conditione ſtipulatio fit, cum in aliquem caſum differtur obligatio : ut ſi aliquid factum fuerit, vel non fuerit, committatur ſtipulatio, veluti: *Si Titius Conſul fuerit factus , quinque aureos dare ſpondes* ? Si quis ità ſtipuletur: *ſi in capitolium non aſcendero , dare ſpondes* ? perindè erit ac ſi ſtipulatus eſſet , cum moreretur , ſibi dari . Ex conditionali ſtipulatione tantùm ſpes eſt debitum iri : eamque ipſam ſpem in hæredem transmittimus, ſi priusquàm conditio extet, mors nobis contigerit.

§. V.

Loca etiam inſeri ſtipulationi ſolent, veluti : *Carthagini dare ſpondes* ? Quæ ſtipulatio licet purè fieri videatur, tamen re ipſa habet tempus adiectum , quo promiſſor utatur ad pecuniam Carthagini dandam. Et ideò ſi quis Roma ità ſtipuletur : *hodie Carthagini dare ſpondes* ? inutilis erit ſtipulatio; cum impoſſibilis ſit repromiſſio.

§. VI.

Conditiones, quæ ad præſens, vel præteritum tempus referuntur , aut ſtatim infirmant obligationem, aut omninò non differunt,

*Expreſſum ſenſum, intellectum, & cõſona verba*
*Nec curat queiscumque notis expreſſio ſiat.*

§. *II.*

*Aut pure, in certumve diem ſtipulatio ſiet,*
*Aut ſub conditione, velut purè: Dare quinque*
*Spondes? idque peti confeſtim eſt danda facultas.*
*Fitque diem in certum, ſi forſitan additur ipſa*
*Certa dies, eſt qua ſolvenda pecunia, ſicut*
*Aprilis primis ſpondes dare quinque kalendis?*
*Quodq; diem in certũ ſtipulamur jàm illicò planè*
*Debetur. Verùm ante dies quàm venerit ipſe,*
*Non poterit poſci . Poterit nec creditor illo*
*Ipſe die petere, in quem ſit ſtipulatio facta;*
*Totus enim ille dies ſolventis dandus apertè*
*Arbitrio eſt; Neq; enim die eo certum eſſe putatur,*
*In quem promiſſum fuerat, non eſſe tributum,*
*Ante dies præſcriptus quàm tranſiverit ille.*

§. *III.*

*At ſi ſic ſtipulère: decem tu quolibet anno*
*Quo ad vivam dare ſpondes ? Obq; ligatio purè*
*Facta intelligitur, tùm perpetuatur & indè;*
*Nàm nequit ad tempus deberier, atque petendo*
*Hæredem removebit jure exceptio pacti.*

§. *III.*

*Fit ſub conditione autem ſtipulatio, fortè*
*In caſum cum aliquem vinclũ, obq; ligatio fertur,*
*Ut ſi quid ſiet, vel non, ſtipulatio ſiat :*
*Factus erit Titius ſi Conſul, quinque daturum*
*Te ſpondes? Iſtis ſi quis verbis ſtipuletur:*
*Si capitoli celſam non aſcendero in arcem,*
*Tu dare ſpondes? Non ſecus hoc erit, ac ſtipulatus*
*Si eſſet, vitales moriens cum linqueret auras*
*Ipſe ſibi tradi . Dumtaxàt ſpem eſſe futura,*
*Credita conditionalis ſtipulatio gignit*
*Inq; hæredem etiam nos ſpem trãsmittimus ipsã,*
*Si prius acciderit funus, quam conditio extet.*

§. *V.*

*Eſt etiam ſolitum loca, cum ſtipulatio ſiat,*
*Apponi, veluti: Romæ ſpondes ne daturum ?*
*Hæc quamvis purè ſtipulatio facta videtur,*
*Attamen adiectum cenſetur tempus habere*
*Ipſa re, eſt quo à promiſſore pecunia danda*
*Roma; ideòque modo ſi quis Carthagine tali*
*Nunc ſtipuletur: Romæ hoc tu dare tẽpore ſpõdes ?*
*Non valet hæc ſtipulatio, ſi Carthagine ſiat,*
*Haud ſieri penitùs cum repromiſſio poſſit.*

§. *VI.*

*Conditiones, quæ ad præſens tempus referuntur,*
*Præteritũve, ſtatim hæc infirmant vincula juris,*
*Aut nullum omnino ad tempus differre putantur,*

runt,veluti: *Si Titius Conſul fuit:* vel *ſi Mævius vivit, dare ſpondes?* Nàm ſi ea ità non ſunt,nihil valet ſtipulatio.Sin autem ità ſe habent,ſtatim valet. Quæ enim per rerum naturam ſunt certa, non morantur obligationem,licet apud nos incerta ſint.

§. VII.

Non ſolùm res in ſtipulatum deduci poſſunt:ſed etiam facta,ut ſi ſtipulemur aliquid fieri, vel non fieri, & in hujusmodi ſtipulationibus optimum erit pœnam ſubjicere, ne quantitas ſtipulationis in incerto ſit, ac neceſſe ſit actori probare, quod ejus interſit. Itàque ſi quis,ut fiat aliquid, ſtipuletur, ità adjici pœna debet:*Si ità factum non erit, tùnc pœna nomine decem aureos dare ſpondes?* ſed ſi quædam fieri, quædam non fieri,una, eademq;conceptione ſtipuletur quis: clauſula hujusmodi erit adjicienda. *Si adverſus ea factum erit: ſivè quid ità factum non fuerit:tunc pœna nomine decem aureos dare ſpondes?*

*Sicut: Si Titius Conſul fuit, Annius aut ſi*
*Vivit, promittis dare? Nàm ſtipulatio nullum*
*Robur habet ſi ea ſic nō ſunt;ſin autē ità habēt ſe,*
*Plane confeſtìm ſtipulatio dicta valebit;*
*Nàm quæ per rerum naturam certa manebunt,*
*Juris non ulla adſtringentia vincla morantur,*
*Quamvis à nobis incerta hæc eſſe putentur.*

*§. VII.*

*Non ſolùm res in ſtipulatum ducere quisque,*
*Verùm facta poteſt etiam,ut ſi nos ſtipulemur,*
*Aut aliquid fieri, aut non; & ſtipulatio talis*
*Si fuerit facta, optimum erit ſubjungere pœnam,*
*Ne ſit in incerto ſtipulatio, ſitque neceſſe,*
*Ejus quod refert, actori fortè probare.*
*Ergò aliquid ſi ut fiat,quis ſtipuletur,ità addi*
*Debet pœna: ità ſi non fiet,nomine pœnæ*
*Auri promittis nummos bis quinque daturum?*
*Sin autem quædam fieri, & quædam fieri non,*
*Verborum ratione una ſtipuletur eadem*
*Quis,talis ſubdenda erit illi clauſula: factum*
*Sed ſi contra ea erit,quæ nos præſcripſimus ante,*
*Seù quid ſic factum haud fuerit,tūc nomine pœnæ*
*Promittis nummos auri bis quinque daturum?*

## *Dè duobus reis ſtipulandi, & promittendi.*

## TITVLVS XVII.

ET ſtipulandi, & promittendi, duo, pluresve rei fieri poſſunt. Stipulandi ità, ſi poſt omnium interrogationem promiſſor reſpondeat,*Spondeo*:ut puta cum duobus ſeparatim ſtipulantibus ità promiſſor reſpondeat: *utrique veſtrum dare ſpondeo*. Nàm ſi prius Titio ſpoponderit, deindè alii interroganti ſpondeat: alia atque alia erit obligatio,nec creduntur duo rei ſtipulandi eſſe.Duo pluresve rei promittendi ità fiunt: *Mævi,decem aureos dare ſpondes? & Sei, eoſdem decem aureos dare ſpondes?* (ſi) reſpondeant ſinguli ſeparatim:*ſpondeo.*

*Jamque duo poſſunt, pluresve rei ſtipulandi,*
*Et promittendi fieri, ſtipulandi ita: ſi poſt*
*Quàm fuerit verbis promiſſor fortè rogatus,*
*Spondeo,reſponſum dederit,ſi nempè duobus*
*Sejunctim ſtipulantibus,hæc reſpondeat ipſe*
*Promiſſor,me ſpondeo veſtrum utrique daturum;*
*Nàmque prius Titio dare ſi promiſerit ipſe,*
*Spondeat atque deindè alii fortaſſe rogatus,*
*Tunc juris bina adſtringentia vincula habentur,*
*Atque rei bini ſtipulandi haud eſſe putantur.*
*Hac ratione rei bini, pluresve videntur*
*Confieri promittendi:Bis quinque daturum*
*Te,Mævi,ſpondes nummos? Bis quinque daturū*
*Te, Sei, nummos auri promittis? eoſdem*
*Spondeo,ſi ſpondens ſejunctim dicat uterque.*

§. I.

Ex hujusmodi obligationibus, & ſtipulationibus ſolidum ſingulis debetur, & promittentes ſinguli inſolidum tenentur. In utraque tamen obligatione una res vertitur: & vel alter debitum accipiendo, vel alter ſolvendo, omnem perimit obligationem,& omnes liberat.

*§. I.*

*Hæc ſi habeantur conſtringentia vincula juris,*
*Talibus atque modis fiat ſtipulatio verbis,*
*Debetur ſolidum cuicumque, & uterque tenetur*
*Inſolidum promittens. Res verſatur utroque*
*Attamen in vinclo una; atq;alter debita ſolvens,*
*Accipiensque alter, diſſolvit vincula bina*
*Juris,quæ conſtringebant,& liberat omnes.*

§.II. *§.II.*

§. II.

Ex duobus reis promittendi, alius purè, alius in diem, vel ſub conditione obligari poteſt: nec impedimento erit dies, aut conditio, quò minus ab eo, qui purè obligatus eſt, petatur.

*§. II.*

*Exque reis promittendi fortaſſe duobus,*
*Alter purè, alter ſub conditione ligari,*
*Inque diem poterit; Ne non poſcatur ab illo,*
*Quem juris purè adſtringentia vincla ligarunt,*
*Conditio, atque dies ratione haud impedit ulla.*

## *De ſtipulatione ſervorum.*

## TITVLVS XVIII.

SErvus ex perſona domini jus ſtipulandi habet. Sed & hæreditas in plerisque perſonæ defuncti vicem ſuſtinet, ideòque quod ſervus hæreditarius ante aditam hæreditatem ſtipulatur, adquirit hæreditati: ac per hoc etiam hæredi poſteà facto adquiritur.

*DIcitur ex domini perſona ſervus habere*
*Jus ſtipulandi, ſed perſonæ as ſuſtinet omnẽ*
*In plerisque vicem defuncti. A nomine dictus*
*Idcircò hæredis, quidquid ſtipulabitur ante*
*Aſſem aditum ſervus, quæri cenſebitur aſſi,*
*Quæritur hæredi idcircò quoque poſtea facto.*

§. I.

Sivè autem domino, ſivè ſibi, ſivè conſervo ſuo, ſivè impersonaliter ſervus ſtipuletur, domino adquirit. Idem juris eſt & in liberis, qui in poteſtate patris ſunt, ex quibus cauſis adquirere poſſunt.

*§. I.*

*Sivè autem ſibi, ſivè imperſonaliter ipſe,*
*Sivè ſuo conſervo, ſeù domino ſtipuletur*
*Si ſervus, quærit domino. Hoc & juris habetur*
*In natis, retinet patris: quos jure poteſtas*
*Ex queis nimirùm cauſis acquirere poſſunt.*

§. II.

Sed cum factum in ſtipulatione continebitur: omni modo perſona ſtipulantis continetur: veluti ſi ſervus ſtipuletur, ut ſibi ire, agere liceat, ipſe enim tantùm prohiberi non debet, non etiam dominus ejus.

*§. II.*

*Sed cum contineat planè ſtipulatio factum,*
*Perſonam certè ſtipulantis continet omni*
*Ipſa modo, veluti à ſervo ſtipulatio facta*
*Si fuerit, ſibi iter tantùm ut cedatur, & actus,*
*Ipſe iter, aut actū, haud dominus tantūmodo ha-*
*(bebit.*

§. III.

Servus communis ſtipulando, unicuique dominorum pro portione dominii adquirit: niſi juſſu unius eorum, aut nominatim alicui eorum ſtipulatus eſt, tunc enim ſoli ei adquiritur. Quòd ſi ſervus communis ſtipulatur, ſi alteri ex dominis adquiri non poteſt: ſolidum alteri adquiritur, veluti ſi res, quam dari ſtipulatus eſt, unius domini ſit.

*§. III.*

*Communis ſtipulans dominorum cuique parabit*
*Servus, ni juſſu unius, vel nomine, eorum*
*Uni ſit ſtipulatus; nàmque acquiritur illi*
*Tunc ſoli. Servus communis, ſi ſtipulatur,*
*Atque ex dominis uni acquiri non poſſit, habebit*
*Tunc alter ſolidum, ut ſi res, quas eſt ſtipulatus*
*Ipſe dari, dominus tantummodò poſſidet unus.*

## *De diviſione ſtipulationum.*

## TITVLVS XIX.

STipulationum aliæ (ſunt) judiciales, aliæ prætoriæ, aliæ conventionales, aliæ communes, tàm prætoriæ, quàm judiciales.

*JUdicialis erit quædam ſtipulatio quædam eſt*
*A Prætore, deditq; aliis conventio nomen,*
*Communes à Prætore, atq; a Judice ductæ.*

§. I.

*§. I.*

§. I.

Judiciales ſunt dumtaxàt, quæ à mero Judicis officio proficiſcuntur: veluti de dolo cautio,(vel de perſequendo ſervo, qui in fuga eſt, reſtituendove pretio.)

*§. I.*

*Judicis à puro officio dumtaxàt habetur*
*Judicialis,erit veluti de fraude, doloque*
*Cautio: de ſervo, qui aufugit, ſivè ſequendo,*
*De ſervi ipſius reddendo ſivè valore.*

§. II.

Prætoriæ ( ſunt, ) quæ à mero Prætoris officio proficiſcuntur: veluti damni infecti, ( vel legatorum. ) Prætorias autem ſtipulationes ſic exaudiri oportet, ut in his etiam contineantur Ædilitiæ; nàm & hæ a jurisdictione(prætoris) veniunt.

*§. II.*

*A puro officio Prætoris naſcitur illa,*
*Quæ eſt Prætoria, damni infecti ſcilicet, atque*
*Legati ſtipulatio. Sed Prætoria debet*
*Sic exaudiri, ut quoque contineantur in iſta*
*Hæ, quæ Ædilitiæ dicuntur; namque feruntur*
*Ipſæ etiam ex juſti Prætoris jure venire.*

§. III.

Conventionales ſunt, quæ ex conventione utriusque partis concipiuntur: ( hoc eſt, neque juſſu Judicis, neque juſſu Prætoris, ſed ex conventione contrahentium, ) quarum totidem genera ſunt, quot (penè dixerim) rerum contrahendarum.

*§. III.*

*At ſtipulatio, cui dederat conventio nomen,*
*Partis utriusque aſſenſu fiet, neque juſſu*
*Judicis, aut u llo juſſu Prætoris habetur;*
*Verùm partis utriusque hanc conventio firmat.*
*Tot verò ipſius ſpecies dicuntur haberi,*
*Quot fuerint res, de queis jàm cōtractus habetur.*

§. IV.

Communes ſunt, veluti rem ſalvam fore pupillo. ( Nàm & Prætor jubet rem ſalvam fore pupillo caveri, & interdùm Judex, ſi aliter hæc res expediri non poteſt, ) vel de rato ſtipulatio.

*§. IV.*

*Communes ſunt, ut pupillo rem fore ſalvam;*
*Mandat rem Prætor ſalvam fore namq; caveri*
*Pupillo, Judexque interdùm, ſi ipſa nequibit*
*Confieri res, de ve rato ſtipulatio fiet.*

## *De inutilibus ſtipulationibus.*

## TITULUS XX.

Omnis res, quæ dominio noſtro ſubjicitur, in ſtipulationem deduci poteſt, ſivè mobilis ſit, ſivè ſoli.

*De omni re, cujus poterit dominatus haberi,*
*Aut ſit mobilis, aut ſtabilis, ſtipulatio fiet.*

§. I.

At ſi quis rem, quæ in rerum natura non eſt, aut eſſe non poteſt, dari ſtipulatus fuerit, veluti Stichum, qui mortuus ſit, quem vivere credebat, aut hippocentaurum, qui eſſe non poſſit. Inutilis erit ſtipulatio.

*§. I.*

*Sed ſi quis rem, quā haud rerum natura creavit*
*Aut rem, quæ nequit eſſe, dari fuerit ſtipulatus,*
*Ut Stichum, ſuperis moriens qui ceſſit ab oris,*
*Vivere quem credebat, quine quit eſſe, vel Hippo-*
*Centaurum, utilis haud unquam ſtipulatio fiet.*

§. II.

Idem juris eſt, ſi rem ſacram, aut religioſam, quam humani juris eſſe credebat: vel rem publicam, quæ uſibus populi perpetuò expoſita ſit, ut forum, vel theatrum, vel liberum hominem, quem ſervum eſſe credebat, vel cujus commercium non habuerit, vel rem ſuam dari quis ſtipuletur. Nec in pendenti erit ſtipulatio ob id, quod publica res in privatam deduci, & ex libero ſervus fieri poteſt, & commercium adipiſci ſti-

*§. II.*

*Juris idem eſt, ſi ſacra, aut religioſa, putabat*
*Quæ humani juris, vel quæ ſunt publica, ſemper*
*Jam populi uſibus expoſita, ut ſublime Theatrum,*
*Sivè forū, ingenuosve homines, quos eſſe putabat*
*Servos, ſeu quorum ipſe habeat commercia nulla,*
*Remve dari propriam quis ſit ſtipulatus, ut indè*
*Non in pendenti fuerit ſtipulatio facta,*
*Quòd res deduci in privatam publica poſſit,*
*Servus ab ingenuo fieri, commercia quæri*
*Et ſtipulatori, ſtipulantis deſinere eſſe*

*Et*

ſtipulator poteſt, & res (ſua) ſtipulatoris eſſe deſinere poteſt, ſed protinus inutilis eſt. Item contrà, licet initio utiliter res in ſtipulatum deducta ſit, ſi (tamen) poſtea in aliquam eorum cauſam, de quibus ſupra dictum eſt, ſine facto promiſſoris devenerit, extinguitur ſtipulatio. At nec ſtatim ab initio talis ſtipulatio valebit: *Lucium Titium, cum ſervus erit, dare ſpondes?* & ſimilia; quæ enim natura ſua dominio noſtro exempta ſunt, in obligationem deduci nullo modo poſſunt.

§. III.

Si quis alium daturum, facturumve quid promiſerit, non obligabitur, veluti ſi ſpondeat Titium quinque aureos daturũ. Quod ſi effectum ſit, ut Titius daret, ſpoponderit, obligatur.

§. IV.

Si quis alii, quàm ei, cujus juri ſubjectus ſit, ſtipuletur: nihil agit. Planè ſolutio etiam in extraneam perſonam conferri poteſt, veluti ſi quis ità ſtipuletur: *Mihi, aut Sejo dare ſpondes?* ut obligatio quidem ſtipulatori adquiratur, ſolvi tamen Sejo, etiam invito eo, rectè poſſit, ut liberatio ipſo jure contingat, ſed ille adverſus Sejum habeat mandati actionem. Quòd ſi quis ſibi, & alii, cujus juri ſubjectus non ſit, dari decem aureos ſtipulatus eſt: valet quidem ſtipulatio; ſed utrùm totum debeatur (ſtipulatori,) quod in ſtipulationẽ deductum eſt, an verò pars dimidia: dubitatum eſt, ſed placuit, non plusquàm dimidiam partem ei adquiri. Ei (verò,) qui juri tuo ſubjectus eſt, ſi ſtipulatus ſis, tibi adquiris quia vox tua, tanquàm filii ſit, ſicuti & filii vox, tanquàm tua intelligitur in iis rebus, quæ tibi acquiri poſſunt.

§. V.

Præterea inutilis eſt ſtipulatio, ſi (quis) ad ea, quæ interrogatus fuerit, non reſpondeat: veluti ſi quis decem aureos à te dari ſtipuletur, tu quinque promittas, vel contrà: ſi modo ſcilicet id exprimas, id eſt, ſicui ſub conditione, vel in diem ſtipulanti, tu reſpondeas: *præſenti die ſpondeo*. Nàm ſi hoc ſolùm reſpondeas, *promitto*: breviter videris in eandem diem, vel conditionem ſpopondiſſe. Neque enim neceſſe eſt in reſpon-

*Et ſua res, ſed inutilis hæc ſtipulatio fiet*
*Protinus. At contrà quamvis deducta videtur*
*Utiliter prima inſtipulatum res, tamen indè*
*Cauſam in eorum aliquam ſi res devenerit, ante*
*De quibus eſt dictum, promiſſoris ſine facto,*
*Hæc ullum nunquàm ſtipulatio robur habebit.*
*At neque principio hæc ſtipulatio dicta valebat*
*Illicò: cum fuerit ſervus, Titium dare ſpondes?*
*Nàmq; ea, quæ ex dominatu noſtro exẽpta ſuaptè*
*Natura ſunt, adſtringentia vincula juris*
*Non poſſunt ulla ratione deindè reduci.*

§. *III.*

*Si quis fortè alium facturum, ſivè daturum*
*Quid promiſerit, haud ulla ratione tenetur,*
*Ut ſi promittat, Titium auri quinque daturum*
*Nummos. Quod ſi effecturum ſe ſpondeat, ipſe*
*Ut Titius daret auri hos nummos, jure ligatur.*

§. *IV.*

*Si quis fortè alii, quàm illi fuerit ſtipulatus,*
*Cui ſit ſubjectus, ſtipulatio nulla putanda eſt,*
*Conſerrique poteſt quæcumque ſolutio planè*
*Externam in perſonam, ſi quis ſcilicet iſto*
*Fortè modo ſtipuletur: ſpondes, te eſſe daturum*
*Vel mihi, vel Sejo? ut planè conſtrictio juris*
*Quæratur ſtipulatori, ſolvi attamen ipſi*
*Sejo poſſit, eo invito, contingat ut ipſo*
*Jure ſolutio. Sed contrà Sejum actio danda*
*Mandati ſit ei. Quòd ſi quis ſit ſtipulatus*
*Atque ſibi, atque illi, cui jàm non ſubditus extet,*
*Denos fortè dari nummos, ſtipulatio planè*
*Robur habet. Verùm dubitatũ eſt, debeat utrum*
*Perſolvi ſtipulatori, quod dicitur eſſe* (tem
*Deductũ in ſtipulatum omne, an tantũmodò par-*
*Dimidiam? placuit verò ſententia nobis,*
*Non plus dimidia planè illi parte parari.*
*Sin ſtipuleris ei, patrio quem jure tenebis,*
*Protinùs aequires tibi; vox tua namq; putatur,*
*Tanquàm prognati, nati vox ſicut in illis,*
*Quærere quæ poteris, tanquàm tua creditur eſſe.*

§. *V.*

*Præterea ſi quis reſponſum haud reddat ad illa,*
*De queis ſit quæſitus, erit ſtipulatio nulla,*
*Ut ſi quis fortaſſe dari denos ſtipuletur*
*Auri à te nummos, promittas quinque daturum;*
*Vel contrà purè ille & ſi ſtipuletur, & ipſe*
*Promittas penitùs ſub conditione daturum,*
*Vel contrà, verbis ſi ſcilicet exprimis iſtud,*
*Si cui nimirùm ſub conditione, diemve*
*In certum ſtipulanti tu reſponſa remittas*
*Iſta: die præſenti ego ſpondeo; nàmque remittas*
*Hoc*

ſpondendo eadem omnia repeti,quæ ſtipulator expreſſerir.

*Hoc ſi reſponſum ſolùm, promitto, in eandem*
*Ipſe diem breviter tu promiſiſſe videris,*
*Aut in conditionem;non eſt nàmque neceſſe,*
*Tùm,eum quæſitis primo reſponſa dabuntur,*
*Illa eadem repeti,ſtipulans quæ expreſſerit ante.*

### §. VI.

Item inutilis eſt ſtipulatio, ſi vel ab eo ſtipuleris, qui tuo juri ſubjectus eſt, vel ſi is à te ſtipuletur. Sed ſervus quidem non ſolùm domino ſuo obligari non poteſt, ſed ne quidem ulli alii. Filii verò familias aliis obligari poſſunt.

### §. VI.

*Præterea ſi ab eo ſtipuleris, jure poteſtas*
*Quem tua coſtringit patris, ſtipulatio nulla eſt,*
*Vel ſi à te is ſtipuletur. Sed neque vincula juris*
*Servum cōſtringunt domino, neque vincla ligare*
*Ipſum alii poſſunt;patrio at qui jure tenentur,*
*Hæc natos poſſunt aliis adſtringere vincla.*

### §. VII.

Mutum neque ſtipulari,neque promittere poſſe palàm eſt; quod & in ſurdo receptum eſt: quia & is, qui ſtipulatur, verba promittentis, & is, qui promittit,verba ſtipulantis audire debet: undè apparet non de eo nos loqui, qui tardiùs exaudit: ſed de eo,qui omnino non audit.

### §. VII.

*Mutum nec ſtipulari,nec promittere poſſe*
*Eſt certum:quodque in ſurdo nos eſſe receptum*
*Dicimus;eſt etenim ſtipulantem audire neceſſe*
*Spondentis verba, & ſtipulantis verba neceſſe*
*Audire eſt promittentem. Cognoſcitur undè*
*Non de illo,qui tardè audit,nos eſſe locutos,*
*Sed de illo,qui aliquid penitùs nō auribus haurit.*

### §. VIII.

Furioſus nullum negotium gerere poteſt,quia non intelligit,quod agit.

### §. VIII.

*Haud furioſus homo geret ulla negotia; nàmque*
*Quidquid agit,nulla ratione intelligit ipſe.*

### §. IX.

Pupillus omne negotium rectè gerit: ità tamen, ut ibi tutoris auctoritas neceſſaria ſit, adhibeatur tutor: veluti ſi ipſe obligetur, nàm alium ſibi obligare etiam ſine tutoris auctorirate poteſt.

### §. IX.

*At faciet pupillus cuncta negotia rectè,*
*Sic tamen,ut cum quæratur,qui cōprobet actum,*
*Tutor ſit ponendus, ſi nempè ipſe ligetur;*
*Nàm obligat hic alium ſibi, non tutore probante.*

### §. X.

Sed quod diximus de pupillis,utique de his verum eſt, qui jàm habent aliquem intellectum; nàm infans, & qui infantiæ proximus eſt, non multùm à furioſo diſtant: quia hujusmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum.Sed in proximis infantiæ, propter utilitatem eorum benignior juris interpretatio facta eſt, ut idem juris habeant,quod pubertati proximi. Sed qui in poteſtate parentis eſt impubes, ne auctore quidem patre obligatur.

### §. X.

*Quod verò de pupillis nos diximus ante, (teur;*
*De his verum eſt,aliquis quibus intellectus habe-*
*Nàmq;infans,& qui huic ætati proximus extat*
*Primæ,lata benignior explanatio juris,*
*Nempè habeant ut idem iuris,qui fortè propinqui*
*Sunt pubertati.Sed qui eſt ſub iure parentis*
*Impubes,auctore quidem nec patre ligatur.*

### §. XI.

Si impoſſibilis conditio obligationibus adjiciatur, nihil valet ſtipulatio. Impoſſibilis autem conditio habetur, cui natura impedimento eſt, quò minus exiſtat: veluri ſi quis ità dixerit: *Si digito Cœlum attigero,dare ſpondes?* At ſi ità ſtipuletur. *Si digito Cœlum non attigero, dare ſpondes?* purè facta obligatio intelligitur, idcòque ſtatim peti poteſt.

### §. XI.

*Conditio ſi impoſſibilis ponatur, habebit*
*Nec robur ſtipulatio. Conditio ſed habetur*
*Illa impoſſibilis, quam natura impedit ipſa,*
*Quò minus exiſtat, veluti ſi dixerit iſta*
*Quis:Digito Cœlum ſi ipſe attigero,dare ſpondes?*
*At verò ſi ità quis ſtipuletur:Tu dare ſpondes,*
*Ni Cœlum attigero digito; cenſebitur eſſe*
*Confecta hæc purè ſtipulatio, & obligat ipſa,*
*Protinus,atque ideò poſcendi eſt danda poteſtas.*

§.XII.

*§. XII.*

§. XII.

Item verborum obligatio inter abſentes concepta, inutilis eſt. Sed cum hoc materiam litium contentioſis hominibus præſtabat, fortè poſt tempus tales allegationes opponentibus, & non præſentes fuiſſe, vel ſe, vel adverſarios ſuos contendentibus, ideò noſtra conſtitutio propter celeritatem dirimendarum litium introducta eſt, quam ad Cæſarienſes advocatos ſcripſimus: per quam diſpoſuimus, tales ſcripturas, quæ præſto eſſe partes indicant omninò eſſe credendas; niſi is, qui talibus utitur improbis allegationibus, manifeſtiſſimis probationibus, vel per ſcripturam, vel per teſtes idoneos approbaverit, toto eo die, quo cõficiebatur inſtrumentum, ſeſe, vel adverſarium ſuum in aliis locis fuiſſe.

*§. XII.*

*Præterea fiet ſtipulatio inutilis inter*
*Abſentes; cum hoc materia eſſet litibus illis,*
*A quibus oppoſita hæc erat allegatio, fortè*
*Abſentes partes adverſas, ſeque fuiſſe.*
*Ad lites planè dirimendas ſanctio noſtra*
*Idcircò introducta fuit, quam ſcripſimus indè*
*Noſtræ Urbis patronis, per quam juſſimus ipſas*
*Scripturas, præſto quæ partes eſſe notabunt,*
*Credendas eſſe omninò, ni forſitan illi,*
*Improba queis opponitur allegatio talis,*
*Clarè per teſtes habiles, & ſcripta probarint,*
*Tempore, fiebat quo inſtrumentum, eſſe moratos*
*Se, vel partem adverſam aliis in partibus Orbis.*

§. XIII.

Poſt mortem ſuam dari ſibi nemo ſtipulari poterat: non magis, quàm poſt ejus mortem, à quo ſtipulabatur. Ac ne is, qui in alicujus poteſtate eſt, poſt mortem ejus ſtipulari poterat, quia patris, vel domini voce loqui videretur. Sed & ſi quis ità ſtipuletur: *Pridiè quam moriar*, vel *pridiè quam morieris*, *dare ſpondes?* inutilis erat ſtipulatio. Sed cum (ut jàm dictum eſt) ex conſenſu contrahentium ſtipulationes valeant: placuit nobis etiam in hunc juris articulum neceſſariam inducere emendationem: ut ſivè poſt mortem, ſivè pridiè quam moriatur ſtipulator, ſivè promiſſor, ſtipulatio concepta ſit, ſtipulatio valeat.

*§. XIII.*

*Nemo dari quicquàm ſibi poſt ſua fata ſuprema*
*Jàm poterat ſtipulari, non mage, quàm illius atrã*
*Poſt mortem, per quem fieret ſtipulatio & ille,*
*Alterius qui jure tenetur, jure nequibat*
*Ejus poſt mortem ſtipulari; nàmque parentis*
*Voce videretur, dominive loqui. Aſt ità ſi quis*
*Jàm ſtipulabitur: Ante die quam liqueris auras,*
*Aut uno ante die moriens, quàm funus adibo,*
*Tu dare promittis? Stipulatio inutilis olim*
*Hæc erat; aſſenſu at ſtipulantũ ut diximus ante,*
*Cum valeat ſtipulatio nos correximus iſtum*
*Articulum juris; ſtipulatio robur habere*
*Ut dicatur vel poſt mortem facta, vel ante*
*Quàm ſtipulator, vel promiſſor cedat ad aſtra.*

§. XIV.

Item ſi quis ità ſtipulatus erat: *Si navis cras ex Aſia venerit, hodie dare ſpõdes?* inutilis erat ſtipulatio, quia præpoſterè cõcepta eſt. Sed quum Leo inclytæ recordationis dotibus eandem ſtipulationem, quæ præpoſtera nuncupatur, non eſſe rejiciendam exiſtimaverit: nobis placuit, & huic perfectum robur accommodare, ut non ſolùm in dotibus, ſed etiam in omnibus valeat hujuſmodi conceptio ſtipulationis.

*§. XIV.*

*Præterea ſtipulatus quis ſi ità fortè fuiſſet:*
*Si cras ex Aſia navis pervenerit, ipſe*
*Tempore præſenti promittis, te eſſe daturum?*
*Utilis haud cenſebatur ſtipulatio; nàmque*
*Perversè concepta eſt. Sed ſtipulatio talis,*
*Ut Leo conſtituit memorandus, & inclytus orbis*
*Regnator quondam, non debet rejici in ullis*
*Dotibus. Hæc præpoſtera ſed ſtipulatio dicta eſt.*
*Perfectum huic placuit nobis concedere robur,*
*Ut non ſolùm in dotibus hæc ſtipulatio, verùm*
*Debeat in cunctis etiam retinere vigorem.*

§. XV.

Ità autem ſtipulatio concepta, veluti ſi Titius dicat: *cum moriar, dare ſpondes?* vel *cum morieris?* & apud veteres utilis erat, & nunc valet.

*§. XV.*

*Sic autem ſtipulatio facta, ut verba loquatur*
*Talia ſi Titius: moriar cum ego, te eſſe daturum*
*Spondes? Vel quando decedes? Utilis olim*
*Hæc erat, & præſenti tempore robur habebit.*

§. XVI.

Item poſt mortem alterius rectè ſtipulamur.

§. XVII.

Si ſcriptum in inſtrumento fuerit, promiſiſſe aliquem, perindè habetur, atque ſi interrogatione præcedente reſponſum ſit.

§. XVIII.

Quoties plures res una ſtipulatione cōprehenduntur, ſi quidem promiſſor ſimpliciter reſpōdeat: *dare ſpondeo*, propter omnes tenetur. Si verò unam ex his, vel quasdam daturum ſe ſpoponderit, obligatio in jis, pro quibus ſpoponderit, contrahitur. Ex pluribus enim ſtipulationibus una, vel quædam videntur eſſe perfectæ, ſingulas enim res ſtipulari, & ad ſingulas reſpondere debemus.

§. XIX.

Alteri ſtipulari (ut ſupradictum eſt) nemo poteſt. Inventæ enim ſunt hujusmodi ſtipulationes, vel obligationes ad hoc, ut unusquisq; adquirat ſibi, quod ſua intereſt, cæterùm ſi alii detur, nihil intereſt ſtipulatoris. Planè ſi quis velit hoc facere, pœnam ſtipulari conveniet, ut niſi ità factum ſit, ut eſt comprehenſum, committatur pœnæ ſtipulatio etiam ei, cujus nihil intereſt. Pœnam enim cum ſtipulatur quis, non illud inſpicitur, quod interſit ejus, ſed quæ ſit quantitas in conditione ſtipulationis. Ergò ſi quis (ità) ſtipuletur, *Titio dari*, nihil agit, ſed ſi adjecerit pœnam, *niſi dederis, tot aureos dare ſpondes?* tunc committitur ſtipulatio.

§. XX.

Sed (&) ſi quis ſtipuletur alii, cum ejus intereſſet, placuit ſtipulationem valere. Nàm ſi is, qui pupilli tutelam adminiſtrare cæperat, ceſſerit adminiſtrationem contutori ſuo, & ſtipuletur rem pupilli ſalvam fore, quoniam intereſt ſtipulatoris fieri, quod ſtipulatus eſt (cum obligatus futurus ſit pupillo, ſi malè res geſſerit) tenet obligatio. Ergò etſi quis procuratori ſuo dari ſtipulatus ſit: habebit vires ſtipulatio. Et ſi creditori ſuo (quis ſtipulatus ſit:) quod ſua intereſt, ne fortè vel pœna committatur, vel prædia diſtrahantur, quæ pignori data erant: valet ſtipulatio.

§. XXI.

*§. XVI.*

*Poſt mortem alterius rectè ſtipulatio fiet.*

*§. XVII.*

*Si ſit in inſtrumento ſcriptum pollicitum eſſe*
*Fortè aliquem, cenſetur non ſecus atque rogatus*
*Si reſponſa prius ſponſor miſiſſe feratur.*

*§. XVIII.*

*Res quoties plures ſtipulatio continet una,*
*Simpliciter promiſſor ſi hæc reſponſa remittat:*
*Me dare polliceor. Propter res ipſe tenetur*
*Omnes. Si verò promiſerit eſſe daturum*
*Se unam, vel quasdam ex his, ſola ligatio in illis*
*Contrahitur, pro queis promiſerit; eſſe videtur*
*Nàm ex multis perfectè una, aut ſtipulatio quæ-*
*De quacumq; etenim fieri ſtipulatio debet, (dam;*
*Et cuicumque rei debent reſponſa remitti.*

*§. XIX.*

*Nemo poteſt ſtipulari alii, ut nos diximus ante,*
*Nàm inventa eſt ſtipulatio, ſivè ligatio juris,*
*Ut ſibi, quod ſua refert, quisquā acquirere poſſit.*
*De reliquo ſi alii detur, ſtipulantis & indè*
*Non aliquid refert. Plane ſi fortè velit quis*
*Id facere, is debet pœnam ſtipularier, ut ni*
*Sit factum, ut conventum eſt, tunc ſtipulatio pœnæ*
*Committatur ei, cujus refert nihil. ipſam*
*Nam pœnam, cum quis ſtipulatur, protinus iſtud*
*Quod refert ipſius, non ſpectare putatur,*
*Sed quæ, quantaque cum fuerit ſtipulatio facta,*
*Pœna in conditione extet. Stipulabitur ergò*
*Si quis fortè dari Titio, nihil utile habetur.*
*Sin pœnam addat, ni dederit, tot ſolvere nummi*
*Auri promittis? Stipulatio firma manebit.*

*§. XX.*

*At verò ſi quis fortaſſe alii ſtipuletur,*
*Ejus cum referret firmum robur habebit,*
*Ut placuit, ſtipulatio; Nàm qui munera cæpit*
*Tutelæ pupilli, ſi ipſam ceſſerit ille*
*Fortè ſuo contutori, & ſalvam ſtipuletur*
*Rem fore pupilli, quoniam refert ſtipulantis*
*Confieri, quod erit ſtipulatus, cum ipſe futurus*
*Sit pupillo adſtrictus, ſi malè geſſerit indè*
*Munera tutelæ, ſtipulatio firma manebit.*
*Ergò dari proprio ſi quis fuerit ſtipulatus*
*Procuratori, ſtipulatio robur habebit.*
*Si quis ſit ſtipulatus ei, qui creditor extat,*
*Quod ſua refert, ne pœnam perſolvere fortè*
*Cogatur, vendantur vel ne prædia, eidem*
*Quæ data pignoribus fuerāt, ſtipulatio firma eſt.*

*§. XXI.*

§. XXI.

Verſa vice, qui alium facturum promiſit, videtur in ea eſſe cauſa, ut non teneatur, niſi pœnam ipſe promiſerit.

§ *XXI.*

*Qui facturum alium promiſerit, eſſe videtur*
*Cauſa in ea, ut nullo planè ſit jure coactus*
*Solvere, ni pœnam appoſitam promiſerit ipſe.*

§. XXII.

Item nemo rem ſuam futuram in eum caſum, quo ſua ſit, utiliter ſtipulatur.

§. *XXII.*

*Rem quicumque ſuam ſtipuletur fortè futuram*
*Caſum in eum, ſua quo fuerit, ſtipulatio nulla eſt.*

§. XXIII.

Si de alia re ſtipulator ſenſerit, de alia promiſſor, perindè nulla contrahitur obligatio, ac ſi ad interrogatum reſponſum non eſſet: veluti ſi hominem Stichum, à te quis ſtipulatus fuerit, tu de Pamphilio ſenſeris, quem Stichum vocari credideris.

§. *XXIII.*

*Sed ſi re de alia ſtipulator ſenſerit, atque*
*Promiſſor de alia, non ulla ligatio juris*
*Contrahitur, reſponſa perinde ac nulla tuliſſet*
*Promiſſor, veluti à te ſi quis ſit ſtipulatus*
*Stichum hominem, verùm de Davo ſenſeris, ipſe*
*Credideris Stichum vario quem nomine dici.*

§. XXIV.

Quod turpi ex cauſa promiſſum eſt: veluti ſi quis homicidium, vel ſacrilegium ſe facturum promittat: non valet.

§. *XXIV.*

*Quod turpi ex cauſa promiſſum eſt, nēpè patrare*
*Quis ſi dira homicidia, vel ſacrilegia ſpōdet, hic.*
*Hac ſtipulatio nulla erit, ullū haud robur habe-*

§. XXV.

Cum quis ſub aliqua conditione ſtipulatus fuerit: licet ante conditionem deceſſerit: poſtea exiſtente conditione hæres ejus agere poteſt. Idem eſt & ex promiſſoris parte.

§. *XXV.*

*Cum ſub conditione aliqua quis ſit ſtipulatus,*
*Vitales quàmvis auras is liquerit ante*
*Conditionem, conditione deindè manente*
*Ejus agendi eſt hæredi tunc danda facultas.*
*Eſt idem, & ex promiſſoris quoq; parte putandū.*

§. XXVI.

Qui hoc anno, aut hoc menſe dari ſtipulatus eſt: niſi omnibus partibus anni, vel menſis præteritis, non rectè petet.

§. *XXVI.*

*Eſt quicumq; dari hoc ſtipulatus menſe, vel anno,*
*Et pars præterita haud fuerit ſi qualibet anni,*
*Vel menſis, ratione poteſt expoſcere nulla.*

§. XXVII.

Si fundum dari ſtipuleris, vel hominem: non poteris continuò agere: niſi tantum ſpatium præterierit, quo traditio fieri poſſit.

§. *XXVII.*

*Dando ſi de homine, aut fundo ſtipulatio fiat,*
*Non agere extemplò poteris, ni tranſeat illud*
*Tempus, quo ſponſor promiſſum tradere poſſit.*

## *De Fidejuſſoribus.*

## TITVLVS XXI.

PRo eo qui promittit, ſolent alii obligari, qui fidejuſſores appellantur, quos homines accipere ſolent, dùm curant, ut diligentiùs ſibi cautum ſit.

*PRo ſponſore ſolent alii ſe jure ligare,*
*Eſſe fidejuſſores, qui dicuntur, & ipſos*
*Accipiunt interdùm homines, dùm fortè procurāt*
*Majori ſtudio, ut ſit jàm ſibi cautio major.*

§. I.

In omnibus autem obligationibus aſſumi poſſunt, ideſt, ſivè re, ſivè verbis, ſivè litteris, ſivè conſenſu contractæ fuerint. Ac nec illud quidem intereſt, utrum civilis, an naturalis ſit obligatio, cui adjicitur fidejuſſor, adeò quidem, ut pro ſervo quoque obligetur, ſivè extraneus ſit, qui fidejuſſorem à ſervo accipiat, ſivè ipſe dominus in id, quod

ſibi

§. *I.*

*Aſſumi at poſſunt quoicumque ligamine juris,*
*Re, literis, aut verbis, aut conſenſibus ipſa*
*Sint juris contracta ligamina. Sed neque refert*
*Adſit utrum civile, an naturale ligamen,*
*Ipſe fidejuſſor, cui conjungatur, ut idem*
*Pro ſervo teneatur, ſivè extraneus extet*
*Ille, fidejuſſorem à ſervo, qui accipit, ipſe*
*Seù proprius fuerit dominus, teneatur in illud,*

ſibi naturaliter debetur.

*Quod ſibi deberi naturæ jure putatur.*

§. II.

Fidejuſſor non tantùm ipſe obligatur, ſed etiam hæredem relinquit obligatum.

*Ipſe fidejuſsor non tantùm jure ligatur,*
*Verùm etiam hæredē cōſtrictum jure relinquit.*

§. III.

Fidejuſsor & præcedere obligationem, & ſequi poteſt.

*Inde fidejuſsor præcedere vincula juris,*
*Atque ſequi poterit, nullo diſcrimine facto.*

§. IV.

Si plures ſint fidejuſsores, quotquot erūt numero, ſinguli inſolidum tenentur. Itàque liberum eſt creditori, à quo velit ſolidum petere. Sed ex epiſtola divi Adriani compellitur creditor à ſingulis, qui modò ſolvendo ſunt, litis conteſtatæ tempore, partes petere. Ideòque ſi quis ex fidejuſsoribus eo tempore ſolvendo non ſit, hoc cæteros onerat. Sed ſi ab uno fidejuſsore crediror totum conſequutus fuerit, hujus ſolius detrimentum erit, ſi is, pro quo fidejuſſit, ſolvendo non ſit, & ſibi imputare debet, cum potuerit juvari ex epiſtola divi Adriani, & deſiderare, ut pro parte in ſe detur actio.

*Fortè fide jubeant ſi plures, jure tenentur (ergò*
*Quotquot erunt numero inſolidū. Quit creditor*
*A quocumque velit ſolidum depoſcere. Verùm*
*Divi Adriani per literas compellitur ipſe*
*Creditor à quovis, modò qui perſolvere poſſit,*
*Poſcere partes conteſtatæ tempore litis.*
*Atque fidejuſsorum idcircò tempore eodem*
*Niquis ſit ſolvendo, alios onerare putatur.*
*Totum ut ſi ipſe fidejuſſore recepit ab uno*
*Creditor, is damnum debebit ſolus habere,*
*Si pro quo ipſe fidejuſſit, non ſolvere poſſit,*
*Atque ſibi tantùm vertenda eſt culpa, juvari*
*Cum poſſit literis Adriani Principis, atque*
*Poſcere ut in ſe pro ſola parte actio detur.*

§. V.

Fidejuſsores ità obligari non poſsunt, ut plus debeant, quàm debet is, pro quo obligantur. Nàm eorum obligatio acceſſio eſt principalis obligationis: nec plus in acceſſione poteſt eſse, quàm in principali re. At ex diverſo, ut minus debeant, obligari poſsunt. Itàque ſi reus decem aureos promiſerit: fidejuſsor in quinque rectè obligatur: contrà verò obligari non poteſt. Item ſi ille purè promiſerit: fidejuſsor ſub conditione promittere poteſt; contrà verò non poteſt. Non ſolùm autem in quantitate, ſed etiam in tempore minus, aut plns intelligitur: Plus eſt enim ſtatim aliquid dare: minus eſt poſt tempus dare.

*Nemo fidejuſsor poterit ſic jure ligari,*
*Debeat ut plus illis, pro quibus ipſe ligatur;*
*Accedit debentis vinclo hoc nàmque ligamen;*
*Nec pejora eſse accedentia vincula poſsunt.*
*Ex diverſo autem poterit ſe quisque ligare,*
*Debeat ut minus. Ergò reus ſi ſpondeat auri*
*Bis quinos nummos, ſe in quinque ligare valebit*
*Ipſe fidejuſsor rectè, contràque ligari*
*Non poterit. Si etiam purè promiſerit ille,*
*Ipſe fidejuſsor ſub conditione valebit*
*Spōdere, at contra haud poterit. Cognoſcitur aut,*
*Non in quanto ſolùm, verùm in tempore ſeù plus,*
*Sivè minus. Plus eſt aliquid dare protinus, atque*
*Reddere poſt aliquod tempus minus eſse putatur.*

§. VI.

Si quid autem fidejuſsor pro reo ſolverit, ejus recuperandi cauſa habet cum eo mandati judicium.

*Proque reo ipſe fidejuſsor ſi ſolverit, indè*
*Illud, quod perſolvet, ut ipſe recuperet, omne*
*Cum illo judicium mandati fertur habere.*

§. VII.

Græcè etiam fidejuſsor ità accipitur, τῇ ἐμῇ πίστει κελεύω ἐγω. i. *mea fide jubeo ego.* (Sed & ſi dixerit) θέλω ſivè βούλομαι *ideſt volo,* ſed & φημὶ *ideſt affirmo*: pro eo erit, ac ſi dixerit, λέγω *ideſt dico.*

*Jàmque fidejuſsor Græcorum voce notatus*
*Significabit idem, ac referunt quod voce Latini.*

§. VIII.

In ſtipulationibus fidejuſsorum ſciendum eſt hoc generaliter accipi: ut quod-

*Facta fidejuſsoris cum ſtipulatio planè*
*Iit, ſic accipitur ſemper generaliter illa,*

eum- *Ut*

ſumque ſcriptum ſit quaſi actum; videatur etiam actum. Ideòque conſtat, ſi quis ſcripſerit ſe fidejuſſiſse: videri omnia ſolemniter acta.

*Ut quodcumq; quaſi actum deſcriptũ eſſe, putetur*
*Actum etiam. Hinc ſi fortè fidejuſsiſse notarit*
*Quis, ſcripto cuncta hoc ſolemniter acta videtur.*

## *De literarum obligationibus.*

## TITVLVS XXII.

OLim ſcriptura fiebat obligatio, quæ nominibus fieri dicebatur, quæ nomina hodie non ſunt in uſu. Planè ſi quis debere ſe ſcripſerit, quod ſibi numeratum non eſt, de pecunia minimè numerata, poſt multum temporis exceptionem opponere non poteſt, hoc enim ſæpiſſimè conſtitutum eſt: ſic ſit, ut & hodie, dum queri non poteſt, ſcriptura obligetur, & ex ea naſcatur condictio, ceſſante ſcilicet verborum obligatione. Multum autem tempus in hac exceptione antea quidem ex principalibus conſtitutionibus uſque ad quinquennium procedebat, ſed ne creditores diutius poſſint ſuis pecuniis forſitan defraudari, per conſtitutionem noſtram tempus coarctatum eſt, ut ultra biennii metas hujuſmodi exceptio minimè extendatur.

*Fiebant olim ſcriptura vincula juris,*
*Nominibus fieri quæ etiam dixère priores,*
*Nomina præſenti quæ non ſunt tempore in uſu.*
*Planè ſi quis ſe debere notaverit illud,* (*eſt*
*Quod ſibi non numeratũ eſt, nempè pecunia nulla*
*Quòd numerata, poteſt multum poſt tēpus ab ipſo*
*Opponi non ulla exceptio; namque ſtatutum*
*Hoc fuerat ſæpè à nobis. Hinc naſcitur, ut cum*
*Ille queri nequeat præſenti tempore, ſcripto*
*Obſtringatur, naſcatur condictio & inde,*
*Verborum ceſſante ligamine. Tempora longa*
*Hac in re ante quidem ex ſācitis Principis uſque*
*Ad quinque annos procedebant. Creditor at ne*
*Forte ſuis nummis perlongo tempore poſſit*
*Fraudari, hoc tempus reſtrinxit ſanctio noſtra,*
*Vt metas ultra bini anni exceptio talis*
*Non extendatur, lapſo atque hoc tempore ceſſet.*

## *De obligationibus ex conſenſu.*

## TITVLVS XXIII.

COnſenſu fiunt obligationes in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, ſocietatibus, mandatis. Ideò autem iſtis modis obligatio dicitur conſenſu contrahi, quia neque ſcriptura, neque præſentia omnimodo opus eſt, at nec dari quicquam neceſse eſt, ut ſubſtantiam capiat obligatio, ſed ſufficit eos, qui negotia gerunt, conſentire; unde inter abſentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epiſtolam, vel per nuncium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono, & æquo, præſtare oportet, (cum alioqui in verborum obligationibus alius ſtipuletur, alius promittat.)

*COnſenſu emptio, venditioque, locatio fiunt,*
*Et conductio, mandatum, ſociatio; at iſtis*
*Eſſe modis ideò contracta ligatio fertur,*
*Quòd non ſcriptura, aut præſentia quæritur ulla:*
*Atq; dari haud debet quicquã, ipſa ligatio robur*
*Vt capiat, verùm aſſentiri ſufficit illos,*
*Qui tractare negotia iam dicuntur, & inde*
*Abſentes inter quoque dicta negotia fiunt,*
*Per literas veluti, aut ſi nuncius afferat illa.*
*Se alteri in his cōtractibus obligat alter in illud,*
*Quod planè ex æquo, atq; bono præſtare tenetur;*
*Dicantur cum alioqui aliquem tūc verba ligare,*
*Unus cum ſtipuletur, polliceatur & alter.*

## *De emptione, & venditione.*

## TITVLVS XXIV.

EMptio, & venditio contrahitur, ſimul atque de pretio convenerit, quamvis nondum pretium numeratum ſit, ac ne arrha quidem data fuerit. Nam quod arrhæ nomine datur, argumentum eſt emptionis, & venditionis contractæ. Sed hoc quidem de emptionibus, & venditionibus, quæ ſine ſcriptura conſiſtunt, obtinere oportet: nam nihil à nobis in hujuſmodi emptionibus, & venditionibus innovatum eſt; in iis autem, quæ ſcriptura conficiuntur, non aliter perfectam eſſe venditionem, & emptionem conſtituimus, niſi & inſtrumenta emptionis fuerint conſcripta, vel manu propria contrahentium, vel ab alio quidem ſcripta, à contrahentibus autem ſubſcripta, & ſi per tabellionem fiunt, niſi & completiones acceperint, & fuerint partibus abſoluta. Donec enim aliquid deeſt ex his, & pœnitentiæ locus eſt, & poteſt emptor, vel venditor ſine pœna recedere ab emptione, (& venditione.) Ita tamen impunè (eis recedere) concedimus, niſi jam atrharum nomine aliquid fuerit datum, hoc enim ſubſequuto, ſive in ſcriptis, ſive ſine ſcriptis venditio celebrata eſt: is, qui recuſat adimplere contractum, ſi quidem eſt emptor, perdit quod dedit: ſi verò venditor, duplum reſtituere compellitur, licet ſuper arrhis nihil expreſſum ſit. Pretium autem conſtitui oportet, nam nulla emptio ſine pretio eſſe poteſt.

*EMptio, venditio fiunt, ſimul atque ſtatuto*
*De pretio fuerit conuentum, non numeratū*
*Quamvis ſit pretium, nec planè protinus Arrha*
*Sit data; nā ex illo quod nomine traditur Arrhæ*
*Venditio arguitur plerūque atque emptio facta.*
*At vero emptio, venditiove hoc debet habere,*
*Quæ ſine ſcriptura conſiſtunt; namque nouatum*
*Eſt nihil à nobis penitus contractibus iſtis.*
*Aſt his, ſcriptura, quæ fiunt, jure ſtatutum*
*Vt fuit, haud aliter perfecta hæc emptio fiet,*
*Venditioque, niſi ſcripto inſtrumenta notata*
*Jam fuerint, propria deſcripta manu, vel eorum,*
*Qui faciunt contractum, aliena forte notata*
*Vel ſint, ſed ſubſcripta manu ejus, qui emerit, atq;*
*Vendiderit, licet ipſe tabellio fecerit illa*
*Atque accepta niſi fuerit completio, cunctis*
*Partibus, & fuerint perfecta deeſſe videtur;*
*Donec enim ex iſtis aliquid, quit vēditor, emptor*
*Vel ſine pena à contractu decedere. Verùm*
*Sic decedendi eſt illis conceſſa facultas,*
*Ni ſit forte datū jam arrharū nomine quicquā*
*Hoc etenim facto ſubito celebrata putatur*
*Vēditio, aut ſcripto, aut ſine ſcripto facta ſit ipſa.*
*Is, qui contractum plane complere recuſat,*
*Quod dedit, amittit, ſi eſt emptor, venditor autē*
*Reddere cogetur duplum, expreſſum licet arrhis*
*Nil fuerit; precium at debet decernier; eſſe*
*Nāque poteſt precio ſine certo jam emptio nulla.*

### §. I.

Sed & certum eſſe pretium debet, alioqui ſi inter aliquos ita convenerit, ut quanti Titius rem æſtimaverit, tanti ſit empta inter veteres, ſatis, abundèque hoc dubitabatur, conſtaretne venditio? an non. Sed noſtra deciſio ira hoc conſtituit, ut quoties ſic, compoſita ſit: venditio, *quanti ille æſtimaverit*, ſub hac conditione ſtaret contractus, ut ſi quidem ille, qui nominatus eſt, pretium definierit: (tunc) omnimodo ſecundùm ejus æſtimationem, & pretium perſolvatur, & res tradatur, & venditio ad effectum

### *§. I.*

*Sed pretium his debet certum contractibus eſſe,*
*At ſi aliquos inter convenerit, empta putetur*
*Tanti ut res, Titius quanti reputauerit ipſam,*
*Id ſatis, ac nimium dubitarat priſca vetuſtas,*
*Venditio conſtaret ne, an non? ſanctio noſtra*
*Aſt ità conſtituit, quoties, ut facta ſit iſta*
*Venditio ratione, valere putaverit ille*
*Quanti rem, firmum contractus robur haberet*
*Ac ſub conditione, ut definiverit ille*
*Si pretium ſoluatur, res tradatur, & ipſa*
*Venditio ducatur ad effectum; Actio danda*
*Ex empto emptori plane eſt, ſed venditor ipſe*

fectum perducatur: emptore quidem ex empto actione, venditore ex vendito agente. Sin autem ille, qui nominatus eſt, vel noluerit, vel non potuerit pretium definire: tunc pro nihilo eſſe venditionem, quaſi nullo pretio ſtatuto. Quod jus, cum in venditionibus nobis placuit, non eſt abſurdum in locationibus, & (in) conductionibus trahere.

*Tunc ex vendito agat. Sin definire valorem*
*Aut nequeat, nolitve, haud ullum robur habere*
*Venditio poterit, pretiū haud ſecus atque ſtatutū*
*Non eſſet. Quod jus cum in venditionibus eſſe*
*Sit placitum nobis, etiam conductio plane,*
*Atque locatio jus iſtud retinere valebunt.*

## §. II.

Item pretium in numerata pecunia conſiſtere debet. Nam in cæteris rebus, an pretium eſſe poſſet, valde quærebatur: veluti an homo, aut fundus, aut toga alterius rei pretium eſſe poſſet. (Et) Sabinus, & Caſſius etiam in alia re putabant pretium poſſe conſiſtere, unde illud eſt, quod vulgò dicebatur, permutatione rerum, emptionem, & venditionem contrahi, eamque ſpeciem emptionis, & venditionis vetuſtiſſimam eſſe, argumentoque utebantur Græco Poetæ Homeri, qui aliquam partem exercitus Achivorum vinum ſibi comparaſſe ait, permutatis quibuſdam rebus, his verbis.

*§. II.*

*Præterea pretium nummis conſiſtere debet*
*In numeratis; namque aliis in rebus an eſſe*
*Poſſet, quæſitū eſt, veluti an toga poſſet amœnus,*
*Cāpus, homo eſſe rei alterius pretiū? atq; Sabinus*
*Caſſius in re alia conſiſtere poſſe putabant.*
*Contractum hunc faciebat permutatio rerum,*
*Et vulgò dicebant, has nimis eſſe vetuſtas*
*Contractus ſpecies, atque utebantur Homeri*
*Græco argumento, vinum qui dixit, Achivos*
*Quæſiviſſe ſibi, cum permutatio rerum*
*Facta illis fuerit, cecinit quod verſibus iſtis:*

Ἔνθεν ἄρ' οἰνίζοντο καρηκομόωντες Ἀχαιοί,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ' αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ' αὐτῇσι βόεσσι,
Ἄλλοι δ' ἀνδραπόδεσσι.

*Hinc ſibi certatim gentis de more comati*
*Vina parant Græci ære dato, fulgenteque ferro,*
*Tergoribuſque bovum, ſed & ipſis mancipiiſque.*

*Ideſt.*

Diverſæ ſcholæ auctores contra ſentiebant; aliud que eſſe exiſtimabant permutationem rerum, aliud emptionem, & venditionem, alioqui non poſſe rem expediri, permutatis rebus, quæ videatur res veniſſe, & quæ pretii nomine data eſſe; nam utramque videri, & veniſſe, & pretii nomine datam eſſe, rationem non pati. Sed Proculi ſententia, dicentis permutationem propriam eſſe ſpeciem contractus à venditione ſeparatam merito prævaluerit, & cum ipſe aliis Homericis verſibus adjuvabatur, & validioribus rationibus argumentabatur, quod & anteriores divi principes admiſerunt, & in noſtris Digeſtis latiùs ſignificatur.

*Diverſæ atq; ſcholæ authores cōtra iſta putabant;*
*Namque aliud per eos fuerat mutatio rerum,*
*Emptio, venditioque aliud. Res ipſa alioqui*
*Non poſſet cognoſci; permutatio rerum*
*Cum fuerit facta, & quæ res veniſſe videtur,*
*Eſſe data & pretii certi quæ nomine. Planè*
*Utraque nam veniſſe pari ratione videtur,*
*Eſſe data & pretii certi res nomine. Verùm*
*Tradidit ut merito Proculi ſententia, forma*
*Propria contractus eſt permutatio rerum*
*Et ſejuncta à venditione. Aliis & Homeri*
*Verſibus ipſe juvabatur, rationibus uſus,*
*Et mage pervalidis, fuerat quod ſæpè vetuſtis*
*Principibus Divis admiſſum, latiùs atque*
*In noſtris fuerat digeſtis inde notatum.*

## §. III.

Quum autem emptio, & venditio contracta ſit. (quod effici diximus, ſimul atque de

*§. III.*

*Jam verò cum venditio ſit, & emptio facta;*
*De pretio ſimul atque priùs convenerit, ipſa*
Cum

de pretio convenerit, cum ſine ſcriptura res agitur) periculum rei venditæ ſtatim ad emptorem pertinet, tametſi adhuc ea res emptori tradita non ſit. Itaque ſi homo mortuus ſit, vel aliqua parte corporis læſus fuerit, aut ædes totæ, vel aliqua ex parte incendio conſumptæ fuerint, aut fundus vi fluminis totus, vel aliqua ex parte ablatus ſit, ſive etiam inundatione aquæ, aut arboribus turbine dejectis, longè minor, aut deterior eſſe cœperit, emptoris damnum eſt, cui neceſſe eſt, licet rem non fuerit nactus, pretium ſolvere. Quicquid enim ſine dolo, & culpa venditoris accidit, in eo venditor ſecurus eſt. Sed & ſi poſt emptionem fundo aliquid per alluvionem acceſſerit ad emptoris commodum pertinet. Nam & commodum ejus eſſe debet, cujus periculum eſt. Quod ſi fugerit homo, qui venit, aut ſubreptus fuerit, ita ut neque dolus, neque culpa venditoris intervenerit, animadvertendum erit, an cuſtodiam ejus, uſque ad traditionem venditor ſuſceperit. Sanè enim ſi ſuſceperit, ad ipſius periculum is caſus pertinet, ſi non ſuſceperit, ſecurus eſt. Idem & in cæteris animalibus, cæteriſque rebus intelligimus. Utique tamen vindicationem rei, & condictionem exhibere debebit emptori, quia ſanè qui nondum rem emptori tradidit, adhuc ipſe dominus eſt. Idem etiam eſt de furti, & de damni injuriæ actione.

*Cum ſine ſcriptura geritur res, omne periclum*
*Spectat ad emptorẽ, quamvis res tradita non ſit*
*Emptori. Ergo homo ſi ſuperis deceſſit ab oris,*
*Vel ſi parte aliqua fuerit de corpore læſus,*
*Aut fuerint ædes totæ, vel parte crematæ*
*Ex aliqua, aut totum fuerit vi fluminis arvum*
*Ablatum, vel parte aliqua, vel propter inundans*
*Flumen, & arboribus dejectis turbine longe*
*Eſſe minus, vel deterius jam cæperit, omne*
*Emptoris damnum eſt, precium qui ſolvere debet,*
*Rẽ licet haud nactus fuerit; Nã quod ſine culpa*
*Accidit, atque dolo illius, qui vendidit, ipſe*
*Venditor eſt ſecurus in illo. Aſt emptio facta*
*Poſt quã eſt, addiderit tũ quodcumq; alluvio agro*
*Spectat ad emptorem; illius nam cõmoda debent*
*Eſſe, periclum cujus erit. Si fugerit ergo,*
*Qui venit, fueritve abreptus, nec dolus, ulla*
*Nec culpa intervenerit ejus, venditus à quo*
*Servus erit, quicumque advertere debet, an uſq;*
*Ad tempus quo eſt tradendus, cuſtodia cepta*
*A vendente fuit. Nam ſi ſuſceperit, iſte*
*Caſus ad ipſius plane attinet omne periclum,*
*Et ſecurus erit, ſi non ſuſceperit illam.*
*Hoc intelligitur cunctis animalibus, atque*
*Omnibus in rebus; tamen emptã vindicat emptor*
*Rem, emptorique dari debet condictio. Planè*
*Eſt dominus, qui emptori, haud dũ rẽ tradidit, ipſe*
*Eſt etiam domino furti, ac damni actio danda.*

§. IV.

Emptio tàm ſub conditione, quàm purè contrahi poteſt. Sub conditione, veluti, *Si Stichus intra certum diem tibi placuerit, erit tibi emptus aureis tot.*

§. *IV.*

*Et ſub conditione, & pure jam emptio fiet.*
*Fit ſub conditione, velut ſi forte placebit,*
*Stichus certum intra tempus cenſebitur emptus*
*A te tot nummis auri, quos ſolvere debes.*

§. V.

Loca ſacra, vel religioſa, item publica, (veluti forum, baſilicam) fruſtra quis ſciens emit, quæ tamen ſi pro profanis, vel privatis deceptus à venditore quis emerit: habebit actionem ex empto, quod non habere ei liceat, ut conſequatur, quod ſua intereſt, eum deceptum non eſſe. Idem juris eſt, ſi hominem liberum pro ſervo emerit,

§. *IV.*

*Nequicquã quis emit gnarus loca publica, ſacra,*
*Religioſa, forum veluti, templũ, atque theatrum:*
*Quæ deceptus pro privatis, ſive profanis*
*Si quis emat, confeſtim ex empto erit actio dãda,*
*Illud quò obtineat, quod ei nec habere licebit;*
*Refert nãque ſua, haud captum ſe fraude fuiſſe.*
*Juris idem eſt, homo pro ſervo ſi liber ematur.*

De

## *De locatione, & conductione.*

## TITVLVS XXV.

LOcatio, & conductio proxima eſt emptioni, & venditioni: iiſdemque juris regulis conſiſtit. Nam ut emptio, & venditio ita contrahitur, ſi de pretio convenerit: ſic & locatio, & conductio ita contrahi intelligitur; ſi merces conſtituta ſit, & competit locatori quidem locati actio, conductori verò conducti.

*EMptio, vẽditioque, locatio proxima habẽtur,*
*Et cõductio, & eſt eadem ipſis regula juris.*
*Sicut contrahitur nam venditio, emptio, ſi ſit*
*De pretio conventum, ſic conductio jure,*
*Atque locatio contrahitur, ſi certa ſtatuta*
*Adſit merces; atque locanti jure locati,*
*Conducti verò conductori actio danda eſt.*

### §. I.

Et quę ſupra diximus, ſi alieno arbitrio pretium promiſſum fuerit: eadem & de locatione, & conductione dicta eſſe intelligimus, ſi alieno arbitrio merces permiſſa fuerit. Qua de cauſa ſi fulloni polienda, curandave, ac ſarcinatori ſarcienda veſtimenta quis dederit, nulla ſtatim mercede conſtituta, ſed poſtea tantum daturus, quãtum inter eos convenerit: non propriè locatio, & conductio contrahi intelligitur, ſed eo nomine actio præſcriptis verbis datur.

### *§. I.*

*Si precium arbitrio alterius, quod diximus ante*
*Commiſſum ſit, idem nos dicimus eſſe putandum,*
*Si arbitrio alterius merces ſit dicta remiſſa,*
*Cum fuerit conductio, ſivè locatio facta.*
*Hinc ſi quis dederit fulloni, ut leviget unctas,*
*Veſtes, ſivè alicui laceras ut ſarciat illas,*
*Attamen extemplo nulla mercede ſtatuta,*
*Sed tantum, quantum inter eos convenerit, inde*
*Ipſe daturus, non propriè conductio, nulla*
*Atque locatio contrahitur, verùm actio verbis*
*Præſcriptis illo jam nomine danda putatur.*

### §. II.

Præterea ſicut vulgò quærebatur, an permutatis rebus emptio, & venditio contraheretur: ità quæri ſolebat de locatione, & conductione, ſi fortè rem aliquã utẽdam, ſivè fruendam tibi aliquis dederit, & invicem à te utendam, ſivè fruendam aliam (rem) acceperit. Et placuit non eſſe locationem, & conductionem, ſed proprium genus contractus, veluti ſi cum unum bovem quis haberet, & vicinus ejus unum, placuerit inter eos, ut per denos dies invicem boves commodarent, ut opus facerent, & apud alterum (alterius) bos perierit: neque locati, neque conducti, neque commodati competit actio: quia non fuit commodatum gratuitum, verùm præſcriptis verbis agendum eſt.

### *§. II.*

*Præterea ut vulgò quæſitum erat, emptio vera,*
*Venditioque an permutatis rebus haberi*
*Poſſet, ſic peti erat ſolitum, ſi fortè fruendam,*
*Utendamve aliquã rem quis dederit tibi, verùm*
*A te aliam accipiat rem utendã, ſivè fruendam,*
*An fuerit conductio, ſivè locatio? Nobis*
*Ut placuit, conductio, ſivè locatio nulla eſt,*
*Sed genus eſt propriũ contractus, cũ quis haberet*
*Unum nempè bovem, ipſius vicinus & unum,*
*Inter eos placeat bis quinis fortè diebus*
*Inuicem ut acciperent tauros, ut ſcindere aratro*
*Tellurem poſſent apud unum fortè peremptus*
*Bos fuit alterius, non competit ulla locati*
*Actio, nec conducti, commoda nulla putantur*
*Jàm data; nãq; datũ eſt gratis nihil, attamẽ ipſis,*
*Ut placuit, præſcriptis competit actio verbis.*

### §. III.

Adcò autem aliquam familiaritatem inter ſe videntur habere emptio, & venditio, item locatio, & conductio: ut in quibusdam cauſis quæri ſoleat, utrum emptio & venditio contrahatur, an locatio, & conductio

### *§. III.*

*Sic verò inter ſe planè conjuncta videntur*
*Emptio, venditio, pariterque locatio, cauſis*
*Et conductio nonnullis, expoſcere quidam*
*Ut ſoleant ſæpè, utrum venditio, emptio fiat,*
*An conductio, & ipſa locatio. Id accidit ecce,*

 *Præ-*

ductio : ut ecce de pṛędiis , quæ perpetuò quibuſdam fruenda rraduntur , ideſt, ut quamdiù pẽſio, ſivè reditus pro his domino præſtetur, neque ipſi conductori, neque hæredi ejus , cuive conductor, hæreſve ejus id prædium vendiderit , aut donaverit, aut dotis nomine dederit , aliove quocumque modo alienaverit: auferre liceat . Sed talis contractus, quia inter veteres dubitabatur, & à quibuſdam locatio , à quibuſdam venditio exiſtimabatur : lex Zenoniana lata eſt , quæ emphyteuſeos contractus propriam ſtatuit naturam , neque ad locationem, neq; ad venditionem inclinantem, ſed ſuis pactionibus fulciendam : & ſi quidèm aliquid pactum fuerit, hoc ita obtinere , ac ſi naturalis eſſet contractus: ſin autem nihil de periculo rei fuerir pactum : tunc ſiquidem totius rei interitus acceſſerit: ad dominum ſuper hoc redundare periculum : ſin autem particularis : ad emphyteuticarium hujuſmodi damnũ venire : quo jure utimur.

*Prædia perpetuò ſi cui non nulla fruenda*
*Tradantur, donec reditus, vel penſio detur*
*Pro his domino, conductori , aut hæredibus eius,*
*Aut cui vendiderit conductor prædia , & hæres,*
*Aut donaverit, aut dederit ſub nomine dotis,*
*Aut quacumque alienarit ratione, modoque,*
*Auferre haud liceat. Contractus ſed quia talis*
*Antiquos inter dubius fuit, atque putatus*
*Eſſe locatio non nullis, à pluribus eſſe*
*Venditio . Zenonis erat jam ſanctio lata,*
*Quæ naturam juxerat emphyteuſeos eſſe;*
*Inde locatio, venditio haud foret ipſe vocandus,*
*Sed propriis pactis debet fulcirier, atque*
*Si quid ſit pactum, hoc habeat contractus, ut eſſet*
*Si naturalis. De aliquo ſin nulla periclo*
*Pacta rei ſint, totius ſi acceſſerit inde*
*Forte rei interitus, ſuper hoc ſpectare periclum*
*Ad dominum debet; ſin particularis: ad ipſum*
*Tunc dominũ emphyteuſeos damnũ tale venire.*
*Utimur ac noſtro Zenonis tempore lege.*

§. IV.

Item quæritur, ſi cum aurifice Titius cõvenerit , ur is ex auro ſuo certi ponderis, certæque formæ annulos ei faceret, & acciperet ( verbi gratia) decem aureos : utrum emptio, & venditio, an locatio, & conductio conrrahi videatur ? Caſſius ait , materiæ quidem emptionem, & venditionem contrahi, operæ autem locationem, & conductionem. Sed placuit tantùm emptionem, & venditionem contrahi . Quod ſi ſuum aurum Titius dederit , mercede pro opera conſtituta : dubium non eſt, quin locatio, & conductio ſit.

§. *IV.*

*Cum aurifice autem ſi Titius convenerit, auro*
*Fortè ſuo, ut forma præſcripta , & pondere certo*
*Annuli ei fierent, atque acciperentur ab ipſo*
*Nempè decẽ, emptio, vẽditio ſit, quæritur, utrum,*
*An conductio, ſivè locatio ? Caſſius autem*
*Ut docet expreſſè, emptio, venditioque ſecundùm*
*Materiem. ſed iuxtà operam conductio fiet,*
*Atque locatio, at ut placuit ſententia nobis ,*
*Venditio hoc in caſu tantùm. atque emptio fiet.*
*Quod ſi fortè ſuum Titius, mercede ſtatuta,*
*Aurum tradiderit pro opera, tunc non dubitatur,*
*Quin conductio, nec non vera locatio fiat.*

§. V.

Conductor (autem) omnia ſecundùm legem conductionis facere debet : & ſi quid in lege prætermiſſum fuerit: id ex bono, & æquo præſtare. Qui pro uſu aut veſtimentorum, aut argenti , aut jumenti mercedem aur dedit, aut promiſit : ab eo cuſtodia talis deſideratur , qualem diligentiſſimus paterfamilias ſuis rebus adhibet; quam ſi præſtiterit, & aliquo caſu(fortuito eam)rem amiſerir : de reſtituenda ea non tenebitur.

§. *V.*

*Efficere at debet conductor cuncta ſecundùm*
*Legẽ contractus. Si in lege aliquid ſit omiſſum,*
*Debebit præſtare hoc ex æquoque, bonoque,*
*Qui pro uſu veſtitus, argenti, vel equorum*
*Mercedem aut dedit, aut ſpondet, cuſtodia talis*
*Poſcetur, qualem ſoleant adhibere parentes*
*Familiæ in propriis ſervandis rebus, & ipſe*
*Hanc ſi præſtiterit, rem & caſu amiſerit illam*
*Fortuito, de reddenda ipſa haud jure tenetur.*

§. VI.

Mortuo conductore intra tempora conductionis, hæres ejus eodem jure in conductione ſuccedit.

§. *VI.*

*Conductor contractus ſi deceſſerit intra*
*Tempora, iure hæres eius ſuccedit eodem.*

## *De ſocietate.*

# TITVLVS XXVI.

SOcietatem coire ſolemus aut totorum bonorum, quam Græci ſpecialiter κοινωνίαν appellant, aut unius alicujus negotiationis, veluti mancipiorum vendendorum, emendorumque, aut olei, aut vini, aut frumenti ēmendi, vendendique.

*TOtorum fieri ſociatio ſivè bonorum*
*Eſt ſolita, hanc Græci ſpeciali voce vocarunt:*
*Sivè rei unius; veluti vendendi, & emendi*
*Servorum, Cererisve, olei grativè ſalerni.*

§. I.

Et quidem ſi nihil de partibus lucri, & damni nominatim cōvenerit: æquales ſcilicet partes & in lucro, & in damno ſpectātur. Quod ſi expreſſæ fuerint (partes:) hæ ſervari debent. Nec enim unquam dubium fuit, quin valeat conventio, ſi duo inter ſe pacti ſint, ut ad unum quidē duæ partes & lucri, & damni pertineant, ad alium tertia.

§. *I.*

*Et niſi de lucro, ac damno convenerit, æquæ*
*Et damno, & lucro partes ſpectantur in omni;*
*Si verò expreſſa fuerint, ſervarier iſtæ*
*Debent. Quin habeat validum conventio robur,*
*Nam dubium fuit haud unquam cōvenerit inter*
*Si ſocios, ut ad unum duplex portio damni,*
*Et lucri, alterum & ad ſociū pars tertia ſpectet.*

§. II.

De illa ſanè conventione quæſitum eſt, ſi Titius, & Sejus inter ſe pacti ſint, ut ad Titium lucri duæ partes pertineant, damni tertia: ad Sejum duæ partes damni, lucri tertia: an rata debeat haberi conventio? Quintus Mutius contrà naturam ſocietatis talem pactionem eſſe exiſtimavit, & ob id non eſſe ratam habendam. Servius Sulpitius (cuius ſententia prævaluit) contrà ſenſit: quia ſæpè quorundam ita pretioſa eſt opera in ſocietate; ut eos juſtū ſit conditione meliore in ſocietatem admitti. Nā & ita coiri poſſe ſocietatem non dubitatur, ut alter pecuniam conferat, alter non conferat, & tamen lucrum inter eos commune ſit, quia ſæpè opera alicujus pro pecunia valet. Et adeò contra Quinti Mutii ſententiam obtinuit, ut illud quoque conſtiterit poſſe convenire, ut quis lucri partem ferat, de damno non teneatur, quod & ipſum Servius convenienter (ſibi) fieri exiſtimavit. Quod tamē ita intelligi oportet, ut ſi in alia re lucrum, in alia damnum illatum ſit: compenſatione facta, ſolùm, quod ſupereſt, intelligatur lucro eſſe.

§. *II.*

*Si ſit Sejum inter Titium, & conventio facta,*
*Ad Titium dumtaxat lucri ut portio bina*
*Pertineat, damni verò pars tertia, damni*
*Ad Sejum binæ partes, ſed tertia lucri,*
*Quæſitum, an rata debeat hæc conventio haberi?*
*Mutius at Quintus pactum jàm tale putavit*
*Contrà naturam contractus, robur habere*
*Idcircò haud poſſe. At valuit ſententia ſervì*
*Sulpitii, ſenſit qui aliter, quia ſæpè videtur*
*Sic opera in quodam ſocio precioſa, putetur*
*Ut juſtum. ſemper meliore admittier illum*
*Conditione; etenim talem ſic poſſe coiri*
*Contractum eſt certum, nūmos ut conferat alter,*
*Conferat haud alter, tamen & commune ſit inter*
*Ipſos jam lucrum; cenſetur habere valorem*
*Nāq; opera interdum nummorū; ideoq. putatum*
*Eſt contra Quinti ſenſum conſiſtere poſſe*
*Tale etiam pactum, ut lucri ſit portio danda*
*Cuidam, de damno verò nullo teneatur,*
*Quod ſibi convenienter ſervius ipſe putavit*
*Confieri; tamen hæc ità cognoſcenda videntur,*
*Ut ſi alia ex re lucrum, alia damnumq; feratur,*
*Efficienda prius ſit compenſatio damni,*
*Poſtea quod ſupereſt ſolùm lucro eſſe putetur.*

§. III.

Illud expeditum eſt, ſi in una cauſa pars fuerit expreſſa, veluti in ſolo lucro, vel in ſolo

§. *III.*

*At verò in cauſa ſi pars expreſſa ſit una*
*In ſolo veluti lucro, damnove, at omiſſum*

ſolo damno, in altero vero omiſſa: in eo quoque, quod prætermiſſum eſt, eandem partem ſervari.

§. IV.

Manet autem ſocietas eo uſque, donec in eodem conſenſu perſeveraverint. At cum aliquis renunciaverit ſocietati, ſolvitur ſocietas. Sed planè ſi quis callidè in hoc renunciaverit ſocietati, ut obveniens aliquod lucrum ſolus habeat, veluti ſi tototum bonorum ſocius cum ab aliquo hæres eſſet relictus, in hoc renunciaverit ſocietati ut hæreditatem ſolus lucrifaceret; cogitur hoc lucrum communicare. Si quid verò aliud lucrifaciat: quod non captaverit: ad ipſum ſolùm pertinet. Ei verò, cui renunciatum eſt, quicquid omninò poſt renunciatam ſocietatem adquiritur, ſoli conceditur.

§. V.

Solvitur adhuc ſocietas etiã morte ſocii: quia qui ſocietatem contrahit, certam perſonam ſibi eligit; ſed &ſi conſenſu plurium ſocietas contracta ſit: morte unius ſocii ſolvitur, &ſi plures ſuperſint: niſi in coeunda ſocietate aliter convenerit.

§. VI.

Item ſi alicujus rei contracta ſocietas ſit, & finis negotio impoſitus eſt: finitur ſocietas.

§. VII.

Publicatione quoque diſtrahi ſocietatem, manifeſtum eſt: ſcilicet ſi univerſa bona ſocii publicentur: nam cum in ejus locum alius ſuccedat, pro mortuo habetur.

§. VIII.

Item ſi quis ex ſociis mole debiti prægravatus, bonis ſuis ceſſerit, & ideò propter publica aut privata debita ſubſtantia ejus veneat: ſolvitur ſocietas: ſed hoc caſu ſi adhuc conſentiant in ſocietatem, nova videtur incipere ſocietas.

§. IX.

Socius ſocio utrum eo nomine tantùm teneatur pro ſocio actione, ſi quid dolo commiſerit, ſicut is, qui deponi apud ſe paſſus eſt: an etiam culpæ, ideſt, deſidiæ atque negligentiæ nomine, quæſitum eſt: prævaluit tamen, etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactiſſimam di-

ligen-

*Hoc in cauſa alia fuerit, ſervatur in illo, (tum eſt.*
*Eſt quod omiſſum, eadem pars, ſicut jure ſtatu-*

§. *IV.*

*Jàm verò ſociatio continuatur, eodem*
*Donec conſenſu ſocius remanebit uterque.*
*Aſt a contractu eum aliquis deceſſerit, ipſa*
*Solvetur ſociatio. Sin contractibus iſtis*
*Callidè in hoc quis fortè renunciet, unus habere,*
*Ut queat obveniens lucrum ſi nempè bonorum*
*Totorum ſocius, cum hæres teſtamine ſcriptus*
*Eſſet, in hoc contractibus ipſe renunciet, unus*
*Omnia tunc jura, ut defuncti poſſet habere;*
*Cogitur inde ſtatim cõmune hoc reddere lucrum.*
*Si quid verò aliud, quod non captaverit ipſe,*
*Lucretur, confeſtim ad ſolum pertinet ipſum.*
*Aſt illi ſoli, cui ceſſio facta bonorum eſt,*
*Quod penitus poſtquam eſt ſociatio cuncta ſoluta,*
*Acquiretur, ei ſoli conceditur omne.*

§. *V.*

*Solvitur hæc etiam ſociatio morte ſecuta*
*Conſocii, conſenſu etenim qui contrahit, ipſam*
*Eligit is perſonam. Sin ſociatio fiat*
*Multorum aſſenſu, ſocii diſſolvitur ipſa*
*Unius morte, & ſi plures fortè ſuperſint,*
*Ni planè in contractu aliter convenerit ipſo.*

§. *VI.*

*Præterea contracta rei ſociatio ſi ſit,*
*Impoſituſque rei fuerit, finiſque, moduſque,*
*Cenſenda eſt etiam ſociatio & ipſa ſoluta.*

§. *VII.*

*Cunctarum rerum ſi confiſcatio fiat*
*Unius ſocii, ſociatio ſolvitur omnis,*
*Scilicèt ipſius ſocii omnia ſi bona voce*
*Præconis liceant; Nam cum ſucceſſerit alter*
*Pro illo, cenſetur ſocius ceù funere ademptus.*

§. *VIII.*

*E' ſociis alieni æris jam mole gravatus*
*Quis propriis, cunctiſque bonis ſi ceſſerit, inde*
*Debita, & idcircò ob privata, & publica, tota*
*Veniet illius ſubſtantia, ſolvitur iſte*
*Contractus. Verùm ſi iterum conſenſus habetur,*
*Hoc iterùm caſu incipere & ſociatio fertur.*

§. *IX.*

*Quæſitum eſt, teneatur eo utrum nomine tantùm*
*Conſocio ſocius, contrà ut ſocium actio detur*
*Conſocio, ſocius ſic quid commiſerit ipſe*
*Fortè dolo, veluti ille, aliquem deponere quicquã*
*Eſt qui paſſus apud ſe, admiſſę nomine culpæ, aut*
*Deſidiæ teneatur; Sed ſententia vera eſt,*
*Culpa, deſidiave teneri. Haud culpa putanda eſt,*

*Ni*

ligentiam dirigenda eſt. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere (ſocium,) qualem ſuis rebus adhibere ſolet. Nam qui parum diligentem ſocium ſibi adſumit: de ſe queri, ſibique hoc imputare debet.

*Ni exactum fuerit ſtudium, vel ſedula cura;*
*Tale etenim ſtudium rebus communibus ipſum*
*Ponere ſufficiet ſocium, ipſe adhibere ſolebat*
*Quale ſuis rebus; ſocium qui acceperit ipſum*
*Namque parum ſolertem, jàm ſibi vertere culpæ,*
*Immò queri de ſe debet, quòd fecerit iſtud.*

## *De mandato.*

## TITULUS XXVII.

MAndatū contrahitur quinque modis, ſivè ſua tantùm graria aliquis tibi mandet, ſivè ſua, & tua, ſivè aliena tantùm, ſive ſua, & aliena, ſivè tua, & aliena. At ſi tua tantùm gratia tibi mandatū ſit: ſupervacuū eſt mandarum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio naſcitur.

*FIt mandatū quinq; modis, tantùmmodò cauſa*
*Sivè ſua tibi quis mandet, mandaverit ipſe*
*Sivè ſua, atque tua tantùmmodò, ſivè aliena,*
*Sivè ſua, atque aliena, ſivè tua, atque aliena.*
*At ſi mandatum fuerit tantùmmodò cauſa*
*Fortè tua, fertur mandatum protinus eſſe*
*Tale ſupervacuum; Idcircò naſcuntur ab illo*
*Vincula nulla, inter vos mandati actio nulla.*

### §. I.

Mandātis (tantùm) gratia intervenit mādatum: veluti ſi quis tibi mander, ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emeres, vel ut pro eo ſponderes.

### *§. I.*

*Fit mandatum mandantis tantùmmodò cauſa*
*Si quis fortè tibi, ut nonnulla negotia, mandet,*
*dpſius gereres, emeres ſibi ſcilicet arvum,*
*Aut ut ſponderes pro ipſo perſolvere quicquam.*

### §. II.

Tua gratia & mandātis: veluti ſi mandet tibi, ur pecuniam ſub uſuris crederes ei, qui in rem ipſius mutuaretur: aut ſi volente te agere cum eo ex fidejuſſoria cauſa, mandet tibi, ut cum reo agas, periculo mandantis: vel ut ipſius periculo ſtipuleris ab eo, quem tibi deleget in id, quod tibi debuerat.

### *§. II.*

*Mandantis cauſa, atque tua, ut ſi quis tibi man-*
*Ipſe ſub uſuris, ut quandam credere poſſes (det*
*Auri nummorum ſummam illi, qui ipſius in rem*
*Mutuam eam acciperet; mandet, te ſivè volente,*
*Cum illo agere ex cauſa, fidei quā juſſor baberet,*
*Ut tu cum reo agas mandantis fortè periclo,*
*Ipſe periclo ipſius vel ſtipuleris ab illo,*
*Quem tibi, quod tibi debuerat deleget in illud.*

### §. III.

Aliena autem (tantùm) cauſa intervenit mandatum, veluti ſi tibi aliquis mander, ut Titij negotia gereres, vel ut Titio fundum emeres, vel ur pro Titio ſponderes.

### *§. III.*

*Alterius cauſa mandatum intervenit illud*
*Tantùm; ſi veluti non nulla negotia mandet*
*Quis tibi, ut efficeres. Titio viridantia rura,*
*Aut emeres, aut pro Titio eſſes ſolvere ſponſor.*

### §. IV.

Sua, & aliena: veluti ſi de communibus ſuis, & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ur ſibi, & Titio fundum emeres, vel ut pro eo, & Titio ſponderes.

### *§. IV.*

*Alterius cauſa, atque ſua, ſi fortè gerendis*
*De rebus, Titiique ſuis communibus ullis*
*Quis tibi cōmittat, Titio, & ſibi ut emptio fundi*
*A te vel fiat, quicquam vel ſolvere pro ſe,*
*Pro Titioque à te pariter promiſſio fiat.*

### §. V.

Tua, & aliena: veluti ſi tibi mandet, ut Titio ſub uſuris crederes: quia ſi ſinè uſuris pecuniam crederes, aliena tantùm gratia intercedit mandatum.

### *§. V.*

*Alterius cauſa, atque tua, ſi credere mandet*
*Quis tibi te Titio nummos ſub fœnore; namque*
*Si dederit nummos aliquo ſine fœnore, cauſa*
*Tantùm aliena mandatum intercedere fertur.*

Tua

Cau-

### §. VI.

Tua tantùm gratia intervenit mandatũ: veluti ſi tibi mandet, ut pecunias tuas in emptiones potiùs prædiorũ colloces, quàm fœneres: vel ex diverſo, ut pecunias tuas fœneres potiùs, quàm in emptiones prædiorũ colloces. Cujus generis mandatum, magis conſilium, quàm mandatum eſt, & ob id nõ eſt obligatorium: quia nemo ex conſilio mandati obligatur, etiam ſi non expediat ei, cui mandabatur, cum liberum cuique ſit apnd ſe explorare, an ſibi expediat conſilium. Itaque ſi otioſam pecuniam domi te habentem hortatus fuerit aliquis, ut rem aliquam emeres, vel eam crederes: quamvis non expediat eam tibi emiſſe, vel crediſſe, non tamen tibi mandati tenetur. Et adeò hæc ita ſunt, ut quęſitum ſit, an mandati teneatur, qui mandavit tibi, ut pecuniam Titio fœnerares? Sed obtinuit Sabini ſententia, obligatorium eſſe in hoc caſu mandatum, quia non aliter Titio crediſſes, quàm ſi tibi mandatum eſſet.

### §. VI.

*Cauſa fortè tua tantùm intercedere fertur*
*Mandatum, veluti ſi quis tibi prædia mandet*
*Ipſe tuis ut emas nummis, quàm fœnori ut ipſos*
*Des potius, contrà potius des fœnori ut illos*
*Ipſe, tuis ut emas nummis quàm prædia: cuius*
*Mandatũ generis mage conſiliũ eſſe putãdum eſt*
*Quàm mandatum; idcircò aliquẽ nõ obligat ipſũ:*
*Namque ex conſilio mandati nemo ligatur,*
*Utile ei licet haud ſit, cui mandata dabuntur,*
*Cum ſit apud ſe cuicumque explorare facultas,*
*An ſibi conſilium expediat. Si hortatus habentem*
*Te ergo quis fuerit nũmos fruſtrà ędibus, ut rem*
*Quandã emeres, velles ipſos, vel credere nũmos,*
*Quamvis nec rẽ emiſſe tibi, nec credere nummos,*
*Expediat, mandati non tamen ille tenetur.*
*Hinc quæſitum eſt, mandati teneatur an ille,*
*Qui tibi mandavit, Titio ut ſub fœnore nummos*
*Ipſe dares. Verùm ut ſententia vera Sabini*
*Obtinuit, caſu mandatum hoc obligat; ipſi*
*Nam haud aliter Titio voluiſſet credere nũmos,*
*Eſſet quàm ſi mandatum tibi, credere nummos.*

### §. VII.

Illud quoque mandatum non eſt obligatorium, quod contrà bonos mores eſt: veluti ſi Titius de furto, aut (de) damno faciendo, aut de injuria facienda mandet tibi: licet enim pœnam iſtius facti nomine præſtiteris, non tamen ullam habes adverſus Titium actionem.

### §. VII.

*Mandatum ratione pari non obligat illud,*
*Eſſe bonos contra mores quod dicitur, ut ſi*
*De furto, aut dãno faciendo, aut crimine agendo,*
*Fortè tibi mandet Titius; nam nomine facti*
*Quamvis præſtiteris pænam, non ulla videtur*
*Attamen eſſe tibi contra Titium actio danda.*

### §. VIII.

Is qui exequitur mandatum, non debet excedere fines mandati: ut ecce ſi quis uſque ad centum aureos mandaverit tibi, ut fundum emeres, vel ut pro Titio ſponderes: neque pluris emere debes, neque in ampliorem pecuniam fidejubere: alioqui non habebis cum eo mandati actionem: adeò quidem, nt Sabino, & Caſſio placuerit, etiã ſi uſque ad centum aureos cum eo agere volueris: inutiliter te acturum. (Sed) diverſæ ſcholæ auctores rectè uſque ad centum aureos te acturum exiſtimant: quæ ſententia ſanè benignior eſt. Quod ſi minoris emeris, habebis ſcilicet cum eo mandati actionem: quoniam qui mandat, ut ſibi centum aureorum fundus emeretur, is utique mandaſſe intelligitur, ut minoris (ſi poſſit) emeretur.

### §. VIII.

*Qui exequitur mandatum, non excedere fines,*
*Debet mandati, ut ſi quis mandaverit uſque*
*Ad centum nummos auri ut tantùmmodò ematur*
*Fundus pro Titio, atque fide tu juſſor ut eſſes,*
*Fundum emere haud pluris debes; promittere plu-*
*Nec nummos, alioqui mandati actio nulla (res,*
*Jàm tibi erit cum illo. Sic Caſſius, atque Sabinus*
*Senſerunt, tibi ſi fuerit fortaſſe voluntas (quã*
*Centũ uſq; ad nũmos agere auri, haud utile quic-*
*Te acturum. Rectè verò, meritoque putarunt*
*Jure ſcholæ authores variæ, te poſſe, vel uſque*
*Centũ auri ad nũmos agere. Hæc ſententia nobis*
*Sanè viſa benignior eſt. Quod ſi arua minoris*
*Fortè emeres, tibi erit mandati hæc actio certè*
*Cũ illo; nã centum mandans, ut fundus ematur,*
*Et tibi quàm centum pariter mandaſſe minoris*
*Cenſetur planè, ut fundus, ſi poſſit, ematur.*

§. IX.

Rectè quoque mandatum contractum, ſi dum adhuc integra res ſit, revocatum fuerit, evaneſcit.

§. *IX.*

*Mandatum rectè factum evaneſcere fertur,*
*Si fuerit revocatum, dum res integra ſiſtit.*

§. X.

Item ſi adhuc integro mandato mors alterutrius interveniat, ideſt, vel ejus qui mandaverit, vel illius, qui mandatum ſuſceperit: ſolvitur mandatum. Sed utilitatis cauſa receptum eſt: ſi eo mortuo, qui tibi mandaverat, tu ignorans eum deceſſiſſe, executus fueris mandatum, poſſe te agere mandati actione: alioqui juſta & probabilis ignorantia tibi damnum adferret. Et huic ſimile eſt, quod placuit, ſi debitores manumiſſo diſpenſatore Titij, per ignorantiam liberto ſolverint, liberari eos, cum alioqui ſtricta juris ratione non poſſent liberari, quia alii ſolviſſent, quam cui ſolvere debuerint.

§. *X.*

*Præterea alteruter moriens ſi cedat ad aſtra*
*Integro mandato, aut qui mandaverit, ille*
*Aut qui mandatum ſuſceperit, omne ſolutum*
*Cenſetur mandatum. Aſt utilitate receptum eſt;*
*Mortuo eo, tibi qui mandaverat, illius ipſe*
*Si ignorans mortem exequeris mandata, videri*
*Te mandato agere hoc poſſe; ignorantia namque*
*Damno aliter tibi tunc juſta, atq; probabilis eſſet.*
*Par placuit, Titii diſpenſatore ſoluto*
*Pondere ſervili, ſolvat ſi debitor ipſi*
*Liberto ignoranter, liberum eum eſſe putandum*
*Ære alieno, cum liber ratione nequiret*
*Juris ſtricti eſſe; hic etenim perſolverat illi,*
*Cui non ullo debebat perſolvere jure.*

§. XI.

Mandatum non ſuſcipere, cuilibet liberum eſt: ſuſceptum autem conſummandum eſt, aut quàm primum renunciandum, ut per ſemetipſum, aut per alium eandem rem mandator exequatur. Nam niſi ita renuncietur, ut integra cauſa mandatori reſervetur eandem rem explicandi: nihilominus mandati actio locum habet: niſi juſta cauſa interceſſerit aut non renunciandi, aut intempeſtivè renunciandi.

§. *XI.*

*Eſt data mandati haud capiendi cuiq; facultas,*
*At captum conſummandū eſt, aut protinus ipſum*
*Linquendū, ut per ſe aut alium mandator eandē*
*Rē gerere ipſe queat; fuerit niſi namq; relictum,*
*Integra mandati ut ſervetur cauſa gerendi*
*Rem ipſā, mandati nihilominùs actio danda eſt,*
*Ni aut non linquendi cauſa intereeſſerit ulla*
*Mandatum, aut extra linquendi tempora, juſta.*

§. XII.

Mandatum & in diem differri, & ſub conditione fieri poteſt.

§. *XII.*

*In que diem certum, & ſub conditione facultas*
*Mandatum fieri cunctis conceſſa putatur.*

§. XIII.

In ſumma ſciendum eſt, mandatum niſi gratuitum ſit, in aliam formam negotii cadere. Nam mercede conſtituta, incipit locatio & conductio eſſe. Et (ut generaliter dicamus) quibus caſibus ſinè mercede ſuſcepto officio, mandati ſivè depoſiti contrahitur negotium: iis caſibus interveniente mercede, locatio, & conductio intelligitur contrahi. Et ideò ſi fulloni polienda, curandave quis dederit veſtimenta, aut ſarcinatori ſarcienda, nulla mercede conſtituta, neque promiſſa: mandati competit actio.

§. *XIII.*

*In formam hoc aliam mandatum eſt ergo negoti*
*Si fortè haud gratis fiat. Mercede ſtatuta*
*Namque locatio, vel conductio jam incipit eſſe.*
*Atque ut dicatur generatim caſibus illis,*
*Queis nulla mercede ſtatuta, munere capto*
*Depoſiti, vel mandati contractus habetur,*
*Mercede ipſa interveniente locatio habetur,*
*Et conductio, veſtem idcircò ſi dederit quis*
*Fulloni, ut poliat, curetve, aut tradat, eandem*
*Sarciat ut quivis, nulla mercede ſtatuta,*
*Aut promiſſa, mandati actio danda putatur.*

## *De obligationibus, quæ quaſi ex contractu naſcuntur.*

## TITVLVS XXVIII.

POſt genera contractuum enumerata diſpiciamus etiam de iis obligationibus, quæ quidem non propriè naſci ex contractu intelliguntur: ſed tamen quia non ex maleficio ſubſtantiam capiunt, quaſi ex contractu naſci videntur.

§. I.

Igitur cum quis negotia abſentis geſſerit: ultrò, citròque inter eos naſcuntur actiones: quæ appellantur negotiorum geſtorum. Sed domino quidem rei geſtæ adverſus eum, qui geſſit, directa competit actio: negotiorum autem geſtori contraria: quas ex nullo contractu propriè naſci, manifeſtum eſt: quippè ità naſcuntur iſtæ actiones, ſi ſine mandato quiſque alienis negotijs gerendis ſe obtulerit, ex qua cauſa ij, quorum negotia geſta fuerint, etiam ignorantes obligantur. Idque utilitatis cauſa receptum eſt: ne abſentium, qui ſubita feſtinatione coacti, nulli demandata negotiorum ſuorum adminiſtratione, peregrè profecti eſſent, deſererentur negotia: quæ ſanè nemo curaturus eſſet, ſi de eo, quod quis impendiſſet, nullam habiturus eſſet actionem. Sicut autem is, qui utiliter geſſit negotia, dominum habet obligatum negotiorum geſtorum, ita & contrà iſte quoque tenetur, ut adminiſtrationis reddat rationem. Quo caſu ad exactiſſimam quiſque diligentiam compellitur reddere rationem: nec ſufficit talem diligentiam adhibere, qualem ſuis rebus adhibere ſolet: ſi modò alius diligentior (eo) commodiùs adminiſtraturus eſſet negotia.

§. II.

Tutores quoque qui tutelæ judicio tenentur, non propriè ex contractu obligati eſſe intelliguntur; (nullum enim negotium inter tutorem, & pupillum contrahitur: ſed quia ſane non ex maleficio tenentur, quaſi ex contractu teneri videntur. Hoc autem caſu mutuæ ſunt actiones. Non tantùm enim pupillus cum tutore habet tutelæ actio-

*COntractu inſpecto, videamus vincula juris,*
*Quæ planè haud propriè sũt è cõtractibus*
*Sed quaſi nõ aliquo naſcũtur crimine; naſci (orta*
*Idcircò ex quaſi jam contractibus illa videntur.*

§. *I.*

*Ergo cum abſentis quis fortè negotia geſſit,*
*Ultrò; citròque inter eos cenſebitur orta*
*Actio, quæ geſti appellatur jure negoti:*
*Sed directa rei geſtæ domino actio dandæ*
*Eſt adverſus eum, qui fortè negotia geſſit,*
*Actio geſtori at dabitur contraria rerum,*
*Quæ non contractu propriè naſcetur ab ullo.*
*Actio ſic planè gemina hæc cenſebitur orta,*
*Si ſine mandato alterius ſe quiſque gerendis*
*Obtulerit rebus. Quare is quoque jure ligatur*
*Ignorans, cuius ſunt ipſa negotia geſta;*
*Idque fuit cauſa utilitatis jure receptum,*
*Ne abſentis, ſubitò qui demigrare coactus,*
*A quo demandata fuerè negotia nulli*
*Externas oras peteret, patriaque profectus*
*Eſſet, deſererentur res, quas nemo profectò*
*Curaret, ſi nulla ipſi foret actio danda*
*De illo, quod fortè impendiſſet. Sed velut ille*
*Utiliter ſanè qui aliena negotia geſſit,*
*Geſtarum retinet dominum de jure ligatum*
*Rerum, ſic etiam contrà jure iſte tenetur,*
*Geſtarum rerum rationem ut reddat, & ipſo*
*In caſu exactè rationem reddere quiſque*
*Cogitur exactum ſtudium nec ſufficit illud*
*Hunc adhibere, ſuis ſoleat quod ponere rebus.*
*Alter ſi modò commodiùs ſolertior illo*
*Eſſet geſturus fortaſſe negotia dicta.*

§. *II.*

*Judicio verò tutor quicumque tenetur*
*Tutelæ, propriè haud contractibus eſſe ligatus*
*Cenſetur, contractus nam non ullus habetur*
*Inter tutorem, & pupillum ſed quia ſanè*
*Crimine non aliquo ex commiſſo jure tenetur,*
*Ex quaſi contractu cenſebitur ipſe teneri.*
*Hoc autem caſu reputabitur orta viciſſim*
*Actio; non etenim tantummodo habebitur illa*
*A pupil-*

actionem : ſed & contrà tutor cum pupillo habet conttariam tutelæ, ſi vel impenderit aliquid in rem pupilli, vel pro eo fuerit obligatus, aut rem ſuam creditoribus ejus obligaverit.

§. III.

Item ſi inter aliquos communis res ſit ſine ſocietate : veluti quod pariter eis legata, donatave eſſet : & alter eorum alteri, ideò teneatur communi dividundo judicio, quod ſolus fructus ex ea re perceperit, aut quod ſocius ejus ſolus in eam rem neceſſarias impenſas fecerit : non intelligitur ex contractu propriè obligatus eſſe : quippè nihil inter ſe contraxerunt; ſed quia ex maleficio non tenetur : quaſi ex contractu teneri videtur.

§. IV.

Idem juris eſt de eo, qui cohæredi familiæ erciſcundæ judicio ex his cauſis obligatus eſt.

§. V.

Hæres quoque legatorum nomine non propriè ex contractu obligatus intelligitur: ( neq; enim cum hærede, neq; cũ defuncto, ullũ negotium legatarius geſsiſse propriè dici poteſt)& tamẽ quia ex maleficio nõ eſt obligatus, quaſi ex cõtractu debere intelligitur.

§. VI.

Item is, cui quis per errorem non debitum ſolvit, ( quaſi ex contractu debere videtur.)Adeo enim non intelligitur propriè ex contractu obligatus (eſſe,) ut ſi certiorem rationem ſequamur : magis ( ut ſupra diximus ) ex diſtractu , quàm ex contractu poſsit dici obligatus eſſe : nam qui ſolvendi animo pecuniam dat : in hoc dare videtur, ut diſtrahat potiùs negotium , quàm contrahat . Sed tamen perindè is, qui accepit, obligatur, ac ſi mutuum ei daretur: & ideò condictione tenetut.

§. VII.

Ex quibuſdam tamen cauſis repeti non poteſt, quod per errorem non debitum ſolutum ſit : ſic namque definierũt veteres, ex quibus inficiando lis creſcit, ex iis cauſis non debitum ſolutum repeti non poſſe : veluti ex lege Aquilia, item ex legato. Quod veteres quidem in iis legatis locum habere voluerunt, quæ certa conſtituta , per damnationem cuique legata fuerant. No-

ſtra

*A pupillo cum tutore, ſed actio contrà*
*Pupillum tutori etiam eſt contraria dandæ:*
*Sivè in rem pupilli quicquam impenderit ipſe*
*Pro illo, ſivè ligatus ſit, rem ſivè ligarit*
*Forte ſuam illi, pupilli qui creditor extat.*

§. *III.*

*Si qui rem communem habeant, ſociatio nulla*
*Inter quos fuerit, veluti res ſi ipſa fuiſſet*
*Legata, aut donata illis, atque alter eorum*
*Communem rem partiri idcircò teneatur*
*Judicio, ſolus vel quòd perceperit illa*
*Ex re omnes fructus, vel quod confecerit ejus*
*Impenſas ſolus ſocius, quas eſſe neceſſe*
*Noverit in rẽ, haud ex cõtractibus eſſe ligamen*
*Cenſetur proprium, certè contractus habetur*
*Nullus; ſed quoniam ex delicto haud jure tenetur*
*Ex quaſi contractu cenſebitur ipſe teneri.*

§. *IV.*

*Ex iſtis pariter cauſis qui eſt fortè cohæres*
*Familiæ erciſcundæ judicio ipſe tenetur.*

§. *V.*

*Nomine legatorum hæres etiam eſſe ligatus*
*Dicitur haud propriè ex cõtractu:(nulla videtur*
*Nam geſſiſse negotia legatarius ipſe*
*Nec cum defuncto, nec cum hærede,)attamẽ idem*
*Crimine non aliquo quoniam nec jure tenetur,*
*Ex quaſi contractu cenſebitur ipſe teneri.*

§. *VI.*

*Ille per errorem cui quis non debita ſolvit,*
*Ex quaſi contractu planè debere videtur,*
*Sic etenim propriè ex cũtractu haud ipſe tenetur*
*Ut mage ſi certam rationem fortè ſequamur,*
*Jàm magis ex diſtractu alibi ceu diximus ante,*
*Quàm dici ex cũtractu adſtrictus poſse putetur;*
*Nam qui animo ſolvendi dat nũmos, dare nũmos*
*Diſtrahat ut potiùs, quàm ut cõtrahat, ille vide-*
*Attamen accipiens quicumq; perindè ligatur(tur.*
*Juris vinclo, mutuum ei, ac ſi fortè daretur*
*Hoc caſu. Idcircò fuerit condictio danda.*

§. *VII.*

*Sed tamen haud repeti poſſunt errore ſoluta*
*Non nullis ex cauſis; nam ſtatuere priores,*
*Ex quibus inficiando cauſis creſcere fertur*
*Lis, cauſis illis non debita poſse ſoluta*
*Haud repeti, veluti ex legato, ſivè ſtatuto*
*Legis. Quod veteres planè tantùmmodò in illis*
*Legatis prædicta locum retinere putarunt.*
*Conſtituit legata hæc ſed damnatio certa*
*Cuique; ſed unam naturam cum ſanctio noſtra*

ſtra autem conſtitutio, cum unam naturam omnibus legatis, & fideicommiſſis indulſit, hujuſmodi augmentum in omnibus legatis, & fideicommiſſis extendi voluit: ſed tantùmmodò in iis legatis, & fideicommiſſis, quæ ſacroſanctis Eccleſiis, & cæteris venerabilibus locis, quæ religionis, vel pietatis intuitu honorantur, relicta ſunt: quæ ſi indebita ſolvantur, non repetuntur.

*Indulſit cunctis legatis, omnibus atque*
*Commiſſis fidei, in legatis omnibus, atque*
*Commiſſis fidei voluit protendier iſtud*
*Augmentum, verùm cunctis non prabuit illud,*
*Queis ſunt legata, aut fideicommiſſa relicta,*
*Commiſſis autem fidei tantùmmodò in illis,*
*Legatiſque, ſacris fuerint quæ ſedibus, almis*
*Atque locis aliis, quæ relligione coluntur,*
*Ac pietate, fuere relicta, indebita quæ ſi*
*Solvuntur, nulla poterunt ratione repoſci.*

## *Per quas perſonas nobis obligatio acquiritur.*

## TITVLVS XXIX.

Expoſitis generibus obligationum, quæ ex contractu, vel quaſi ex contractu naſcuntur: admonendi ſumus, acquiri nobis non ſolùm per noſmetipſos, ſed per eas quoque perſonas, quæ in noſtra poteſtate ſunt, veluti per ſervos, & filios noſtros: ut tamen, quod per ſervos noſtros nobis acquiritur, totum noſtrum fiat: quod autem per liberos, quos in poteſtate habemus, ex obligatione fuerit acquiſitum, hoc dividatur ſecundùm imaginem rerum proprietatis, & uſusfructus, quam noſtra decrevit conſtitutio: ut quod ab actione commodum perveniat, huius uſumfructum quidem habeat pater, proprietas autem filio ſervetur: ſcilicet patre actionem movente, ſecundùm novellæ noſtræ conſtitutionis diviſionem.

*Expoſitis juris vinclis, naſcuntur ab omni*
*Quæ quaſi cōtractu, aut cōtractu, advertere quiſque*
*Debet, non ſolùm per nos acquirere nobis*
*Ipſis, ſed per eas perſonas, jure tenentur*
*Quæ noſtro, veluti per ſervos, atque creatos*
*A nobis. Servo à noſtro quod quæritur, omne*
*Ut noſtrum fiat, quodque acquiratur ab illis*
*Contractu, patrio noſtro qui jure tenentur*
*(Ut quondam decrevit ſanctio noſtra) ſecundùm*
*Rerum proprietatem uſumfructumque ſecetur,*
*Ut quæ perveniant contractu commoda, planè*
*Horum uſumfructum teneant, habeantq; parētes;*
*Proprietas autem ſervarier integra natis*
*Debeat, à patribus ſi ulla actio nempè movetur,*
*Ut ſuit à noſtra ſancitum lege novellæ.*

§. I.

Item per liberos homines, & alienos ſervos, quos bona fide poſſidemus, acquiritur nobis: ſed tantùm ex duabus cauſis, ideſt, ſi quid ex operis ſuis, vel ex re noſtra acquirant.

*§. I.*

*Atque per ingenuos homines, ſervoſque alienos,*
*Quos ſine fraude tenemus, nobis quæritur; idque*
*Ex binis tantùm cauſis, ſi ſcilicet ipſi*
*Ex operis quicquam ex noſtra re ſivè pararint.*

§. II.

Per eum quoque ſervum, in quo uſumfructum, (vel uſum habemus), ſimiliter ex duabus iſtis cauſis nobis acquiritur.

*§. II.*

*Per ſervos etiam, inqueis uſusfructus habetur,*
*Aut uſus, cauſis nobis acquiritur iſtis.*

§. III.

Communem ſervum pro dominica parte dominis acquirere certum eſt: excepto eo, quod nominatim uni ſtipulando: aut per traditionem accipiendo, illi ſoli acquirit: veluti cum ita ſtipulatur: *Titio Domino meo dare*

*§. III.*

*Communem ſervum dominis acquirere certū eſt;*
*Attamen excipitur, qui unius nomine tantùm*
*Accipiet, quod traditur, aut ſtipulabitur, illi*
*Acquirit ſoli, veluti cum quis ſtipulatur:*
*Ipſe meo domino ſpondes Titio eſſe daturum?*
*Sin*

*dare ſpondes?* Sed ſi domini unius juſſu ſervus fuerit ſtipulatus, licet antea dubitabatur, tamen poſt noſtram deciſionem res expedita eſt, ut illi tantùm acquirat, qui hoc ei facere juſſit, ut ſupra dictum eſt.

*Sin juſſu unius domini tantùmmodò ſervus*
*Sit ſtipulatus, erat dubiũ quanquã ante, reſolvit*
*Hanc rem noſtra tamen deciſio, quęrat ut illi*
*Tantùm, qui hoc iuſſit facere, ut jam diximus ante.*

## *Quibus modis tollitur obligatio.*

## TITVLVS XXX.

Tollitur autem omnis obligatio ſolutione ejus, quod debetur: vel ſi quis, conſentiente creditore, aliud pro alio ſolverit. Nec intereſt, quis ſolvat: utrum ipſe qui debet, an alius pro eo: liberatur enim & alio ſolvente: ſivè ſciente, ſivè ignorante debitore, vel invito eo, ſolutio fiat. Item ſi reus ſolverit: etiam ii, qui pro eo intervenerunt, liberantur. Idem ex contrario contingit, ſi fidejuſſor ſolverit, non etiam ipſe ſolus liberatur, ſed etiam reus.

*At verò juris vinclum diſſolvitur omne,*
*Si ejus, quod debetur, vera ſolutio fiat,*
*Solverit aut pro alio ſi aliud quis, creditor ipſe*
*Et conſentiat. Haud refert quis ſolverit, utrum*
*Is, qui eſt debitor, an ne alius perſolverit ipſo*
*Pro debente, alius ſolvens nam liberat ipſum,*
*Sivè ſciens, ſivè ignorans ſit debitor ipſe,*
*Sivè ſit invitus, cum dicta ſolutio fiat;*
*Prætereaque reus ſi ſolvat, liberat omnes,*
*Qui pro ipſo intervenerunt. Contingit & iſtud*
*Contrà, forte fidejuſſor ſi ſolverit, ipſum*
*Se namque, atque reum perſolvens liberat ille.*

### §. I.

Item per acceptilationem tollitur obligatio. Eſt autem acceptilatio, imaginaria ſolutio. Quod enim ex verborum obligatione Titio debetur, id ſi velit Titius remittere, poterit ſic fieri, ut patiatur, hæc verba debitorem dicere: *Quod ego tibi promiſi: habeſne acceptum?* & Titius reſpondeat: *habeo.* Sed & Græcè poteſt acceptilatio fieri: dummodò ſic fiat, ut Latinis verbis ſolet (exigi,) ἔχεις λαβὼν δηνάρια τόσα; ἔχω λαβὼν *id eſt, tot denarios acceptos habes? acceptos habeo.* Quo genere (ut diximus) tantùm eæ ſolvuntur obligationes, quæ ex verbis conſiſtunt, non etiam cæteræ. Conſentaneum enim viſum eſt, verbis factam obligationem, aliis poſſe verbis diſſolvi. Sed & id, quod alia ex cauſa debetur, poteſt in ſtipulationem deduci, & per acceptilationem diſſolvi. Sicut autem quod debetur pro parte rectè ſolvitur: ità in parte debiti acceptilatio fieri poteſt.

### §. *I.*

*Juris item vinclum conficta ſolutio tollit;*
*Quicquid enim Titio debetur vincula propter*
*Civilis juris per verba, remittere fortè*
*Debita ſi Titius velit, id poterit fieri ſic,*
*Hæc ut debentem patiatur dicere verba:*
*Quod tibi pollicitus fuerã, acceptũ tu id habes ne?*
*Detq; habeo, Titius reſponſum. Idiomate græco*
*Dicta poteſt fieri quoque ficta ſolutio. fiat*
*Dummodò ſic, verbis ſolita eſt ut ſæpè latinis*
*Confieri, veluti acceptos nummos tot habes ne?*
*Acceptos habeo. Genere hoc, ut diximus ante,*
*Omnia ſolvuntur tantùmmodò vincula juris,*
*Quæ ex verbis conſiſtunt non quoq; cætera; nãq;*
*Viſum eſt conveniens, verbis hæc vincula juris*
*Facta, aliis pariter verbis quoque poſſe reſolvi.*
*Quæ verò nobis alia ſunt debita cauſa*
*Diſſolvit ſtipulatio, & iſta ſolutio ficta*
*At ſicut quod debetur pro parte ſolutum*
*Eſt rectè, ratione pari ſic danda facultas,*
*Debiti ut in partes fieri iſta ſolutio poſſit.*

### §. II.

Eſt autem prodita ſtipulatio, quæ vulgò Aquiliana appellatur, per quã contingit, ut omnium rerum obligatio in ſtipulatum deducatur, & ea per acceptilationem tollatur.

*Prodita ſed ſtipulatio, quæ Aquiliana vocatur*
*Vulgò, qua contingit, rerum ut vincula juris*
*Cunctarum in ſtipulatum deducantur, & illa*
*Diſſolvat præfata ſolutio; vincula juris*

Stipulatio enim Aquiliana renovat omnes obligationes,& à Gallo Aquilio ita cõpoſita eſt. *Quicquid te mihi ex quacunque cauſa dare, facere oportet, oportebitve, præſens, in diemve: quarumcumque rerum mihi tecum actio eſt, quæque adverſus te petitio, vel adverſus te perſecutio eſt, eritve: quodve tu meum habes, tenes, poſſides, (dolove malo feciſti, quò minus poſſideas: quanti quæque earum rerum res erit, tantam pecuniam dari ſtipulatus eſt Aulus Agerius, ſpopondit Numerius Nigidius. Quod Numerius Nigidius Aulo Agerio ſpopondit, id haberet ne à ſe acceptum Numerius Nigidius Aulum Agerium rogavit. Aulus Agerius Numerio Nigidio acceptum fecit.*

*Aquiliana etenim revocat ſtipulatio cuncta.*
*Hæc ſed ab Aquilio fuerat ſic prodita Gallo:* (bes
*Qualibet ex cauſa quicquid facere, aut dare de-*
*Debebisve mihi inve diem, præſens: mihi tecum*
*Quorumcumque eſt actio, quæve petitio contrà*
*Te eſt, vel erit contrà quæcũq; ſecutio; quicquid*
*Tu mecum vel habes, retines, poſſeſſor habere*
*Diceris, atque dolo feciſti quò minus eſſes*
*Poſſeſſor; quanti res quæque putetur earum,*
*Tantos contribui nummos ſtipulatus, & Aulus,*
*Nigidius promiſit, quod Nigidius Aulo*
*Agerio promiſit; an a ſe acceptum id haberet,*
*Ageriumque Aulum Nigidius ipſe rogavit,*
*Ageriuſque acceptum illi quoque fecerit Aulus.*

## §. III.

Præterea novatione tollitur obligatio; veluti ſi id, quod tibi Sejus debeat, à Titio dari ſtipulatus ſis. Nam interventu novæ perſonæ nova naſcitur obligatio, & prima tollitur, tranſlata in poſteriorem: adeo, ut interdum, licet poſterior ſtipulatio inutilis ſit, tamen prima novationis jure tollatur: veluti ſi id, quod tu Titio debes, à pupillo ſine tutoris auctoritate ſtipulatus fueris, quo caſu res amittitur, nam & prior debitor liberatur, & poſterior obligatio nulla eſt. Non idem juris eſt, ſi à ſervo quis fuerit ſtipulatus: nam tunc prior perinde obligatus manet, ac ſi poſtea nullus ſtipulatus fuiſſet. Sed ſi eadem perſona ſit, à qua poſtea ſtipuleris: ita demùm novatio fit, ſi quid in poſteriore ſtipulatione novi ſit: fortè ſi conditio aut dies, aut fidejuſſor adjiciatur, aut detrahatur. Quod autem diximus, ſi conditio adjiciatur, novationem fieri: ſic intelligi oportet, ut ità dicamus factam novationem, ſi conditio extiterit: alioqui ſi defecerit, durat prior obligatio. Sed cum hoc quidem inter veteres conſtabat, tunc fieri novationem, cum novandi animo in ſecundam obligationem itum fuerat, per hoc autem dubium erat, quando novandi animo videretur hoc fieri, & quaſdam de hoc præſumptiones alii in aliis caſibus introducebant: ideò noſtra proceſſit conſtitutio, quæ apertiſſimè definivit, tunc ſolùm novationem prioris obligationis fieri, quoties hoc ipſum inter contrahentes expreſſum fuerit, quod propter no-

## *§. III.*

*Vincula præterea contracta novatio tollit,*
*Ut ſi quod tibi debebat Sejus ſtipulatus*
*Sis reddi à Titio; naſcuntur enim nova vincla*
*Perſonæ interventu alio, ſed vincula prima*
*Solvuntur tranſlata in poſteriora, putetur*
*Ut licet interdum ſtipulatio poſtera nulla,*
*Attamen hanc primam præfata novatio tollit,*
*Ut ſi quod Titio debes, fueris ſtipulatus*
*A pupillo, nec tutor talem approbet actum:*
*Quo tamen in caſu res ipſa amiſſa putatur.*
*Namque prior liber cenſetur debitor, atque*
*Juris poſteriora ligamina nulla manebunt.*
*Hoc non juris erit, ſi quis fuerit ſtipulatus*
*A ſervo, remanet tunc namque perinde ligatus*
*Jàm prior, ac ſi eſſet ſtipulatus poſtea nemo.*
*Sed ſi eadem fuerit perſona à qua ſtipuleris,*
*Sic demum fieri prædicta novatio debet,*
*Si fortaſſe novi referat ſtipulatio quicquam*
*Poſterior, ſi nempè addatur, ſivè trahatur*
*Conditiove, diesve, fidejuſſorve. Quod autem*
*Conditio ſi addatur, dicta novatio fiet.*
*Sic debet cognoſci, ut facta novatio tantum*
*Dicatur, ſi exiſtat conditio, ſi alioqui*
*Deficiat, juris remanebant vincla priora.*
*Inter erat veteres prædicta novatio planè*
*Cum eſſet mens, animuſq; novandi vincla ſecũda.*
*Sed dubium fuerat; quando mens iſta novandi*
*Eſſet: diverſo, & vario præſumptio caſu*
*Introducta fuit. Proceſſit ſanctio noſtra*
*Idcircò, fuerat qua juſſa novatio primi*
*Dumtaxat vincli, cum hoc ipſum exponat uterq;*
*Qui faciet contractum, convenère prioris*
*Quòd juris vincli ut præfata novatio fiat.*
*Vincula prima manent ſecus, accedentq; ſecunda,*
*Juris*

Digitized by Google

novationem prioris obligationis convenerunt, alioqui & manere priſtinam obligationem, & ſecundam ei accedere, ut maneat ex vtraque cauſa obligatio, ſecundùm noſtræ conſtitutionis definitionem, quam licet ex ipſius lectione apertiùs cognoſcere.

*Juris ut utraque ex cauſa ſit vincula reſtent,*
*Ut definivit planè jàm ſanctio noſtra,*
*Quam ipſius poterit quiſquam ſpectare tenore.*

§. IV.

Hoc ampliùs, eæ obligationes, quæ conſenſu contrahuntur, contraria voluntate diſſolvuntur. Nam ſi Titius, & Sejus inter ſe conſenſerint, ut fundum Tuſculanū emptum Sejus haberet centum aureis: deindè re nondùm ſecuta, ideſt, neque pretio ſoluto; neque fundo tradito, placuerit inter eos, ut diſcederetur ab ea emptione, & vēditione: invicem liberantur. Idem eſt in conductione, & locatione, & in omnibus contractibus, qui ex conſenſu deſcendunt, ſicut jàm dictum eſt.

*§. IV.*

*Vincula præterea juris, quæ certa voluntas*
*Contrahit aſſenſu, diſſolvit certa voluntas;*
*Namque inter Titium, Sejumque aſſentio facta*
*Si fuerit fundum ut centum aureis Sejus haberet*
*Emptum, non fuerit res ipſa deindè ſecuta,*
*Traditus haud fundus fuerit, pretiumq; ſolutum,*
*Venditio, inter eos placeat; ſit & emptio nulla,*
*Liber uterque manent. Eadem conductio ſervet;*
*Atque locatio, deſcendit contractus & omnis*
*Qui ex conſenſu, ſicut ſupra diximus ipſi.*

## *FINIS LIBRI TERTII.*

IN-

# INSTITUTIONUM
SEU
# ELEMENTORUM
# DIVI JUSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS.

*Liber Quartus*,

IN CARMINA REDACTUS.

*De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur.*

## TITVLVS PRIMVS.

QUum ſit expoſitum ſuperiore libro de obligationibus ex contractu, ( & quaſi ex contractu : ) ſequitur ut de obligationibus ex maleficio, ( & quaſi ex maleficio ) diſpiciamus. Sed illæ quidem ( ut ſuo loco tradidimus ) in quatuor genera dividuntur : hæ verò unius generis ſunt : nam omnes ex re naſcuntur, ideſt, ex ipſo maleficio, veluti ex furto, rapina, damno, injuria.

*Jam fuit expoſitũ ſupra, quæ vincula juris (ta;*
*Sint ex cõtractu, atq; quaſi ex cõtractibus or-*
*Nunc quæ ex delicto naſcuntur, vincla vidẽda,*
*Et quaſi delicto. At ſuprà diviſimus illa (unam*
*In quatuor ſpecies. Verùm hæc tantùmmodo ad*
*Ducuntur ſpeciem. Sunt omnia namque profecta*
*Ex re, delictum hæc progignit ſcilicet ipſum,*
*Ut quæcumq; rapina, & furtum, injuria, dãnum.*

§. I.

Furtum eſt contrectatio fraudoloſa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere.

§. *I.*

*Fraude rei eſt alienæ contrectatio furtum,*
*Res ponatur ut in lucro, poſſeſſio, ſivè*
*Uſus. Quod vetitum eſt, naturæ admittere lege.*

Fur- *Eſt*

§. II.

Furtum autem, vel à furvo, ideſt nigro, dictum eſt, quod clàm, & obſcurè fiat, & plerumque nocte, vel à fraude, vel à ferendo, ideſt, auferendo: vel à græco ſermone quo φῶρας appellant fures. Imò & Græci à ferendo φῶρας dixerunt.

§. III.

Furtorum autem duo ſunt genera manifeſtum, & nec manifeſtum. Nam conceptum, & oblatum, ſpecies potiùs actionis ſunt furto cohærentes, quàm genera furtorum, ſicut inferiùs apparebit. Manifeſtus fur eſt, quem Græci ἐπ' αὐτοφώρῳ appellant;: nec ſolùm is, qui in ipſo furto deprehenditur: ſed etiam is, qui in eo loco deprehenditur, quo furtum fit: veluti qui in domo furtum fecit, & nondum egreſſus januam, deprehenſus fuerit: & qui in oliveto olivarum, aut in vineto uvarum furtum fecit, quandiù in eo oliveto, aut vineto deprehēſus fuerit. Imò ulteriùs furtum manifeſtum eſt extendendum, quandiù eam rem fur tenens viſus, vel deprehenſus fuerit, ſivè in publico, ſivè in privato: vel à domino, vel ab alio, antequam eò pervenerit, quò deferre, vel deponere deſtinaſſet. Sed ſi pertulit, quò deſtinavit, tametſi deprehendatur cum re furtiva, non eſt manifeſtus fur. Nec manifeſtum furtum, quid ſit, ex iis, quę diximus, intelligitur. Nam quod manifeſtum non eſt, id ſcilicet nec manifeſtum eſt.

§. IV.

Conceptum furtum dicitur, cum apud aliquem teſtibus præſentibus furtiva res quæſita, & inventa ſit: nam in eum propria actio conſtituta eſt, quamvis fur non ſit; quę appellatur concepti. Oblatum furtum dicitur, cum res furtiva ab aliquo tibi oblata ſit, eaque apud te concepta ſit: utique ſi ea mente tibi data fuerit, ut apud te potiùs quàm apud eum, qui dedit, conciperetur. Nam tibi, apud quem concepta ſit, propria adverſus eum, qui obtulit, quamvis fur nō ſit, conſtituta eſt actio, quæ appellatur oblati. Eſt etiam prohibiti furti actio adverſus eum, qui furtum quærere teſtibus præſentibus volentem prohibuerit. Prætereà pœna conſtituitur ædicto Prætoris per actionem furti non exhibiti, adverſus eum, qui furtivam rem apud ſe quæ-

ſitam,

§. II.

*Eſt autem furtum, ſeù furvo, à nomine dictum,*
*Nempè nigro, ſæpè obſcuræ quòd tempore noctis*
*Clàm fiat, ſeù dictum à fraude eſt, ſivè ferendo,*
*Scilicet à verbo, aufero, ſivè à nomine Græco,*
*Quo φῶρας fures Græci dixère priores,*
*Jmmò, fero, à verbo φῶρας dixiſſe putandum eſt.*

§. III.

*Furtorum verò duplex genus eſt, manifeſtum, &*
*Nec manifeſtum; conceptum, oblatumq; Cohærens*
*Nam furto potiùs duplex eſt actio, furti*
*Quàm genus eſt duplex, ſicut ſpectabitur infrà.*
*Fur manifeſtus erit, vario quem nomine Græci*
*Dicunt, non ſolùm quicumque prehenditur ipſo*
*In furto, aſt etiam illic, ipſum ubi fortè patratur*
*Furtum, nempè domi furtum quicumq; patravit,*
*Non egreſſus adhuc limen, fueritque prehenſus:*
*Et qui in oliveto furtim percæpit olivas,*
*Aut uvas in vineto; fueritque prehenſus*
*Ipſo in oliveto, aut vineto. Quin manifeſtum*
*Ulteriùs debemus furtum extendere, donèc*
*Rem latro retinens viſus, fueritque prehenſus,*
*Sivè loco in privato, ſivè in publico ab ipſis*
*Aut dominis, aliiſve, priusquā advenerit illùc,*
*Ducere quò ſtatuiſſet, vel deponere furtim*
*Rem captam. Verùm ſi ipſam rem pertulit illùc,*
*Quò ſtatuit latro, ſit quamvis indè prehenſus*
*Cū re furtiva attamen haud manifeſtus habēdus*
*Eſt fur. Nec manifeſtum quid ſit, noſcere planè*
*Ex illis quivis poterit, quæ diximus antè;*
*Nā manifeſtū quod non eſt, id nec manifeſtū eſt.*

§. IV.

*Conceptum fertur, cum coràm teſtibus ipſa*
*Res furtiva penes quemvis quæſita ſit, atque*
*Inventa. Eſt in eum namque actio jure ſtatuta,*
*Fur licet haud fuerit, concepti nomine dicta.*
*Oblatum verò furtum tunc dicitur eſſe,*
*Sic cum oblata tibi, concepta deindè ſit ipſa*
*Res furtiva penes te; planè tradita mente*
*Si ſit ea, ut potiùs res conciperetur apud te,*
*Quàm penes illū; à quo fuerit tibi tradita; Nāq;*
*Eſt tibi, apud quem res concepta ſit, actio contrà*
*Illum, qui obtulit, is quamvis nō furta patrarit,*
*Sacro jure ſtatuta, oblati ac nomine dicta.*
*Prætereà vetiti furti datur actio contrà*
*Illum, qui vetuit furtum perquirere coram*
*Teſtibus. Atque etiam non exhibiti actio furti*
*Conſtituit pœnam edicto Prætoris in illum,*
*Qui rem furtivam quæſitam ſe penes, atque*
*Inventam non exhibuit. Verùm actio quævis*

*Fur-*

ſitam, & inventam non exhibuit. Sed hæ actiones, ſcilicet contepti, & oblati, & furti prohibiti, nec non furti non exhibiti, in deſvetudinem abjerunt. Quum enim requiſitio rei furtivæ hodie ſecundùm veterem obſervationem non fiat: meritò ex cōſequentia etiam præfatæ actiones ab uſu communi receſſerunt: quum manifeſtum ſit, quod omnes, qui ſcientes rem furtivam ſuſceperint, & celaverint, furti nec manifeſti obnoxii ſunt.

*Furtorum noſtro præſata receſſit ab uſu.*
*Namque rei furtivæ cum baud quæſitio fiat,*
*Ut fuit antiquo ſervatum tempore, jure*
*Quælibet ex dictis communi ceſſit ab uſu*
*Actio. Furti namque obnoxius eſſe videtur*
*Nec manifeſti, furtivam quicumque ſcientèr*
*Rem ſuſceperit, atque ipſam calaverit indè.*

§. V.

Pœna manifeſti furti, quadrupli eſt, tàm ex ſervi, quàm ex liberi perſona, nec manifeſti, dupli.

§. *V.*

*Eſt quadrupli furti manifeſti pœna ſtatuta,*
*Furti nec manifeſti dupli eſt debita pœna,*
*Servi, aut ingenui furtum perſona patrarit.*

§. VI.

Furtum autem fit, non ſolùm cum quis intercipiendi cauſa rem alienam amovet: ſed generaliter cum quis alienam rem, invito domino, contrectat. Itaque ſivè creditor pignore, ſivè is, apud quem res depoſita eſt, ea re utatur, ſivè is, qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quàm cujus gratia ei data eſt: furtum committit: veluti ſi quis argentum utendum acceperit, quaſi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregrè ſecum tulerit: aut ſi quis equum geſtandi cauſa commodatum ſibi, longiùs aliquò duxerit: quod veteres ſcripſerunt de eo, qui in aciem equum perduxiſſet.

§. *VI.*

*Non ſolùm verò furtum cenſebitur eſſe,*
*Occultè rem alienam cum quis dimovet, ipſam*
*Ut rem intercipiat, verùm generalitèr eſſe*
*Cenſendum eſt furtum, contrectat quis cū alienā*
*Furtim rem domino invito. Seù creditor ergò*
*Pignore, ſivè is apud quem res deponitur, ipſa*
*Utatur, ſeù qui rem utendam accepit, in uſum*
*Transferat ipſe aliū, quàm cujus ſit data cauſa,*
*Cōmittit furtū, ut ſi utendum jàm accipiat quis*
*Argentum, quaſi lautam invitaturus amicos*
*Ad cœnā, & peregrè ſecum illud trāsferat, aut ſi*
*Velocem perducat equum quis longiùs, ipſi*
*Quem quidam cauſa geſtandi commodat. Idque*
*Scripſerunt veteres de illo, qui duxerat olim,*
*Ut certaret, equum ad pugnas, acieſque paratas.*

§. VII.

Placuit tamen eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quàm utendas acceperint, ità furtum committere: ſi ſe intelligant, id, invito domino, facere, eumque ſi intellexiſſet, non permiſſurum: at ſi permiſſurum credant, extra crimen videri, optima ſanè diſtinctione: quia furtum, ſine affectu furandi non committitur.

§. *VII.*

*Illū at, qui alterius re alitèr, quàm ſuſcipit ipſā*
*Utendam, utetur; placuit committere furtum*
*Sic, facere invito domino, ſi intelligat, iſtud;*
*Atque ipſum non permiſſurum fortè fuiſſe,*
*Si ſciſſet: permiſſurum at ſi intelligat, extra*
*Crimen cenſeri. Hæc diſtinctio; jure ſtatuta eſt.*
*Nam ſine furandi affectu fur nemo putatur.*

§. VIII.

Sed & ſi credat aliquis invito domino ſe rem commodatā ſibi contrectare, domino autem volente id fiat: dicitur furtum non fieri. Unde illud quæſitum eſt, cum Titius ſervum Mævii ſollicitaverit, ut quaſdam res domino ſubriperet, & ad eum perferret, & ſervus id ad Mævium pertulerit: Mævius (autem) dum vult Titiū in ipſo delicto deprehendere, permiſerit ſervo quaſdam res ad eum perferre: utrum furti, an ſervi corrupti

§. *VIII.*

*Sed ſi aliquis credat, rem, quam ſibi commodat*
*Invito domino contrectare, idque volente (alter,*
*Efficiat domino, fieri non dicitur ullum*
*Furtum: Hinc quæſitū eſt, cum ſollicitarit Aceſtes*
*Sempronî ſervum, ut non nullas fraude, doloque*
*Res contrectaret domini, & perferret ad ipſum,*
*Servus, & id domino referat: Sempronius autem,*
*Dum vult ipſo in delicto deprendere Aceſtem,*
*Ferre ad eum quicquam ſervo permiſerit ipſi,*
*Utrum furti, an corrupti teneatur Aceſtes*

rupti judicio teneatur Titius, an neutro? Et cum nobis ſuper hac dubitatione ſuggeſtū eſt, & antiquorum prudentium ſuper hoc altercationes perſpeximus, quibuſdam neq; furti, neque ſervi corrupti actionem præſtantibus, quibuſdam furti tantùmmodò: nos hujuſmodi calliditati obviam euntes, per noſtram deciſionem ſancimus, non ſolùm furti actionem, ſed & ſervi corrupti cōtrà eum dari. Licet enim (is) ſervus deterior (à ſollicitatore) minimè factus eſt, & ideò non concurrant regulæ, quæ ſervi corrupti actionem introducunt: tamen conſilium corruptoris ad perniciem probitatis ſervi introductum eſt, ut ſit ei pœnalis actio impoſita, tamquam (ſi) re ipſa fuiſſet ſervus corruptus: ne ex hujuſmodi impunitate, & in alium ſervum, qui facilè poſſet corrumpi, tale facinus à quibuſdam perpetretur.

*Servi judicio, an neutro? Et nobis dubio cum*
*De hoc eſt ſugeſtum, juris veterumque peritum*
*Nos ſuper hoc varios ſenſus perſpeximus eſſe.*
*Actio nec corrupti à pluribus ulla dabatur*
*Servi, nec furti, à multis tantùmmodò furti.*
*Calliditati horum prudentum occurrimus, atque*
*A nobis ſancita fuit deciſio; per quam*
*Non in eum ſolùm furti datur actio, ſervi*
*Sed corrupti etiam; nàm à ſollicitante licet non*
*Sit factus ſervus pejor, nec regula currat*
*Idcircò, qua corrupti eſt ſervi actio ducta*
*Aſt ad perniciem ſervi probitatis habetur*
*Conſilium inductum illius, corrumpere ſervum*
*Qui tentavit, ei pœnalis ut actio lata*
*Sit, tamquam corruptus ſi re ipſa ille fuiſſet;.*
*Hanc propter veniam facinus ne tale patretur*
*In ſervum, planè quem aliquis corrùpere poſſet.*

§. IX.

Interdum etiam liberorum hominum furtum fit: veluti ſi quis liberorum noſtrorum, qui in poteſtate noſtra ſunt, ſubreptus fuerit.

§. *IX.*

*Ingenuorū interdùm hominū quoq; furta patrā-* *(tur.*
*Si veluti è noſtris natis latrunculus ullum*
*Subripiat, Patrio quem nos ſub jure tenemus.*

§. X.

Aliquando autem etiam ſuæ rei furtum quis committit: veluti ſi debitor rem quam creditori pignoris cauſa dedit, ſubtraxerit.

§. *X.*

*At plerumque rei poterit committere furtum*
*Quiſque ſua, ut ſi debens rem ſubtraxerit illam,*
*Quam dederat credenti cauſa pignoris ipſe.*

§. XI.

Interdum (quoque) furti tenetur, qui ipſe furtum non fecit: qualis eſt is, cujus ope, & conſilio furtum factum eſt. In quo numero eſt, qui tibi nummos excuſſit, ut alius eos raperet; aut tibi obſtiterit, ut alius rem tuam exciperet, aut oves tuas, vel boves fugaverit, ut alius eos acciperet. Et hoc veteres ſcripſerunt de eo, qui panno rubro fugavit armentum. Sed ſi quid eorum per laſciviam, & non data opera, ut furtum admitteretur factū eſt: in factum actio dari debet. At ubi ope Mævii Titius furtū fecerit: ambo furti tenentur. Ope, & conſilio ejus quoque furtum admitti videtur, qui ſcalas fortè feneſtris ſupponit: aut ipſas feneſtras, vel oſtium effringit, ut alius furtum faceret: quive ferramenta ad effrigēdum, aut ſcalas, ut feneſtris ſupponerentur, commodaverit, ſciens cujus rei gratia commodaverit. Certè qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, ſed tantùm con-

§. *XI.*

*Qui furtū haud fecit, furti quoque ſæpè tenetur,*
*Qualis is eſt, ope cujus, conſilioque patratum*
*Eſt furtum. Hoc numero planè cenſebitur ille,*
*Qui tibi non nullos nummos excuſſerit; ipſos*
*Ut raperet latrunculus, obſtiteritve tibi ut rem*
*Jure tuam exciperet quiſquā agnos ſivè fugarit,*
*Sivè boves, alius quò ſecum ducere poſſet.*
*Hoc etiam de illo reſcripſit priſca vetuſtas,*
*Qui rubro per campos panno armenta fugavit.*
*Sed ſi quid fuerit factum petulanter eorum,*
*Et non ut fieret furtū, in factum actio danda eſt.*
*Aſt ubi Semproni auxilio commiſit Aceſtes*
*Furtum: judicio furtū teneatur uterque.*
*Conſilio admitti furtum, auxilioque videtur*
*Ejus, qui ſcalas ſupponit fortè feneſtris,*
*Effringitve fores validas, ipſaſve feneſtras,*
*Ut fieret furtum; aut qui ferramenta miniſtret*
*Ad frangendum, ſupponendas fortè feneſtris*
*Commodet aut ſcalas, noſcens cur commodet. Ille*
*Auxilium certè nullum qui præbuit, ipſum*
*Ut fieret furtum; verum tantùmmodò furi*

filium dedit, atque hortatus eſt ad furtum faciendum, non tenetur furti.

§. XII.

Hi, qui in parentum, vel dominorum poteſtate ſunt, ſi rem eis ſubripiunt, furtum quidem faciunt, & res in furtivam cauſam cadit (nec ob id ab ullo uſucapi poteſt, antequam in domini poteſtatem revertatur) ſed furti actio non naſcitur, quia nec ex alia ulla cauſa poteſt inter eos actio naſci. Si verò ope, & conſilio alterius furtum factum fuerit: quia utique furtum committitur, convenienter ille furti tenetur: quia verum eſt, ope, & conſilio ejus furtum factum eſſe.

§. XIII.

Furti autem actio ei competit, cujus intereſt rem ſalvam eſſe, licet dominus non ſit. Itaque nec domino aliter competit, quàm ſi ejus interſit rem non perire.

§. XIV.

Unde conſtat, creditorem de pignore ſubrepto furti actione agere poſſe, etiam ſi idoneum debitorem habeat: quia expedit ei pignori potiùs incumbere, quàm in perſonam agere: adeò quidem, ut quamvis ipſe debitor eam rem ſubripuerit: nihilominùs creditori competat actio furti.

§. XV.

Item ſi fullo polienda curandave, aut ſarcinator ſarcienda veſtimenta mercede certa (conſtituta) acceperit, eaque furto amiſerit: ipſe furti habet actionem, non Dominus, quia domini nihil intereſt eam rem non perire, quum iudicio locati à fullone, aut ſarcinatore rem ſuam perſequi poſſit. Sed & bonæ fidei emptori ſubrepta re, quã emerit, quamvis dominus non ſit, omninò competit furti actio, quemadmodum & creditori. Fulloni verò, & ſarcinatori non aliter furti actionem competere placuit, quàm ſi ſolvendo fuerint: hoc eſt ſi domino rei æſtimationem ſolvere poſſint. Nam ſi ſolvendo non ſint: tunc quia ab eis ſuum dominus conſequi non poſſit: ipſi Domino furti competit actio: quia hoc caſu ipſius intereſt rem ſalvam eſſe. Idem eſt & ſi in parte ſolvendo fuerit fullo, aut ſarcinator.

§. XVI.

Quæ de fullone, & ſarcinatore diximus, eadem, & ad eum, cui commodata res eſt,

trans-

*Conſilium dederit, fueritque hortatus, ut ipſe*
*Furetur, furti nulla ratione tenetur.*

§. *XII.*

*Qui verò patrum, & dominorum jure tenentur,*
*Si rem ſubripiant ipſis, committere furtum*
*Cenſendum eſt, remq; in furtivã incurrere cauſã,*
*Idcircò hanc retinens poterit præſcribere nemo,*
*Ante manus domini quàm res advenerit ipſa.*
*At verò furti non naſcitur actio; namque*
*Inter eos ulla ex alia cauſa actio naſci*
*Nec poterit. Furtum fuerit ſin fortè patratum*
*Conſilio, alteriuſve ope, verè ſit quia furtum,*
*Convenientèr commiſſi furti ille tenetur;*
*Ejus namque eſt conſilio, auxilioque patratum.*

§. *XIII.*

*Jàm verò furti tantùmmodò competit illi*
*Actio, rem, cujus refert ſalvam eſſe, licet non*
*Sit Dominus. Domino ergò alitèr nec cõpetit, ejus*
*Quàm ſi interſit, rem nulla ratione perire.*

§. *XIV.*

*Competit hinc illi; eſt qui creditor, actio furti*
*Pignore de ſubrepto, etiam ſi debitor ipſe*
*Sit ſolvendo; incumbere nam magis expedit illi*
*Pignoribus, quàm agere in perſonã, debitor indè*
*Ut quamvis rem ſubripiat, tamen actio furti*
*Protinus admiſſi credenti competat ipſi.*

§. *XV.*

*Præterea veſtem, certa mercede ſtatuta,*
*Si fullo ut poliat, curetve, acceperit, ipſam*
*Sivè quis accipiat, quò ſarciat, atque deindè*
*Veſtem furto amiſerit, eſt furti actio danda*
*Ipſi, non domino; rem haud illam namq; perire*
*Nil domini refert, quoniam à fullone locati*
*Judicio ipſe ſuam poterit rem poſcere, ab illo*
*Aut, qui, ut ſarciret, ſuſcepit. At actio furti*
*Competit omninò illi, emptor qui dicitur eſſe*
*Jure bonæ fidei; cum res ſubrepta ſit ipſa,*
*Quã emerit, is quamvis dominus nõ eſt, velut illi*
*Eſt qui creditor. At prædictis competit ipſa*
*Non alitèr, quàm ſi ſint ſolvendo, actio furti,*
*Nempè rei pretium domino ſi ſolvere poſſint,*
*Ut placuit; nam ni ſolvendo ſint, quia ab illis*
*Jure ſuum planè dominus non poſſit habere,*
*Competit extemplò domino furti actio; Namque*
*Hoc caſu rem ſalvam refert ipſius eſſe;*
*Idq; eſt dicẽdum, ſi in parte haud ſolvere poſſint,*

§. *XVI.*

*Quæ de fullone, atque illo, qui ſarciat, ante*
*Diximus, hæc ad eum veteres ducendo putarũt,*

*Qui*

transferenda veteres exiſtimabant. Nam ut ille fullo mercedem accipiendo, cuſtodiam præſtat: ità hic quoque, qui commodatum utendi cauſa accepit, ſimiliter neceſſe habet cuſtodiam præſtare. Sed noſtra providentia etiam hoc in noſtris deciſionibus emendavit, ut in domini voluntate ſit: ſivè commodati actionem adverſus eum, qui rem commodatam accepit, movere deſiderat, ſivè furti adverſus eum, qui rem ſubripuit: & alterutra earum electa, dominum non poſſe ex pœnitentia ad alteram venire actionem. Sed ſi quidem furem elegerit: illum, qui rem utendam accepit, penitùs liberari. Sin autem commodator veniat adverſus eum, qui rem utendam accepit: ipſi quidem nullo modo competere poſſe adverſus furem furti actionem: eum autem, qui pro re commodata convenitur, poſſe adverſus furem furti habere actionem: ità tamen, ſi dominus ſciens rem eſſe ſubreptam, adverſus eum, cui res commodata fuerit, pervenit. Sin autem neſcius, & dubitans rem eſſe ſubreptam apud eum commodati actionem inſtituerit: poſtea autem, re comperta, voluerit remittere quidem commodati actionem, ad furti autem actionem pervenire: tunc licentia ei conceditur, & adverſum furem venire, obſtaculo nullo ei opponendo, quoniam incertus conſtitutus movit adverſus eum, qui rem utendam accepit, commodati actioné: niſi domino ab eo ſatisfactum fuerit: tunc etenim omninò furem à domiuo quidem furti actione liberari: ſuppoſitum autem eſſe ei, qui pro re ſibi commodata domino ſatisfecit: cum manifeſtiſſimum ſit, etiam ſi ab initio dominus actionem commodati inſtituerit, ignarus rem eſſe ſubreptam, poſtea autem hoc ei cognito, adverſus furem tranſierit: omninò liberari eum, qui rem commodatam acceperit, quemcumq; cauſæ exitum dominus adverſus furem habuerit: eadem definitione obtinente, ſivè in parte, ſivè in ſolidum ſolvendo ſit is, qui rem commodatam acceperit.

§. XVII.

Sed is, apud quem res depoſita eſt, cuſtodiam non præſtat: ſed tantùm in eo obnoxius eſt, ſi quid ipſe dolo malo fecerit: qua de cauſa ſi res ei ſubrepta fuerit: quia reſti-

*Qui rem acceperit utendam, nam ſicut ab illo*
*Accipiente ſui pretium fullone laboris*
*Præſtatur cuſtodia, ſic quoque debet ab ipſo*
*Præſtari cuſtodia, cui quis commodat ullam*
*Rem utendi cauſa. Aſt etiam deciſio noſtra*
*Hoc emendavit, domini ut ſit in arbitrio ſeù*
*Actio, quæ debetur ei, qui commodat illum*
*Contrà, qui accepit, furti ſivè actio in ipſum,*
*Qui rem ſubripuit; Verùm ſi elegerit harum*
*Alterutram, domino non altera competit ipſi,*
*Quamvis elegiſſe illam ſe pænitet indè.*
*Sed planè dominus furem ſi elegerit, ille,*
*Qui utendam accepit rem, debet liber haberi*
*Omninò. Si autem veniat, qui commodat, illum*
*Contrà, qui rem utendam accepit, competit ipſi*
*Haud ullo pacto contrà furem actio furti.*
*Adverſus verò furem eſt illi actio danda,*
*Contrà quē quis agit pro re, quā commodat ipſi;*
*Sic tamen, ut Dominus poſtquam cognoverit eſſe*
*Rē ſubreptā, in eum veniat, cui commodat ipſam.*
*Sin verò ignoraverit, & dubitaverit eſſe*
*Rem ſubreptā, & ea actio planè cæpta ſit ante,*
*Quàm utitur ille, ſuā qui aliis rē cōmodat, & re*
*Poſteà comperta, linquendi certa voluntas*
*Hanc ſit, agendiq; in furem; tunc danda facultas*
*Adverſus furem veniendi eſt protinus illi,*
*Nullo obice opponendo; cæpit namque venire*
*Incertus contrà illum, qui rem acceperat antè*
*Utendam, Domino niſi ab ipſo fortè ſatis ſit*
*Factum; tunc etenim planè fur liber habetur*
*A domino omninò; cui non datur actio furti.*
*Suppoſitus verò latro cenſebitur eſſe*
*Illi, qui domino ſatis ipſi fecerit illa*
*Pro re, quam utendi cauſa ſuſceperit ante;*
*Nam licet à Domino fueris primò actio mota,*
*Qua ſolet ille uti, qui commodat inſcius ipſe*
*Cum fuerit rem ſubreptam, hoc ſed poſteà noto,*
*Adverſus furem tranſiverit: attamen ille,*
*Qui accepit rem utendam, omninò liber habetur,*
*In furem domino quicumque ſit exitus hujus*
*Cauſæ. Atque hæc eadem ſtatuit deciſio noſtra,*
*Aut in parte, aut in toto perſolvere poſſit*
*Rem accipiens utendam, quæ ſubrepta ſit indè.*

§. *XVII.*

*At verò cuſtodia non præſtatur ab illo,*
*Quem penès eſt res depoſita, at tantùmmodò in*
*Eſt obnoxius, efficiat ſi fraude, doloque (ipſo*
*Quicquam; Quapropter ſi res ſubrepta ſit illi,*

 *Ejus*

reſtituendæ ejus rei nomine depoſiti non tenetur, nec ob id ejus intereſt rem ſalvam eſse: furti agere non poteſt, ſed furti actio domino competit.

*Ejus namque rei reddendæ nomine nullo*
*Depoſiti ipſe tenetur; ob id non illius eſſe*
*Rem ſalvã refert; is furti agere haud poterit, ſed*
*Dumtaxat Domino conceditur actio furti.*

§. XVIII.

In ſumma, ſciendum eſt, quæſitum eſſe, an impubes rem alienam amovendo furtum faciat? Et placuit, quia furtum ex affectu (furandi) conſiſtit, ità demùm obligari eo crimine impuberem ſi proximus pubertati ſit; & ob id intelligat ſe delinquere.

§. *XVIII.*

*Quæritur in ſumma, an committat furta puellus,*
*Cum amoveat rẽ alienã; Sed ſententia noſtra eſt,*
*Furandi quia in affectu conſiſtere furtum*
*Eſt certum, adſtringi tali ſic crimine demùm*
*Impubem, pubertati ſi proximus extet,*
*Atq; ob id omninò crimen committere noſcat.*

§. XIX.

Furti actio, ſivè dupli, ſivè quadrupli tantùm ad pœnæ perſecutionem pertinet. Nam ipſius rei perſecutionem extrinſecus habet dominus, quam aut vindicando, aut condicendo poteſt auferre. Sed rei vindicatio quidem adverſus poſſeſſorem eſt: ſivè fur ipſe poſſidet, ſivè alius quilibet: condictio autem adverſus furem ipſum, hæredemve ejus, licet non poſſideat, competit.

§. *XIX.*

*(Spectat*
*Ad pœnam aut dupli, aut quadrupli tãtùmmodò*
*Actio furti; etenim Dominus rẽ extrinſecus ipsã*
*Proſequitur, quam condicit, vel vindicat indè,*
*Cum aufert. At verò, qua vindicat, actio in illã*
*Eſt, qui furtivam planè rem poſſidet, ipſam*
*Poſſideat, ſeù fur, alius ſeù quilibet. Aſt aut*
*Adverſus furem, aut hæredem competit ejus,*
*Quamvis rem non poſſideat, condictio jure.*

## *De vi bonorum raptorum,*

## TITVLVS II.

QUi vi res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti, (quis enim magis alienam rem invito domino contrectat, quàm qui vi rapit? ideòque rectè dictum eſt, eum improbum furem eſſe) ſed tamen propriam actionem ejus delicti nomine Prætor introduxit, quæ appellatur vi bonorum raptorum: & eſt intra annum quadrupli, poſt annum ſimpli: quæ actio utilis eſt: etiam ſi quis unam rem, licet minimã, rapuerit. Quadruplum autem non totum pœna eſt, ſicut in actione furti manifeſti diximus: ſed in quadruplo ineſt & rei perſecutio: ut pœna tripli ſit, ſivè comprehendatur raptor in ipſo delicto, ſivè non. Ridiculum enim eſſet levioris conditionis eſſe eum, qui vi rapit, quàm qui clàm amovet.

*QUi rapiet vi res alienas, ille tenetur*
*Furti etiam; (quis enim mage contrectare videtur*
*Invito domino rem, quàm qui vi rapit ipſam?*
*Improbus idcircò rectè fur ille feretur.)*
*Attamen à Prætore ipſius voce rapinæ*
*Eſt introducta actio, quæ appellata bonorũ (anni*
*Eſt vi raptorũ, intra annum eſt quadrupli, unius*
*Poſt lapſum tripli, quæ eſt utilis actio, quamvis*
*Unã rem minimã Raptor rapiat. Quadruplũ au-*
*Non totũ pœna eſt, ſicut nos diximus ante (tem*
*In furto manifeſto, verùm in quadruplo ineſt res,*
*Ut ſit pœna tripli, raptor ſeù crimine in ipſo*
*Prendatur, ſeù non; nam ridiculum eſſe videtur,*
*Raptoris levius, quàm furis crimen haberi.*

§. I.

Ita tamen competit hæc actio, ſi dolo malo quis rapuerit. Nam qui aliquo errore ductus, rem ſuam eſſe exiſtimans, & imprudens juris eo animo rapuerit, quaſi domino liceat etiam per vim rem ſuam auferre

re

§. *I.*

*Sic verò prædicta hæc competit actio, pravo*
*Si quis fortè dolo rapiat; nam abſolvitur ille,*
*Eſſe ſuã qui errore putans rem, atq; inſcius omnis*
*Juris tali animo rapiat, Domino quaſi per vim*
*Planè auferre ab eo liceat, qui poſſidet ipſam.*

Con-

Digitized by Google

re à poſſeſſoribus : abſolvi debet. Cui ſcilicèt conveniens eſt, nec furti teneri eum, qui eodem hoc animo rapuit. Sed ne, dum talia excogitātur, inveniatur via, per quam raptores impunè ſuam exerceāt avaritiam: melius divalibus conſtitutionibus pro hac parte proſpectum eſt, ut nemini liceat vi rapere, vel rem mobilem, vel ſe moventem, licet ſuam eandem rem exiſtimet : ſed ſi quis contra ſtatuta Principum fecerit : rei quidē ſuæ dominio cadere: ſin autem aliena (res) ſit, poſt reſtitutionem ejus etiam æſtimationem ejuſdem rei præſtare. Quod non ſolùm in mobilibus rebus, quæ rapi poſſunt, conſtitutiones obtinere cenſuerunt : ſed etiam in invaſionibus quæ circa res ſoli fiunt, ut ex hac cauſa ab omni rapina homines abſtineant.

*Convenientēr nullius furti ille tenetur*
*Qui hoc animo rapuit. Sed ne dum talia fortè*
*Perpenduntur, comperiatur ſemita quædam,*
*Qua impunè exercere ſuam jàm poſſit avarus*
*Raptor avaritiam ; melius ſacra ſanctio ſanxit*
*Pro hac parte, ut rapere haud liceat rem, mobilis*
*Seù ſit, ſivè movēs ſe, quamvis credat eādē (illa*
*Eſſe ſuam raptor. Sin quis contrà iſta ſtatuta*
*Principis efficiat, propria tunc deſinat ipſe*
*Eſſe rei dominus; fuerit ſin res aliena,*
*Reddita poſtquam illa eſt, etiam præſtare tenetur*
*Ejuſdem pretium. Quod non modò rebus in ipſis*
*Mobilibus, quæ vi poſſunt rapi, habere vigorem*
*Sanctio conſtituit, verùm ſi invaſio fiat*
*Circa fixa ſolo, ex hac ut ratione rapinis*
*Se abſtineant homines, nec talia crimina patrent.*

§. II.

Sanè in hac actione non utique expectatur, rem in bonis actoris eſſe: nam ſivè in bonis ſit, ſivè non: ſi tamen ex bonis ſit, locum hæc actio habebit. Quare ſivè locata, ſivè commodata, ſivè etiam pignorata, ſivè depoſita ſit (res) apud Titium ſic, ut interſit ejus eā rem (per vim) non auferri (veluti ſi in depoſita re culpam quoque promiſit) ſivè bona fide poſſideat, ſivè uſumfructum quis habeat in ea, vel quid aliud juris, ut interſit ejus non rapi : dicendum eſt, ei competere hanc actionem, non ut dominium accipiat : ſed illud ſolum, (quod) ex bonis ejus, qui rapinam paſſus eſt, (ideſt,) quod ex ſubſtantia ejus ablatum eſſe, proponatur. Et generaliter dicendum eſt, ex quibus cauſis furti actio competit in re clàm facta, ex eiſdem cauſis omnes habere hanc actionem.

*S. II.*

*Hæc actoris ineſſe bonis rem haud actio poſcit,*
*Sivè bonis etenim inſit, ſeù non, ſi ipſa bonorum*
*Sit tamen ex numero, planè actio ſemper habebit*
*Dicta locum. Quare fuerit res ſivè locata,*
*Sivè utenda accepta, in pignore ſivè recepta,*
*Seù ſit apud Titiū poſita, ipſam, interſit ut ejus*
*Rem per vim haud auferri, ſi veluti quoq; culpā*
*In re depoſita promiſit, re ſit in ipſa*
*Sivè bonæ fidei poſſeſſor, ſivè habeat quis*
*Uſumfructum, ſivè aliud quid juris, ut ejus*
*Interſit rē vi haud auferri, ut cuiq; fatēdum eſt,*
*Actio vi rerum raptarum competit illi,*
*Sed non ut Dominus fiat tantùmmodò at id, quod*
*Ex cujuſque bonis, paſſus qui eſt fortè rapinam,*
*Nempè ex rebus, quæ ejus ſunt ſubſtantia, raptū*
*Proponatur ei. Verùm generalitèr omni*
*Ex cauſa admiſſi qua competit actio furti*
*In re clàm ablata, dicta actio habenda feratur.*

## *De lege Aquilia.*

## TITVLVS III.

DAmni, injuriæ actio conſtituitur per legem Aquiliam : cujus primo capite cautum eſt ; *Ut ſi quis alienum hominem, alienamve quadrupedem, quæ pecudum numero*

*VErùm damni injuriæ, & actio lege ſtatuta*
*Aquilia eſt. Capite in primo hujus jure caveтur,*
*Ut ſi quidā alienū hominē non jure necarit,*
*Quadrupedem aut alienā, quæ pecudū numero ſit,*
*Quanti*

*mero ſit, injuria occiderit : quanti ea res in eo anno plurimi fuerit, tantum domino dare damnetur.*

§. I.

Quod autem non præcisè de quadrupede, ſed de ea ranrùm, quæ pecudum numero eſt, cavetur : cò pertiner, ur neqne de feris beſtiìs, neqne de canibus cautum eſſe inrelligamus, ſed de iis tantùm, quæ (gregatim) propriè paſci dicuntur: quales sũt equi, muli, aſini, oves, boves, capræ ; De ſuibus quoque idem placuir. Nam & ſues pecudum appellatione continentur: quia & hi gregatim paſcuntur. Sic denique & Homerus in Odyſſea ait (ſicut Ælius Martianus in ſuis Inſtirutionibus refert.)

Δήεις τόν γε σύεσσι παρήμενον, αἱ δὲ νέμονται
Πὰρ κόρακος πέτρῃ ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.

§. II.

Injuria autem occidere intelligitur, qui nullo jure occidir. Iraque qui larronem (inſidiatorem) occiderir, non renetur, utique ſi aliter periculum effugere non poteſt.

§. III.

Ac ne is quidem hac lege tenetur ; qui caſu occidir, ſi modò culpa ejus nulla inveniatur. Nam alioqui non minus ex dolo, quàm ex culpa quiſque hac lege renetur.

§. IV.

Itaque ſi quis dum jaculis ludir, vel exercirarur, tranſeuntem ſervum ruum trajecerit, diſtinguitur. Nam ſi id à milite in eo campo, ubi ſolitum eſt exercirari, admiſſum eſt : nulla culpa ejus intelligitur. Si alius tale quid admiſerit : culpæ reus eſt. Idem juris eſt de milite, ſi in alio loco, quàm qui ad exercitandum militibus deſtinatus eſt, id admiſerit.

§. V.

Item ſi putator ex arbore, dejecto ramo, ſervum tuum tranſeuntem occiderit : ſi propè viam publicam, aut vicinalem id factum eſt, neque proclamavir, ur caſus evitari poſſet, culpæ reus eſt : ſed ſi proclamavir, nec ille curavit præcavere, extra culpam eſt putaror. Æquè extra culpam eſſe intelligitur, ſi ſeorſum à via forrè,

vel

*Quanti ea res illo ducatur plurimi in anno,*
*Damnificans domino damnetur reddere tantùm.*

§. I.

*Quod verò non præcisè de quadrupede, at de*
*Illa, quæ pecudum numero tantùmmodò habetur,*
*Eſt cautum lege ex prædicta pertinet illò,*
*Ut neq; de canibus, neq; jàm de animalibus illis*
*Queis natura fera eſt, cautum nos eſſe putemus,*
*Sed de illis tantùm propriè, quæ ex more grega-*
*Depaſcũtur equus, veluti ſunt mulus, aſellus, (tim*
*Bos, & oves, capræ. Hoc placuit quoq; dicere nobis*
*De ſue; namque ſues pecudum ſub voce notantur:*
*Iſti etenim quoque paſcuntur de more gregatim,*
*Ælius, ut retulit, ſic demùm expreſſit Homerus:* in Odiſſea

*Sectantem videas, qui errant per paſcua, porcos*
*Ad coracis ſaxum, juxtà fontemque Arethuſam.*

§. II.

*Tunc autem cædem faciendo injuria fiet,*
*Nullo cum fuerit patrata occiſio jure;*
*Ergò qui inſidiantem occiderit, atque latronem,*
*Non reus eſt, ſi alitèr nequeat fugere ipſe periclũ.*

§. III.

*Verùm nè ille quidem prædicta lege tenetur,*
*Qui caſu occidis, modò ſi non culpa ſit ulla;*
*Namque altoqui non minus iſta lege tenetur*
*Quiſq; dolo, quàm culpa, ut quivis noſcere debet.*

§. IV.

*Ergò ſi ferrum quis miſſile jactet in auras,*
*Dum jaculis ludit, ſe ſivè exercitet armis,*
*Atque tuum ſervum gradientem perforet indè,*
*Hoc diſtinguitur; id ſi namque à milite fiat*
*Hic, ubi ſe exercere ſolet, non ulla patratur*
*Culpa ab eo; ſi alius quid tale admiſerit, ipſe*
*Eſſe reus culpæ cenſebitur. Idque fatendum*
*Iſt etiam de milite, ſi commiſerit iſtud*
*Fortè loco non addicto iàm immittere tela*
*Militi, ut hoc exercitio ad fera bella paretur.*

§. V.

*Atq; putator item, ſi ejecto ex arbore ramo*
*Servum fortè tuum gradientem occiderit, id ſi*
*Fortè viã iuxta, fuerit quæ publica, factum eſt,*
*Seù vicinalem, neque proclamavit, ut ille*
*Effũgere hunc caſum poſſet, reus eſſe putatur*
*Culpæ; ſed ſi proclamavit, & ille cavere*
*Non curavit, tunc cenſebitur eſſe putator*
*Culpã extrà. At pariter culpã extrà dicitur eſſe,*

Si

vel in medio fundo cædebat, licet non proclamavit: quia in eo loco nulli extraneo jus fuerat verſandi.

§. VI.

Præterea ſi Medicus, qui ſervum tuum ſecuit, dereliquerit curationem ejus, & ob id mortuus fuerit ſervus, culpæ reus erit.

§. VII.

Imperitia quoque culpæ adnumeratur: veluti ſi Medicus, ideò ſervum tuum occiderit, quia malè eum ſecuerit, aut perperàm ei medicamentum dederit.

§. VIII.

Impetu quoque mularum, quas mulio propter imperitiam retinere non potuit, ſi ſervus tuus oppreſſus fuerit: culpæ reus eſt mulio. Sed ſi & propter infirmitatem eas retinere non potuerit, cum alius firmior eas retinere potuiſſet: æquè culpa tenetur. Eadem placuerunt de eo quoque, qui cum equo veheretur, impetum ejus aut propter infirmitatem, aut propter imperitiam ſuam retinere non potuerit.

§. IX.

His autem verbis legis, *quanti id eo in anno plurimi fuerit*, illa ſententia exprimitur: ut ſi quis hominem tuum, qui hodie claudus, aut mancus, aut luſcus erit, occiderit, qui in eo anno integer, aut pretioſus fuerit: non tanti teneatur, quanti hodie erit, ſed quanti in eo anno plurimi fuerit. Qua ratione creditum eſt pœnalem eſſe hujus legis actionem: quia non ſolùm tanti quiſque obligatur, quantum damni dederit, ſed aliquando longè pluris. Ideòque conſtat in hæredem eam actionem non trāſire: quæ tranſitura fuiſſet, ſi ultra damnum nunquam lis æſtimaretur.

§. X.

Illud non ex verbis legis, ſed ex interpretatione placuit: non ſolùm perempti corporis æſtimationem habendam eſſe, ſecundùm ea, quæ diximus: ſed eò ampliùs, quicquid præterea perempto eo corpore, damni vobis illatum fuerit: veluti ſi ſervum tuum hæredem ab aliquo inſtitutum, ante quis occiderit, quàm is juſſu tuo hæreditatem adjerit: nam hæreditatis quoq; amiſſæ rationem eſſe habendam conſtat. Item, ſi ex pari mularum unam, vel ex quadrigis equorum unum quis occiderit, vel ex

*Si in medio fundo cædebat, ſivè ſeorſim*
*Ipſe via, quamvis non proclamaverit, illic*
*Nam jus externus verſandi nullus habebat.*

§. *VI.*

*Prætereà medicus curam ſi liquerit ejus*
*Servi, quem ſecuit, ſervus fueritque deindè*
*Mortuus ipſe, reus culpæ cenſebitur eſſe.*

§. *VII.*

*Debet connumerari etiam ignorantia culpæ,*
*Si veluti medicus ſervum interfecerit, ipſum*
*Quod ſecuit malè, ſivè dedit medicamina pravè.*

§. *VIII.*

*Impetibus mularum etiam, quas ipſe nequivit*
*Mulio inexpertus planè retinere furentes,*
*Si tuus oppreſſus fuerit ſervus, reus ipſe*
*Mulio erit culpæ. Sed ſi retinere nequivit,*
*Infirma quoniam fuerat valetudine preſſus,*
*Cum retinere alius potuiſſet firmior ipſas;*
*Is reus eſt æquè culpæ. De illo iſta fatemur,*
*Qui quoque, cū veheretur equo, retinere furentē*
*Ipſum non potuit, quoniam valetudine preſſus*
*Infirma fuerat, vel non ſatis ille peritus.*

§. *IX.*

*At verò legis verbis his, plurimi in anno*
*Quanti ideo fuerit, ſententia dicitur illa,*
*Ut ſi fortè tuum quis ſervum haud jure necarit,*
*Qui eſt hodie claudus-mancus, vel luſcus, in illo*
*Qui fuerit pretioſus planè, aut integer anno,*
*Non tanti teneatur, quanti hodie ille erit, ipſo*
*Sed quanti fuerit præſenti plurimi in anno.*
*Actio & hinc hujus pœnalis credita legis;*
*Non etenim ſolùm tanti quicumque tenetur*
*Effecit quantum damni, plerumque tenetur*
*Sed pluris longè, idcircò non actio talis*
*Tranſit in hæredem, quæ perventura fuiſſet,*
*Ultrà ſi damnum numquam lis eſſet habenda.*

§. *X.*

*Id placuit nobis, legis quod nulla notarunt*
*Verba, tulit ſed ſancita indagatio legis*
*Corporis haud pretium occiſi ſolùmmodò habēdū,*
*Ut dictum à nobis fuit ante, ſed ampliùs illo*
*Prætereà quicquid damni ſit corpore adempto,*
*Vobis illatum, ut ſi quis, teſtamine ſcriptum*
*Fortè tuum ſervum hæredem interfecerit, antè*
*Quàm ipſe tuo juſſu deſcriptus adiverit hæres*
*Aſſem; nam ratio amiſſi debebit haberi*
*Aſſis. Item è mulis paribus ſi fortè duabus*
*Unam, ex quadrigis unum vel ſi det equorum*
*Quis morti, aut ex comedis occiderit unum*
*Ser-*

comœdis unus ſervus occiſus fuerit: non ſolùm occiſi fit æſtimatio, ſed eò ampliùs id quoque conputatur, quanti depretiati ſunt, qui ſuperſunt.

*Servum, non pretium tantùmmodò ſolvere debet*
*Occiſi, verùm numerabitur ampliùs illud,*
*Quanti depretiati ſunt, qui deindè ſuperſunt.*

§. XI.

Liberum autem eſt ei, cujus ſervus occiſus fuerit, & ex judicio privato legis Aquiliæ damnum perſequi, & capitalis criminis eum reum facere.

*Liberum ei eſt, cuius ſervus ſit funere ademptus,*
*Judicio, & legis privato expoſcere damnum,* Aq li.
*Efficere atque reum capitalis criminis illum.*

§. XII.

Caput ſecundùm legis Aquiliæ in uſu non eſt.

*Legis prædictæ eſt caput haud in more ſecundùm.*

§. XIII.

Capite tertio de omni cætero damno cavetur. Itaque ſi quis ſervum, vel eam quadrupedem, quæ pecudum numero eſt, vulneraverit: ſivè eam quadrupedem, quæ pecudum numero non eſt, veluti canem aut feram beſtiam vulneraverit, aut occiderit: hoc capite actio conſtituitur. In cæteris quoque omnibus animalibus, item in omnibus rebus, quæ anima carent, damnum per injuriam datum hac parte vindicatur. Si quid enim uſtum, aut ruptum, aut fractũ fuerit: actio ex hoc capite conſtituitur, quanquam poterat ſola rupti appellatio in omnes iſtas cauſas ſufficere: Ruptum enim intelligitur, quod quoquo modo corruptum eſt. Unde non ſolùm fracta, aut uſta, ſed etiam ſciſſa, & colliſa, & effuſa, & quoquo modo perempta, atque deteriora facta hoc verbo continentur. Denique reſponſum eſt, ſi quis in alienum vinum, aut oleum, id miſcuerit quo naturalis bonitas vini, aut olei corrũperetur: ex hac parte legis Aquiliæ eum teneri.

*Tertio at in capite hac de damno lege cavetur*
*Omni alio. Si igitur ſervum quis vulnere lædat,*
*Illã aut quadrupedẽ, quæ inter pecudes numera-*
*Illã aut quadrupedẽ, quæ non cenſebitur eſſe (tur,*
*In pecudũ numero, ut canis, aut fera beſtia læſa*
*Vulnere ſi fiterit, ſivè occiſa ſit, actio certè*
*Hoc capite exoritur. Cunctis animalibus, atque*
*Omnibus in rebus, quæ anima, ſenſuque carebunt*
*Damnũ haud jure datũ planè pars vindicat iſta.*
*Si quid enim fuerit ruptum, fractumve, vel uſtũ,*
*Hoc capite actio traditur, appellatio rupti*
*Eſſe ſatis quamquam poterat ſola omnibus iſtis*
*Cauſis, namque illud ruptum cenſebitur eſſe,*
*Quod quocũq; modo corruptũ eſt. Dicimus undè*
*Non ſolùm fracta hoc verbo flammiſve cremata,*
*Verùm etiam ſciſſa, & colliſa, effuſa, perẽpta*
*Et quocumque modo fuerint, pejoraque facta.*
*Tandem eſt reſponſum ex hac legis parte teneri,*
*Qui in vinum, aut oleũ alterius cõmiſceat illud,*
*Quo naturalis bonitas corrupta videtur.*

§. XIV.

Illud palàm eſt, ſicut ex primo capite, ita demùm quiſque tenetur, ſi dolo, aut culpa ejus homo, aut quadrupes occiſus, occiſave fuerit: ita ex hoc capite, de dolo, aut culpa, & de cætero damno quemque teneri. Ex hoc tamen capite non quanti in eo anno, ſed quanti in diebus triginta proximis res fuerit, obligatur is, qui damnum dederit.

*Jamq; palàm eſt illud, demùm ſic quiſq; tenetur,*
*Ex capite ut primo, ſuerit ſi homo fortè necatus,*
*Occiſa aut quadrupes ejus culpave, dolove,*
*De culpa, atque dolo, & de dãno ità quẽq; teneri.*
*Ex capite hoc tamen haud illo quanti fuerit res*
*Anno, ſed fuerit quanti res ipſa diebus*
*Ter denis primis dederat qui damna, tenetur.*

§. XV.

At nec plurimi quidem verbum adjicitur. Sed Sabino rectè placuit, perindè habendam æſtimationem, ac ſi etiam hac parte plurimi verbum adjectum fuiſſet: nam plebem Romanam, quæ Aquilio tribuno inter-

*Plurimi at additur haud verbũ, ſed jure Sabino*
*Prudenti placuit, debere perindè putari,*
*Ac ſi etiam adjectum verbũ hac in parte fuiſſet,*
*Plurimi: ait plebem Romanam namque fuiſſe,*
*Quæ tulit hanc legẽ, Aquilio poſcente Tribuno*
*Con-*

Digitized by Google

interrogante hanc legem tulit, contentam fuiſſe, quod prima parte eo verbo uſa eſſet.

§. XVI.

Cæterùm placuit, ità demùm directam ex hac lege actionem eſſe, ſi quis præcipuè corpore ſuo damnum dederit. Ideòque in eum, qui alio modo damnum dederit, utiles actiones dari ſolent: veluti ſi quis hominem alienum, aut pecus ità incluſerit, ut fame necaretur: aut jumentum ità vehementer egerit, ut rumperetur: aut pecus in tantùm exagitaverit, ut præcipitaretur: aut ſi quis alieno ſervo perſuaſerit, ut in arborem aſcenderet, vel in puteum deſcenderet, & is aſcendendo, vel deſcendendo, aut mortuus, aut aliqua parte corporis læſus fuerit, utilis actio in eum datur. Sed ſi quis alienum ſervum, aut de ponte, aut de ripa in flumen dejecerit, & is ſuffocatus fuerit: eo, quos projecit, corpore ſuo damnum dediſſe, non difficulter intelligi poteſt: ideòque ipſa lege Aquilia tenetur. Sed ſi non corpore damnum fuerit datum, neque corpus læſum fuerit, ſed alio modo alicui dannum contigerit: quum non ſufficiat, neque directa, neque utilis legis Aquiliæ actio: placuit eum, qui obnoxius fuerit, in factum actione teneri; veluti ſi quis miſericordia ductus alienum ſervum compeditum ſolverit, ut fugeret.

*Contentam prima parte hac verbo uſa quod eſſet.*

*§. XVI.*

*De reliquo ut placuit, demùm ſic actio lege*
*Ex hac directa eſt, proprio ſi corpore damnum*
*Quis dederit præſertim, ideò ſolita actio danda*
*Utilis eſt, dederit qui aliter damnum, veluti ſi*
*Quis pecus, aut alienum hominē ſic clauſerit, ipſa*
*Inde fame caderet moriens, aut egerit acrem*
*Sic vehementèr equū, ut remaneret corpore læſus:*
*Aut etiam pecus in tantùm exagitaverit, ipſum*
*Ut rueret præceps; alieno aut ſuaſerit ulli*
*Servo, ut quercum aſcenderet, aut deſcēderet altū*
*In puteum, aſcenſu, aut deſcenſu & mortuus ille,*
*Aut fuerit non nulla parte in corpore læſus.*
*E noſtro jure eſt in eum utilis actio danda*
*Sed ſi ſervum alienum quis dejecerit alto*
*De ponte, aut ripa in fluvium, ut deceſſerit ipſe*
*Suffocatus: quod projecit, corpore damnum*
*Hunc feciſſe ſuo poterit cognoſcere quiſque*
*Perfacile; idcircò Aquilia ipſa lege tenetur,*
*Sed ſi non fuerit confectum corpore damnum,*
*Nec corpus fuerit læſum, contingat ut ulli*
*Damnum aliter directa, aut utilis actio legis*
*Hujus cum non ſufficiat, ſententia nobis*
*Ut placuit, fuerit qui obnoxius, ille tenetur*
*In factum, veluti ſi commiſeratus, ab arcto,*
*Ut fugeret, ſervum alterius quis compede ſolvat.*

# TITVLVS IV.

## *De Injuriis.*

GEneraliter injuria dicitur omne, quod non jure fit, ſpecialiter aliàs contumelia; quæ à contemnendo dicta eſt, quam Græci ὕβριν appellant: alias culpa, quam Græci ἔγκλημα dicunt, ſicut in lege Aquilia damnum injuria datum accipitur: aliàs iniquitas, & injuſtitia, quam Græci [ ἀνομίαν ἢ] ἀδικίαν vocant: cum enim Prætor, vel Judex non jure contra quem pronunciat: injuriam accepiſſe dicitur.

*QUod jure haud fiet, generatim injuria fertur;*
*Aſt alias ſpeciatim eſt cōtumelia dicta*
*A contemnendo, varia quam voce vocarunt*
*Græci, culpa alio Græci quam nomine dicunt*
*Accipitur, damnum ſicut non jure tributum*
*In lege Aquilia; eſt dicta injuſtitia demùm*
*Quam veteres Græci diverſa voce notarunt;*
*Nam à Prætore, aut Judice cum ſententia fertur*
*Contrà aliquem non jure injuria facta putatur.*

§. I.

Injuria autem committitur non ſolùm

*§. I.*

*Aſt injuria committi à lædente feretur.*

cum quis pugno pulſatus, aut fuſtibus cæſus, vel etiam verberatus erit: ſed & ſi cui convicium factum fuerit, ſivè cujus bona quaſi debitoris, qui nihil deberet, poſſeſſa fuerint ab eo, qui nihil deberet, poſſeſſa fuerint ab eo, qui intelligebat nihil cum ſibi debere: vel ſi quis ad infamiam alicujus libellum, aut carmen (aut hiſtoriam) ſcripſerit, compoſuerit, ediderit, dolove malo fecerit, quo quid eorum fieret: ſiue quis matremfamilias, aut prætextatū, prætextatamve adſectatus fuerit; ſivè cujus pudicitia attentata eſſe dicetur: & denique aliis plurimis modis admitti injuriam manifeſtum eſt.

*Non cum quis pulſatus erit tantùmmodò pugno,*
*Fuſtibus aut cæſus, non nullo aut verbere læſus,*
*Sed ſi cui fuerint etiam convicia facta;*
*Seù cujus quaſi debentis, qui nullius eſſet*
*Debitor ipſe rei, bona poſſideantur ab illo,*
*Qui ſibi non aliquid jàm ipſum debere ſciebat;*
*Sivè ad dedecus ullius quis fortè libellum,*
*Famoſum aut carmē, monumēta ve ſcripſerit, atq;*
*Ediderit, pravoque dolo confecerit, ut quid*
*Efficeretur eorum; adſectatus fuerit ſeù*
*Quis vel matronam, prætextatumve, pudicam*
*Vel prætextatam, viridique ætate decoram*
*Cujus ſivè pudicitia attentata feretur.*
*Atque modis aliis injuria denique fiet.*

### §. II.

Patitur autem quis injuriam non ſolùm per ſemetipſum, ſed (etiam) per liberos ſuos, quos in poteſtate habet: itemque per uxorem ſuam, id etiam magis prævaluit. Itaque ſi filiæ alicujus, quæ Titio nupta eſt, injuriam feceris: non ſolùm filiæ nomine tecum injuriarum agi poteſt, ſed etiā patris quoque, & mariti nomine. Contrà autem, ſi viro injuria facta ſit: uxor injuriarum agere non poteſt. Defendi enim uxores à viris, non viros ab uxoribus, æquū eſt. Sed & ſocer nurus nomine, cujus vir in ejus poteſtate eſt, injuriarum agere poteſt.

*Non ſolùm à quovis tolerari injuria fertur*
*Per ſe ipſum, ſed per natos, quos ipſe parentis*
*Jure poteſtatis planè tenet, atque per ipſam*
*Uxorem; iſtud enim mage prævaluiſſe videtur.*
*Ergo ſi cujus natæ, quæ nupta Camillo*
*Eſt, à te fuerit non nulla injuria facta;*
*Non injuriæ agi dùmtaxat nomine natæ*
*Tecum, ſed poterit patris quoque nomine, chari*
*Atque viri. Contrà autem injuria facta marito*
*Si fuerit, nulla uxori datur actio talis;*
*Uxor enim debet defendi à conjuge, at ipſa*
*Nulla virum conjux debet defendere jure.*
*Ipſa nurus ſed nomine erit ſocero actio danda*
*A quo ejus conjux patrio ſub Jure tenetur.*

### §. III.

Servis autem ipſis quidem nulla injuria fieri intelligitur, ſed domino fieri per eos videtur, non tamen iiſdem modis, quibus etiam per liberos, & uxores: ſed ita, cum quid atrociùs commiſſum fuerit, & quod apertè ad contumeliam domini reſpicit, veluti ſi quis alienum ſervum (atrociter) verberaverit, & in hunc caſum actio proponitur. At ſi quis ſervo cōvicium fecerit, vel pugno eum percuſſerit, nulla in eum actio domino competit.

*At planè ſervis haud ulla injuria fiet,*
*Sed per eos dominis injuria facta videtur.*
*Attamen haud fieri ratione putatur eadem,*
*Quæ fit per natos, atque uxorem, aſt ità quicquā*
*Cum penitus fuerit commiſſum atrociùs, & quod*
*Ad dominorum contemptum ſpectabit apertè:*
*Si veluti atroci alterius quis verbere ſervum*
*Lædit, & in talem proponitur actio caſum.*
*Sed ſi quis ſervo convicia fecerit, ipſum*
*Vel pugno leviter percuſſerit, actio ſervi*
*Jàm percuſſi in eum domino non competit ulla.*

### §. IV.

Si communi ſervo injuria facta ſit: æquū eſt, non pro ea parte, qua dominus quiſq; eſt, æſtimationem injuriæ fieri, ſed ex dominorum perſona, quia ipſis fit injuria.

*Si fuerit ſervo communi injuria facta,*
*Non pro illa jure eſt injuria parte putanda,*
*Qua dominus quiſque eſt; dominorū aſt illa putā-*
*Eſt ex perſona, quia eis injuria fiet. (da*

### §. V.

Quod ſi uſusfructus in ſervo Titij eſt, pro-

*Cajus ſi in ſervo uſumfructum, & Sejus habebit*
*Pro-*

Digitized by Google

proprietas Mævii : magis Mævio injuria fieri intelligitur.

*Proprietatem, major Sejo injuria fiet.*

§. VI.

Sed ſi libero homini, qui tibi bona fide ſervit, injuria facta ſit: nulla tibi actio dabitur; ſed ſuo nomine is experiri poterit, niſi in contumeliam tuam pulſatus ſit, tunc enim competit & tibi injuriarum actio. Idē ergo eſt, & in ſervo alieno bona fide tibi ſervienre, ut toties admittatur injuriarum actio, quoties in tuam contumeliam injuria ei facta ſit.

§. *VI.*

*Verùm homini ingenuo ſi injuria facta ſit ulla,*
*Ipſe bonæ fidei, cujus poſſeſſor haberis,*
*Actio nulla tibi dabitur, ſed nomine læſi*
*Conveniendus erit læſor, ni verbere læſus*
*Ille tuum ad contemptum ſit; namq; actio danda*
*Tunc erit iſta tibi. Idq; alieno eſt ergo fatendum*
*In ſervo: cujus fidei poſſeſſor haberis*
*Ipſe bonæ, jure admittatur ut actio talis,*
*Sit quādo ipſa tuum ad contemptū injuria facta.*

§. VII.

Pœna autem injuriarum ex lege duodecim tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat : propter os verò fractum nummariæ pœnæ erant conſtitutæ, quaſi in magna veterum paupertate. Sed poſtea Prætores permittebant ipſis, qui injuriam paſſi ſunt eam æſtimare, ut Judex vel tanti reum condemnet, quanti injuriam paſſus æſtimaverit, vel minoris prout ei viſum fuerit. Sed pœna quidem injuriæ, quæ ex lege duodecim tabularum introducta eſt, in deſuetudinem abiit : quam autem Prætores introduxerunt (quæ etiam honoraria appellatur) in judiciis frequentatur. Nam ſecundùm gradum dignitatis, vitæq; honeſtatem, creſcit aut minuitur æſtimatio injuriæ, qui gradus condemnationis, & in ſervili perſona non immerito ſervatur : ut aliud in ſervo actore, aliud in medii actus homine, aliud in viliſſimo, vel compedito jus (æſtimationis) conſtituatur.

§. *VII.*

*Pœna injuriæ erat duodenis lege tabellis*
*Inſcripta propter perfractum Talio membrum,*
*At propter ruptum os nummorum pœna ſtatuta*
*In magna veterum quaſi paupertate. Deinde*
*Permittebant ipſis, queis injuria facta*
*Ducere eam Prætores; Judex damnet ut ipſum*
*Lædentem ſeù tanti, quanti duxerit illam*
*Paſſus, uti fuerit viſum ipſi, ſivè minoris.*
*Deſcripta at duodenis pœna receſſit ab uſu*
*In tabulis. Quam autē pœnam introduxerat olim*
*Prætor, cenſetur quæ ab honore fuiſſe vocata,*
*Hanc uſuſque, foruſq; frequentat. Nāq; ſecundùm*
*Conditionem perſonæ, quam injuria lædit,*
*Ducendum eſt probrum, creſcat, minuatur, ut ipſū,*
*Seù creſcente ſtatu perſonæ, ſivè minuto.*
*Servi in perſona ſervandum id iure putamus,*
*Ut pœnæ ducendæ jus aliud ſtatuatur,*
*Si actor ſervus, jus aliud ſi homo ſit medii actus,*
*Atque aliud ſi vilis compedibuſque ligatus.*

§. VIII.

Sed & lex Cornelia de injuriis loquitur, & injuriarum actionem introduxit, quæ cōpetit ob eam rem, quod ſe pulſam quis, verberatumve, vel domum ſuam vi introitam eſſe dicat. Domum autem accipimus, ſivè in propria domo quis habitet, ſivè in conducta, ſivè gratis, ſivè hoſpitio receptus ſit.

§. *VIII.*

*At verò de hoc lex loquitur Cornelia, talis*
*Actio & hac inducta fuit, quæ competit ipſam*
*Ob rem, quod dicat ſe. quis, ſeù verbere læſum,*
*Pulſatumve, domumve ſuam vi ſivè fuiſſe*
*Introitam. Planè ſua ſed domus eſſe putatur,*
*Seù propriis habitet domibus quis, ſive locatis,*
*Gratiſue hoſpitio alterius ſit ſivè receptus.*

§. IX.

Atrox injuria æſtimatur vel ex facto, veluti ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibus cæſus : vel ex loco : veluti ſi cui in theatro, vel in foro, vel conſpectu Prætoris injuria facta ſit ; vel ex perſonat veluti ſi Magiſtratus injuriam paſſus fuerit : vel ſi Se-

§. *IX.*

*Eſt autem ducenda atrox injuria; ſivè*
*Ex facto, veluti ſi quis ſit vulnere læſus,*
*Aut percuſſus fuſtibus; exve loco; veluti ſi*
*Fit coram Prætore injuria, ſivè Theatro,*
*Sivè Foro; ſivè ex perſona, nempè gravatus*
*Si ipſe Magiſtratus ſit, læſus ſivè Senator*

Senatori ab humili perſona injuria facta ſit, aut parenti, patronove fiat à liberis, vel libertis. Aliter enim ſenatoris, & parentis, patronique, aliter extranei, & humilis perſonæ injuria æſtimatur. Nonnunquam, & locus vulneris atrocem injuriam facit, veluti ſi in oculo quis percuſſus fuerit. Parvi autem refert, utrum patrifamilias, an filiofamilias talis injuria facta ſit; nam & hæc atrox injuria æſtimabitur,

*A vili perſona, ſivè injuria fiat*
*A natis Patri, à libertis, ſivè Patrono;*
*Namque aliter patriſque, ſenatoriſque, Patroni,*
*Externæque aliter perſonæ, humiliſque putanda*
*Eſt injuria. Verùm atrox injuria fiet*
*Percuſſo plerumque loco, ut ſi lumine quiſquam*
*Percuſſus fuerit. Nec refert Patribus utrum*
*Familias, an natis facta injuria talis*
*Sit; namq; hæc atrox injuria jure putanda eſt.*

§. X.

In ſumma ſciendum eſt, de omni injuria eum, qui paſſus eſt, poſſe vel criminaliter agere, vel civiliter. Et ſi quidem civiliter agatur, æſtimatione facta ſecundùm quod dictum eſt, pœna reo imponitur. Sin autem criminaliter: officio judicis extraordinaria pœna reo irrogatur: hoc videlicet obſervando, quod Zenoniana conſtitutio introduxit, ut Viri Illuſtres, quique ſuper eos ſunt, & per Procuratores poſſint actionem injuriarum criminaliter, vel perſequi, vel ſuſcipere, ſecundùm ejus tenorem, qui ex ipſa manifeſtiùs apparet.

§. X.

*In ſumma illi, cui facta eſt injuria, duplex*
*Criminis atque una eſt civilis, & altera danda*
*Actio. Sed planè ſi agitur civilitèr, ipſi*
*Pœna reo eſt imponenda, ut jam diximus ante;*
*Actio ſin verò intendatur criminis, ipſi*
*Pœna reo imponenda eſt nullo ex ordine dicta*
*Judicis officio, obſeruando ſcilicet illud,*
*Quod fuit à juſta Zenonis lege ſtatutum,*
*Ut perſonæ illuſtres, & quæ ſunt ſuper ipſas,*
*Per procuratorem agere hoc in crimine poſſint,*
*Quod fuit admiſſum, fuerit cum injuria facta,*
*Illius ut clarè cognoſcet quiſque tenorem.*

§. XI.

Non ſolùm autem is injuriarum tenetur qui fecit injuriam, ideſt, qui percuſſit: verùm ille quoque tenetur, qui dolo fecit injuriam, vel qui procuravit, ut cui malæ pugno percuterentur.

§. XI.

*Non ſolùm verò danda eſt hæc actio in illum,*
*A quo eſt facta injuria, ideſt qui læſit in ipſum*
*Verùm etiam à quo facta dolo eſt injuria, vel qui*
*Curavit, malæ ut cui pugno percuterentur.*

§. XII.

Hæc actio diſſimulatione aboletur: & ideò ſi quis injuriam dereliquerit, hoc eſt, ſtatim paſſus ad animum ſuum non revocaverit: poſtea ex pœnitentia remiſſam injuriam non poterit recolere.

§. XII.

*Sed ſi diſſimulet læſus, delebitur iſta*
*Actio. Et hinc fuerit ſi iniuria facta relicta,*
*Paſſus nempè ſtatim ad mentẽ haud revocaverit*
*Cum ſe pæniteat, recolet nec deindè remiſſã. (ipsã*

## *De obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur.*

## TITVLVS V.

SI Judex litem ſuam fecerit: non propriè ex maleficio obligatus videtur: ſed quia neque ex maleficio, neque ex contractu obligatus eſt, & utique peccaſſe aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideò videtur quaſi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re æquum religioni judi-

can-

*FOrtè ſuam litem Judex ſi fecerit, ipſe (tur.*
*Non ex delicto obſtrictus propriè eſſe vide-*
*Sed quoniã haud ex crimine cõtractuve tenetur,*
*Imprudentèr planè aliquid peccaſſe putatur,*
*Idcircò ex quaſi crimine dicitur ipſe teneri;*
*Atque feret pœnam, inquantum cenſebitur æquũ*
*Religioni eius, de re qui iudicat ipſa.*

*Præ:*

cantis videbitur, pœnam ſuſtinebit.

§. I.

Item is, ex cujus cœnaculo, vel proprio ipſius, vel ex conducto, vel in quo gratis habitat, dejectum, effuſumve aliquid eſt, ita ut alicui noceret, quaſi ex maleficio obligatus intelligitur. Ideò autem non propriè ex maleficio obligatus intelligitur, quia plerumq; ob alterius culpam tenetur, aut ſervi aut liberi. Cui ſimilis eſt is, qui ea parte quà vulgo iter fieri ſolet, id poſitum aut ſuſpenſum habet, quod poteſt (ſi ceciderit) alicui nocere: quo caſu pœna decem aureorum conſtituta eſt. De eo vero, quod dejectum, effuſumve eſt, dupli, quantum damni datum ſit, conſtituta eſt actio. Ob hominem verò liberum occiſum, quinquaginta aureorum pœna conſtituitur. Si verò vivat, nocitumque ei eſſe dicatur: quãtum ob eam rem æquum Judici videtur, actio datur. Judex enim computare debet mercedes medicis præſtitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta ſunt: præterea operas, quibus caruit aut cariturus eſt ob id, quod inutilis eſt factus.

§. I.

*Præterea is, cujus propriis ex ædibus, aut ex*
*Conductis, aut quas gratis colat ipſe profuſũ eſt*
*Projectumve aliquid, nõnulli ut fortè noceret,*
*Ex quaſi delicto cenſebitur eſſe ligatus;*
*Idcircò haud intelligitur propriè eſſe ligatus*
*Ex delicto; nam alterius plerumque tenetur*
*Ob culpam aut ſervi, ingenuive. Cui eſſe videtur*
*Is ſimilis, qui parte ea, iter vulgò fieri quà*
*Plerumque eſt ſolitũ, poſitũ, appenſumve tenebit*
*Id, quod ſi ruerit, poterit cuicumque nocere:*
*Quo caſu nummorum auri bis quinque ſtatuta*
*Pœna eſt. Sed de illo, quod jactũ, ſivè profuſũ eſt,*
*Dupli, ſit quantum damni factum, actio Jure*
*Juſſa eſt. Liber homo fuerit ſi fortè necatus,*
*Nummorũ quinquaginta auri eſt pœna ſtatuta.*
*Sin verò vivat, nocitumque illi eſſe feratur,*
*Quantum rem Judex æquum cenſebit ob illam,*
*Actio danda; etenim debet numerare tributas*
*Mercedes Medicis, nec non impendia facta*
*In cura, atque operas omnes, quibus indè carebit,*
*Cum propter vulnus ſit factus inutilis ille.*

§. II.

Si filiusfamilias ſeorſum à patre habitaverit, & quid ex cœnaculo ejus dejectum, effuſumve fuerit, ſivè quid poſitum, ſuſpẽſumve habuerit, cujus caſus periculoſus eſt: Juliano placuit in patrem nullam eſſe actionem, ſed cum ipſo filio agendum eſſe. Quod in filiofamilias Judice obſervandum eſt, qui litem ſuam fecerit.

§. II.

*Si natus Patris retinet quem jure poteſtas,*
*Se junctim à Genitore habitaverit, ædibus ejus*
*Et quidquam projectum, ſit vel fortè profuſum,*
*Quidve habeat poſitũ, ſuſpenſumve, indè periclũ*
*Cujus ferre poteſt caſus, planè actio nulla* ) Juliani
*In patrem dabitur, fuit ut ſententia juris* )
*Conſulti, ſed cum ipſo nato, ut retulit idem*
*Debet agi. Id ſervari in gnato Judice debet,*
*Qui litem fecit ſuam, & eſt ſub Jure parentis.*

§. III.

Item exercitor navis, aut cauponæ, aut ſtabuli de dolo aut furto, quod in navi, aut caupona, aut ſtabulo factum erit, quaſi ex maleficio teneri videtur, ſi modò ipſius nullum eſt maleficium, ſed alicujus eorum, quorum opera navem, aut cauponam, aut ſtabulum exercet. Cum enim neque ex maleficio, neque ex contractu ſit adverſus eum conſtituta hic actio, & aliquatenus culpæ reus eſt, quòd opera malorum hominum uteretur: ideò quaſi ex maleficio teneri videtur. In his autẽ caſibus in factũ actio competit: quæ hæredi quidem datur, adverſus hæredem autem non competit.

§. III.

*Præterea ſtabuli, aut cauponæ exercitor, atque*
*Navis, deq; dolo, aut furto, quod fortè patratũ eſt*
*In navi, aut in caupona, ſtabulove, teneri*
*Ex quaſi delicto cenſetur, dummodò nullum*
*Ipſius crimen, ſed eorum queis ſtabulum ipſe,*
*Aut navem, aut cauponam exercet; Nãq; ſtatuta*
*Ex delicto, aut ex contractu, cum actio nulla*
*Hic ſit contrà ipſum, atq; aliqua ratione videtur*
*Eſſe reus culpæ, fuerit quod talibus uſus*
*Ille operis hominum, cenſendum ideòque teneri*
*Ex quaſi delicto, in factum: ſed caſibus iſtis*
*Competit actio quam hæredi dandã eſſe putamus*
*At verò contrà hæredem non competit iſta.*

## *De Actionibus.*

## TITVLVS VI.

SUpereſt ut de actionibus loquamur. Actio autem nihil aliud eſt, quàm jus perſequendi in judicio, quod ſibi debetur.

§. I.

Omnium autem actionum, quibus inter aliquos apud judices, arbitrosve de quacunque re quæritur, ſumma diviſio in duo genera deducitur: aut enim in rem ſunt, aut in perſonam. Namque agit unuſquiſque, aut cum eo, qui ei obligatus eſt, vel ex contractu, vel ex maleficio: quo caſu proditæ ſunt actiones in perſonam, per quas intendit aduerſarium ei dare, aut facere oportere, & aliis quibuſdam modis. Aut cum eo agit, qui nullo jure ei obligatus eſt, movet tamen alicui de aliqua re controverſiam: quo caſu proditæ actiones in rẽ ſunt: veluti ſi rem corporalem poſſideat quis, quam Titius ſuam eſſe affirmet, poſſeſſor autem dominum ejus ſe eſſe dicat: nam ſi Titius ſuam eſſe intendat: in rem actio eſt.

§. II.

Æquè ſi agat quis, jus ſibi eſſe fundo fortè vel ædibus utendi, fruendi, vel per fundum vicini eundi, agendi, vel ex fundo vicini aquam ducendi: in rem actio eſt. Ejuſdem generis eſt actio de jure prædiorum urbanorum: veluti ſi quis agat jus ſibi eſſe altius ædes ſuas tollendi, proſpiciendive, vel projiciendi aliquid, vel immittendi tignum in vicini ædes. Contrà quoque de uſufructu, & de ſervitutibus prædiorum rusticorum. Item prædiorum urbanorum, invicem quoque proditæ ſunt actiones: ut ſi quis intendat jus non eſſe adverſario utendi, fruendi, eundi, agendi, aquamve ducendi: item altius tollendi, proſpiciendive, vel projiciendive, immittendive, iſtæ quoque actiones in rem ſunt, ſed negativæ. Quod genus actionis in controverſiis rerum corporalium proditum non eſt. Nam in his is agit, qui non poſſidet: ei verò, qui poſſidet, non eſt actio prodita, per

quam

*TRactãda à nobis ſupereſt nũc actio quævis,*
*Verùm Prædicta eſt aliud nihil actio, quàm jus*
*Iudicio ſibi debetur, quodcumq; petendi.*

§. *I.*

*Actio ſed quævis aliquos, qua quæritur inter*
*Sivè apud arbitrum, juſto ſeù judice coram*
*De re quacumque, eſt duplex generalitèr. In rem*
*Aut etenim eſt, aut in perſonam; namq; agit unus*
*Quiſq; aut cum illo, qui planè eſt ſibi jure ligatus*
*Aut ex contractu, aut ex crimine. Caſibus iſtis*
*Eſt in perſonam actio prodita, qua ſibi dandum*
*Intendit, faciendumve, atque alia ratione*
*A parte adverſa quicquã; cum illo, aut agit, ullo*
*Qui non jure tenetur ei, attamen excitat ipſe*
*De re aliqua litẽ, hoc in rẽ actio prodita caſu eſt,*
*Rem ut ſi poſſideat veſtitam corpore quiſquam,*
*Quam aſſerat eſſe ſuam Titius poſſeſſor, at ejus*
*Se dominum dicat; namque in rem eſt actio dãda,*
*Ipſe ſuam Titius ſi rem illam intenderit eſſe.*

§. *II.*

*Æquè ſi quis agat ſibi fundo, aut ædibus eſſe*
*Utendi Jus, atque fruendi, ſivè propinqui*
*Per fundos & eundi, & agendi, ſivè propinqui*
*Ducendi ex fundo lymphas, in rem actio fertur.*
*Ejuſdem planè generis cenſebitur eſſe*
*Actio quæ urbani fundi de jure movetur*
*Vt ſi agat eſſe ſibi jus tollendi altiùs ædes*
*Proſpiciendive, ejiciendi aliquid, vel in ædes*
*Vicini tignum immittendi. Eſt actio contrà*
*Prodita de uſu etiam fructu & de juribus illis,*
*Ruſtica queis meritò redduntur prædia ſerva,*
*Prædia & urbana, ut quis ſi haud intenderit eſſe*
*Adverſæ parti jus utendi, atque fruendi,*
*Rure, & eundi, & agẽdi, lymphas ſivè trahendi,*
*Proſpiciendi etiam, tollendive altiùs ædes*
*Projiciendi, aut imitandi. Hæc actio quævis*
*In rem, at dicta negativa eſt. In litibus autem*
*Rerum quæ fuerunt veſtitæ corpore, talis*
*Actio non dabitur; nam qui non poſſidet, ille in*
*His agit, aſt ille, qui poſſidet, actio nulla eſt*

*Prodi-*

quam neget rem actoris eſſe. Sanè uno caſu, qui poſſidet, nihilominùs is actoris partes obtinet, ſicut in latioribus Digeſtorum libris opportuniùs apparebit.

*Prodita, per quam actoris poſſit rem eſſe negare.*
*Planè uno caſu actoris poſſeſſor habebit*
*Partes, ex Digeſtis ſicut quiſque videbit.*

§. III.

Sed *iſtæ* quidem actiones, quarum mentionem habuimus, & ſi quæ ſunt ſimiles, ex legitimis, & civilibus cauſis deſcendunt. Aliæ autem ſunt, quas Prætor ex ſua juriſdictione comparatas habet, tàm in rem, quàm in perſonam, quas & ipſas neceſſariũ eſt exemplis oſtendere, ut ecce: Plerumque ita permittit Prætor in rem agere, ut vel actor dicat ſe quaſi uſucæpiſſe, quod nõ uſucæperit: vel ex diverſo poſſeſſor dicat adverſarium ſuum non uſucæpiſſe, quod uſucæperit.

*§. III.*

*Actio ſed quævis, quam connumeravimus, & ſi*
*Quæ fuerint ſimiles, cauſa deſcendere fertur*
*Legitima, ac civili. Verum eſt actio juris*
*Dictio, quam juſti prætoris jure paravit*
*Tàm in rẽ, quàm in perſonã, quã mõſtrare neceſſe*
*Exẽplis, veluti prætor plerumq; agere in rẽ (eſt*
*Sic permittit, ut aut quicquid non cæperit uſu*
*Se quaſi cæpiſſe uſu dicat callidus actor,*
*Aut contrà poſſeſſor partem jàm aſſerat uſu*
*Non cæpiſſe adverſam quicquid cæperit uſu.*

§. IV.

Namque ſi cui ex juſta cauſa res aliqua tradita fuerit (veluti ex cauſa emptionis, aut donationis, aut dotis, aut legatorum) & necdum ejus rei dominus effectus eſt: ſi ejus rei poſſeſſionem caſu amiſerit, nullam habet in rem directam actionem ad eam perſequendam: quippè ità proditæ ſunt jure civili actiones, ut quis dominium ſuum vendicet. Sed quia ſanè durum erat, eo caſu deficere actionem: inventa eſt à Prætore actio, in qua dicit is qui poſſeſſionem amiſit, eam rem ſe uſucæpiſſe, quam uſu non cæpit, & ità vendicat ſuam eſſe: quæ actio Publiciana appellatur, quoniam primùm à Publicio Prætore in edicto propoſita eſt.

*§. IV.*

*Nam ſi non nulla ex juſta cui tradita cauſa*
*Res fuerit, veluti fuerit donata, vel empta,*
*Vel data legati cauſa, dotiſve, nec ipſe*
*Dum ipſius effectus Dominus cenſebitur eſſe,*
*Ejuſdem ſi amiſſa rei poſſeſsio caſu*
*Non nullo fuerit, tunc directa actio nulla*
*Ipſi in rem dabitur, qua rem depoſcere poſſit;*
*Quævis civili quippe eſt ſic prodita jure*
*Actio, quiſque ſuu ut dominatu vindicat; omnis*
*Sed quoniam actio deficiebat caſibus iſtis,*
*Durũ & erat ſatis, idcircò à Prætore reperta eſt*
*Actio, qua aſſerit ille, à quo poſseſsio planè*
*Eſt amiſsa, ipſam rem, quam non cæperit uſu,*
*Uſu ſe cæpiſse; ſuam ſic vindicat eſse.*
*Hæc fuerat jure actio Publiciana vocata,*
*Publicio à Prætore fuit nàm prodita primùm.*

§. V.

Rursùs ex diverſo, ſi quis cum Reipublicæ cauſa abeſſet, vel in hoſtium poteſtate eſſet, rem ejus, qui in civitate eſſet, uſucæperit: permittitur domino, ſi poſſeſſor Reipublicæ cauſa abeſſe deſierit, tunc intra annum reſciſſa uſucapione eam petere: ideſt, ita petere, ut dicat poſſeſſorem uſu non cæpiſſe: & ob id ſuam rem eſſe. Quod genus actionis quibuſdam, & aliis ſimili æquitate motus Prætor accommodat, ſicut ex latione Digeſtorum, ſeù Pandectarum volumine intelligere licet.

*§. V.*

*Si ex diverſo quis cum publica propter abeſset,*
*Eſset apud ſivè hoſtes, rem ejus cæperit uſu*
*Qui eſſet in urbe, ipſi domino permittitur, abſens*
*Publica ſi propter poſseſsor liquerit eſse,*
*Poſcere eam intrà annum, reſciſsa uſucapione,*
*Poſcere ideſt ità, poſseſsorem dicat ut uſu*
*Non cæpiſse, ideòque ſuam tunc rem aſserat eſse.*
*Hac motus prætor ratione accomodat æquè*
*Caſibus hoc aliis agere, ut cognoſcere latis*
*Ex Digeſtorum poterit quiſcumque libellis.*

§. VI.

Item ſi quis in fraudem creditorum rem ſuam alicui tradiderit: bonis ejus à creditoribus poſſeſſis, ex ſententia præſidis permit-

*§. VI.*

*Inſuper in fraudem illius, qui creditor extat,*
*Si quis fortè ſuam tradat rem, creditor ejus*
*Cum bona poſſideat, planè permittitur ipſi*
*Cre-*

mittitur ipſis creditoribus, reſciſſa traditione, eam rem petere, ideſt dicere eam rem traditam non eſſe, & ob id in bonis debitoris manſiſſe.

*Credenti petere ex decreto Præſidis illam*
*Rem, reſciſſa traditione hac, dicere nempè*
*Traditam eam nulla penitùs ratione fuiſſe,*
*Debentiſque ideò in numero manſiſſe bonorum.*

§. VII.

Item ſerviana, & quaſi Serviana (, quæ etiam hypothecaria vocatur) ex ipſius Prætoris juriſdictione ſubſtãtiam capiunt. Serviana autem experitur quis de rebus coloni, quæ pignoris jure pro mercedibus fundi ei tenentur. Quaſi Serviana autem eſt, qua creditores pignora, hypotecaſve perſequuntur. Inter pignus autem, & hypotecam (quantum ad actionem hypotecariam attinet) nihil intereſt: nam de qua re inter creditorem, & debitorem convenerit, ut ſit pro debito obligata, utraque hac appellatione continetur: ſed in aliis differẽtia eſt. Nam pignoris appellatione eam propriè rem contineri dicimus, quæ ſimul etiam traditur creditori, maximè ſi mobilis ſit. At eam quæ ſine tradirione, nuda conventione tenetur, propriè hypothecæ appellatione contineri dicimus.

*§. VII.*

*Actio item duplex ſervi de nomine dicta eſt.* Serviana, & quaſi ſerviana, ſeu Hypothecaria.
*A prætore data. At de rebus quiſquè coloni*
*Prima convenietur, eiquæ pignoris ipſo*
*Jure tenentur fundi pro mercede. Secunda eſt,*
*Pignora qua credens, hypothecas atque repoſcit.*
*Diſcrimen verò eſt hypothecam, pignus, & inter*
*Nullum plane, agere in quantum ſpectabit ad ip-*
*Nam de qua re debentem cõvenerit inter, (ſum.*
*Atque ipſum eſt qui creditor, ut ſit jure ligata*
*Pro illo, quod debetur; jàm iſtac utraque voce*
*Contenta eſt. Aliis verò diſcrimen habetur.*
*Nam propriè contentam nomine pignoris illam*
*Rem aſſerimus, quæ etiam credẽti traditur; idq;*
*Eſt mage dicendum, fuerit ſi mobilis ipſa.*
*Nomine ſed propriè hypothecæ dicimus illam*
*Contentam, in qua dumtaxat conventio nuda*
*Facta ſit, at verò ſine traditione tenetur.*

§. VIII.

In perſonam quoque actiones ex ſua juriſdictione propoſitas habet Prætor: veluti de pecunia conſtituta, cui ſimilis videbatur receptitia. Sed ex noſtra conſtiturione (cum & ſi quid pleniùs habebat, hoc in actionem pecuniæ conſtitutæ transfuſum eſt), & ea quaſi ſupervacua juſſa eſt cum ſua auctoritate à noſtris legibus recedere. Item Prætor propoſuit actionem de peculio ſervorum, filiorumque familiarum: & eam; ex qua quæritur, an actor juraverit, & alias complures.

*§. VIII.*

*In perſonam etiam fuit à Prætore ſtatuta (illis* De conſtituta pecunia Receptitia.
*Actio; ſicut ea eſt, qua agimus nunc cũ omnibus*
*Qui ſe conſtituunt perſolvere: & altera nulli*
*Eſſe videbatur diverſa, receptio nomen*
*Cui dederat; noſtra planè ſed lege ſtatuta,*
*Huic etenim ſi quidquam pleniùs eſſet, in illam*
*Hoc eſt transfuſum, atque ſuo cum robore juſſa*
*Eſt quaſi deindè ſupervacua hæc decedere noſtris*
*Legibus. A Prætore etiam actio juſſa Peculi*
*Servorũ, & natorum, ſunt qui in jure parẽtum,*
*Atque ea; qua depoſcitur, an juraverit actor,*
*Compluresque aliæ ſunt à Prætore ſtatutæ.*

§. IX.

De conſtituta autem pecunia cum omnibus agitur, quicunque pro ſe, vel pro alio ſoluturos ſe conſtituerint: nulla ſcilicet ſtipulatione interpoſita. Nam alioqui ſi ſtipulanti promiſerint, jure civili tenentur.

*§. IX.*

*Verùm cum cunctis agitur, qui ſolvere pro ſe,* De conſtituta pecunia.
*Proque alio ſe conſtituunt, ſtipulatio nulla*
*Cum fiat; nam alioqui ſi promiſſio facta*
*Sit ſtipulatori, civili jure tenentur.*

§. X.

Actiones autem de peculio, ideò adverſus patrem, dominumve comparavit Prętor: quia licet ex contractu filiorum, ſervorumve ipſo jure non teneantur: æquum tamen eſt peculio tenus (quod veluti patrimoniũ eſt filiorum, filiarumque, item ſervorum) condemnari eos. Item

*§. X.*

*Actio at idcircò à Prætore parata peculi eſt*
*Adverſus patrẽ, aut contra dominũ, quia quãvis*
*Ex nati, aut ſervi contractu haud jure tenentur,*
*Attamen eſt æquum quoque condemnarier hos ad*
*Uſque peculia, quæ veluti patrimonia nati,*
*Et natæ, atque etiam ſervi de jure putantur.*
*Si*

§.XI.

Item ſi quis poſtulante adverſatio juraverit, deberi ſibi pecuniam, quam peteret: neque ei ſolvatur juſtiſſimè accomodat ei talem actionem, per quam non illud quæritur, an ei pecunia debeatur, ſed an juraverit.

§. XII.

Pœnales quoque actiones Prætor multas ex ſua juriſdictione introduxit, veluti adverſus eum, qui quid ex albo ejus corrupiſſet: & in eum, qui patronum, vel parentem in jus vocaſſet, cum id non impetraſſet: item adverſus eum, qui vi exemerit eum, qui in jus vocaretur, cujuſve dolo alius exemerit, & alias innumerabiles.

§. XIII.

Præjudiciales actiones in rem eſſe videntur: quales ſunt per quas quæritur, an aliquis liber, an libertus ſit, vel de partu agnoſcendo. Ex quibus ferè una illarũ legitimã cauſam habet, per quam quæritur, an aliquis liber ſit: cæteræ ex ipſius prætoris juriſdictione ſubſtantiam capiunt.

§. XIV.

Sic itaque diſcretis actionibus, certum eſt, non poſſe actorem ſuam rem ita ab aliquo petere, *ſi apparet eum dare oportere*. Nec enim quod actoris eſt, id ei dari oportet: ſcilicet quia dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut eius fiat. Nec res quæ (jàm) actoris eſt, magis eius fieri poteſt. Planè odio furum, quo magis pluribus actionibus teneantur, effectum eſt, ut extrà pœnam dupli, aut quadrupli, rei recipiendæ nomine fures etiam hac actione teneantur, *ſi apparet eos dare oportere*: quamvis ſit adverſus eos etiam (hæc) in rem actio, per quam rem ſuam quis eſſe petit.

§. XV.

Appellamus autem in rem quidem actiones, vindicationes: in perſonam verò actiones, quibus dare, aut facere oportere intendit, condictiones. Condicere enim eſt denũciare priſca linqua, nunc verò abuſivè dicimus condictionem actionem in perſonam eſſe, qua actor intendit dari ſibi oportere. Nulla enim hoc tempore eo nomine denunciatio fit.

§.*XI*.

*Si quis præterèà, parte adverſante petente,*
*Jam ſibi deberi nummos iuraverit illos,*
*Quos peteret, neque ſolvãtur, datur actio iure,*
*Per quam haud quæritur, an nè pecunia debita*
*ſit, ſed*
*Ille an iurarit, tantummodò quæſtio fiet.*

§. *XII*.

*A Prætore etiam introducta eſt actio pœnæ*
*Multiplicis generis, fuerat velut actio in illũ,*
*Qui corrupiſſet quicquam Prætoris ab albo,*
*Atque in eum, qui patronum, patremue vocaſſet*
*In ius, cũ id non impetraſſet: itẽ actio in illum,*
*Qui valida vi exemerit in ius fortè vocatum,*
*Cuius ſivè dolis exemerit alter eundem,*
*Atque aliæ multæ, quas cõnumerare nequimus.*

§.*XIII*.

*Aſt in rem præiudicialis iam eſſe videtur*
*Actio, qualis erit, fiet cum quæſtio ſit ne*
*Quis liber, fuerit Dominorum an iure ſolutus,*
*Vel de partu agnoſcẽdo. E queis planè una habet*
*Actio legitimam cauſam, qua quæritur, an quis*
*Sit liber. Sunt verò aliæ à Prætore profectæ.*

§.*XIV*.

*Ergo cum fuerit ſic diſcreta actio quævis,*
*Rem non poſſe ſuam actorem ſic poſcere ab ullo*
*Eſt certum dare ſi debere appareat ipſum;*
*Namque quod eſt actoris, non ipſi dari oportet,*
*Nempè dari quoniam cuiquam cẽſebitur illud,*
*Quod datur, ipſius ut fiat, fierique nequibit*
*Res magis actoris, quã eſt ipſius. Atque latronũ*
*Iuſto planè odio, teneantur quo magis ipſi*
*Effectum eſt, extrà ut pœnã dupli, quadruplive,*
*Accipiendarum rerum quoque nomine fures*
*Hac meritò teneãtur, eos ſi appareat, ipſã (ipſos,*
*Rem dare oportere, in rem hæc ſit licet actio in*
*Actor per quã rem eſſe ſuã quicumque repoſcit.*

§. *XV*.

*Actio verò in rem planè quæcumque vocatur;*
*Qua rẽ quiſque ſuam ſibi vindicat. Actio verò*
*Iu perſonam dicetur condictio, qua quid* Vindicatio
*Aut aliquid dandum, aut faciẽdum intenditur*
*Nàm qui condicit, lingua denuntiat ipſe (eſſe;*
*Priſca, & abuſivè condictio dicitur eſſe*
*Actio quæcũque in perſonam, qua ſibi dandum*
*Nũc actor quidquam intendit; nã tẽpore noſtro*
*Nomine non aliquis planè denunciat iſto.*

XVI.

Sequens illa diviſio eſt, quod quædam actiones rei perſequendæ gratia comparatæ ſunt,quædam pœnæ perſequendæ, quædam miſtæ ſunt.

*§.XVI.*

*Eſt autem illa ſequẽs diviſio; nã actio quędam*
*Eſt rerum cauſa poſcendi iure parata,*
*Pœnæ alia eſt quærendæ,quædã denique miſta.*

§.XVII.

Rei.perſequendæ cauſa comparatæ ſunt omnes in rem actiones. Earum verò actionum,quæ in perſonam ſunt,eæ quidem quæ ex contractu naſcuntur, ferè omnes rei perſequendæ cauſa comparatæ videntur: veluti quibus mutuam pecuniam,vel in ſtipulatum deductam petit actor, item commodati, depoſiti,mandati,pro ſocio,ex empto,vendito, locato,conducto,Planè ſi depoſiti agatur eo nomine,quod tumultus,incendii,ruinæ,naufragii cauſa depoſitum ſit: in duplum actionem Prætor reddit: ſi modo cum ipſo, apud quem depoſitum ſit,aut cum hærede eius de dolo ipſius agitur,quo caſu miſta eſt actio.

*§.XVII.*

*Eſt rerum cauſa poſcendi iure parata*
*Actio quæcũque in rem. In perſonã actio nata*
*Ex contractu etiam cenſebitur eſſe parata,*
*Ad res poſcendas, velut eſt ea, mutua quæ ſit,*
*In ſtipulatum ſeu deducta pecunia,agenti*
*Poſcitur.Eſt quoq;ei,qui commodat,actio talis,*
*Nec non depoſiti,mandati,pro ſocioque,*
*Ex cõducto,vendito,& ex empto,atque locato.*
*Illo depoſiti planè ſi nomine agatur,*
*Quod ſit depoſitum flammarum,ſivè ruinæ*
*Cauſa,naufragiive, tumultus,actio iure*
*Redditur à Prætore in duplum,ſi modò cũ ipſo,*
*Extet apud quem depoſitum,ſivè eius agatur*
*Cum herede ipſius fraude, eſt tunc actio miſta.*

§.XVIII.

Ex maleficiis verò proditæ actiones,aliæ tantùm pœnæ perſequendæ cauſa comparatæ ſunt:aliæ tàm pœnę,quàm rei perſequendæ,& ob id miſtæ ſunt. Pœnam tantùm perſequitur quis actione furti: ſive enim manifeſti agatur, quadrupli; ſive non manifeſti, dupli: de ſola pœna agitur. Nam ipſam rem propria actione perſequitur quis,id eſt,ſuam eſſe petens: ſive fur ipſe eam rem poſſideat, ſive alius quilibet. Eo amplius adverſus furem etiam condictio eſt(rei.)

*§.XVIII.*

*Actio diverſa ex delictis prodita habetur,*
*Eſt tantùm poſcendæ cauſa iure parata*
*Pœnæ quædam,alia eſt pœnam,rerũque petendi*
*Cauſa,& ob id miſta actio.Sed tãtũmodò pœnã*
*Actio perſequitur furti,vel enim manifeſti(ſti,*
*Quadrupli agatur,vel dupli furti haud manifeſ*
*Sola agitur de pœna.Rem ipſam propria nãque*
*Actio perſequitur,poſcit cum ſcilicet actor*
*Eſſe ſuam latro ſeù rem iam poſſidet ipſam,*
*Sivè alius quivis.Plane tanto amplius ipſum*
*Eſt etiam adverſus furem condictio rerum.*

§.XIV.

Vi autem bonorum raptorum actio miſta eſt: quia in quadruplo rei perſecutio continetur: pœna autem tripli eſt. Sed & legis Aquilię actio de damno iniuria (dato,)miſta eſt: non ſolum ſi adverſus inficiantem in duplum agatur,ſed interdum & ſi in ſimplum quiſque agat, veluti ſi quis hominem claudum,aut luſcum occiderit, qui in eo anno integer, & magni pretii fuerit: tanti enim damnatur, quanti is homo eo in anno plurimi fuerit, ſecundum iam traditam diviſionem. Item miſta eſt actio contra eos, qui relicta ſacroſanctis Eccleſiis, vel aliis venerabilibus locis,legati vel fideicommiſſi nomine,dare diſtulerint:uſque adeò,ut etiam in iudicium vocarentur: tunc enim & ipſam

rem

*§.XIX.*

*Verum vi raptorum eſt actio miſta bonorum,*
*Cõtinet hæc nãq;in quadruplo rẽ,pœna ſed ipſa* Aquiliæ
*Tripli eſt.Miſta autẽ eſt etiã actio legis in illũ,*
*A quo ſit damnum cuiquam non iure tributum.*
*Non ſolùm cõtrà inficiantẽ ſi in duplũ agatur,*
*Verum agat in ſimplũ ſi interdũ quilibet,ut ſi*
*Quis vel claudũ hominẽ,luſcumue occiderit,illo*
*Qui magni fuerit pretii,ſivè integer anno;*
*Tanti etenim damnatur,quanti plurimi in illo*
*Ipſe anno ſit ſicut erat diviſio facta.*
*Præterea miſta eſt etiam illos actio contrà,*
*Qui dare diſtulerint ſacratis forte relicta,* Eccleſiis
*Sivè locis aliis venerandis nomine planè*
*Legati,aut fideicommiſſi,donec ut ipſi*
*Iure vocati eſſent ad iudicium,dare namque*
*Tunc compelluntur rẽ ipſam,nũmoſue relictos;*

*Atque*

Digitized by Google

rem vel pecuniam,quæ relicta eſt,dare compelluntur,& aliud tantùm pro pœna:& ideo in duplum eius fit condemnatio.

*Atque aliud tantùm cogentur nomine pœnæ,*
*Ipſius in duplum idcircò damnatio fiet.*

§. XX.

Quædam actiones miſtam cauſam obtinere videntur, tàm in rem, quàm in perſonam: qualis eſt familiæ erciſcundæ actio, quæ competit cohæredibus de dividenda hæreditate. Item communi dividundo, quæ inter eos redditur, inter quos aliquid commune eſt,ut id dividatur. Item finium regũdorum actio, qua inter eos agitur, qui confines agros habent. In quibus tribus iudiciis permittitur Judici rem alicui ex litigatoribus ex bono & æquo adiudicare: & ſi unius pars prægravari videbitur, eum invicem certa pecunia alteri condemnare.

§. *XX.*

*Actio ſed quadam miſtam cenſetur habere*
*Cauſam in rẽ,atque in perſonã, ſic eſſe videtur*
*Actio familiæ herciſcundæ,& competit illis,*
*Qui ſimul hæredes ſunt,ut diviſio fiat*
*Aſſis. Item inter eos hæc actio redditur,inter* Communi Dividundo.
*Quos aliquid commune eſt,ut partitio fiat.*
*Talis prætereà eſt finis quæcumque regundi*
*Actio,eos inter,quorum conterminat arvum:*
*In quo iudicii triplici,permittitur ipſis*
*Judicibus rem cenſere ex æquoque,bonoque*
*Cuidam illorum,qui litem moviſſe videntur:*
*Et ſi pars fortaſſe putabitur eſſe gravata*
*Vnius,Judex poterit damnare viciſſim,*
*Alteri ut is certos teneatur ſolvere nummos.*

§. XXI.

Omnes autem actiones, vel in ſimplum conceptæ ſunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum: ulterius autem nulla actio extenditur.

§. *XXI.*

*Cõcæpta in ſimplũ,ſivè in duplum actio quævis,*
*Sive triplũ,quadruplumve, & nulla extẽditur*
*(ultrà.*

§. XXII.

In ſimplum agitur,veluti ex ſtipulatione, ex mutui datione,ex empto,vendito,locato, conducto,mãdato, & denique ex aliis quam plurimis cauſis.

§. *XXII.*

*Aſt in ſimplum agitur,ſit ſi ſtipulatio facta,*
*Mutua ſi data erit res,cõducta,empta,locata,*
*Vendita,& ex mãdato,aliis & denique cauſis.*

§. XXIII.

In duplum agimus:veluti furti nec manifeſti,damni,iniuriæ ex lege Aquilia,depoſiti ex quibuſdam cauſis. Item ſervi corrupti: quæ competit in eum, cuius hortatu,conſiliove ſervus alienus fugerit, aut contumax adverſus dominum factus eſt, aut luxurioſè vivere cœperit,aut denique quolibet modo deterior factus ſit. In qua actione earum etiam rerum, quas fugiendo ſervus abſtulerit,æſtimatio deducitur. Itẽ ex legato,quod venerabilis locis relictum eſt, ſecundùm ea, quæ ſupra diximus.

§. *XXIII.*

*In duplum autẽ agimus,veluti furti haud ma-*
*Illati damni,& ſi qua eſt iniuria facta(nifeſti,*
*Præfata ex lege Aquilia, cauſiſque quibuſdam*
*Depoſiti. In duplũ quoque corrupti actio ſervi*
*Eſt in eum,hortatu cuius,monituve alienus*
*Aufugiat ſeruus, Dominove haud pareat, ipſe*
*Incipiat vel tunc inhoneſtam ducere vitam,*
*Deteriorve modo quovis ſit denique factus.*
*Hac autẽ illarum rerum quoque,quas fugiẽdo*
*Abſtulerit ſeruus,precium deducitur: Ipſis*
*Prætereà quæ locis venerandis fortè relicta*
*Ex legato iuxtà ea,quæ nos diximus ante.*

§. XXIV.

Tripli verò (agimus,) cum quidam maiorem vera æſtimatione quantitatem in libello conventionis inſerũt, ut ex hac cauſa viatores,id eſt, executores litium, ampliorem ſummam ſportularum nomine exigerent: tunc enim id, quod propter eorum cauſam damnum paſſus fuerit reus, in triplum ab actore conſequetur: ut in hoc triplo etiam ſimplum, in quo damnum paſſus eſt connu-

§. *XXIV.*

*Tripli verò agimus,ſit dum cõventio ſummam*
*Maiorem verò pretio cum quiſque libello*
*Inſerit,ex iſta cauſa ut quicumque viator,*
*Hoc eſt qui litẽ exequitur iam ſportulæ,haberet*
*Nomine maiorem ſummam,nàm quod reus illa*
*Sit cauſa paſſus damnum,perſolveret actor*
*Triplum,ſed triplũ triplo ut numeretur in ipſo,*
*Eſt in quo damnum paſſus. Quod ſanctia noſtra*

meretur. Quod noſtra conſtitutio introduxit, quæ in noſtro Codice fulget, quam proculdubio certum eſt ex lege condictia emanare.

### §. XXV.

Quadrupli autem agitur veluti furti manifeſti: item de eo, quod metus cauſa factum ſit, deque ea pecunia, quæ in hoe data ſit, ut is cui datur calumniæ cauſa, negotium alicui faeeret, vel non faceret. Item, ex lege condictitia noſtra conſtitutio oritur, in quadruplum condemanationem imponens iis executoribus litium, qui contra noſtræ conſtitutionis normam à reis quicquam exegerint.

### §. XXVI.

Sed furti quidem nec manifeſti actio, & ſervi currupti, à cæteris, de quibus ſimul locuti ſumus, eo differunt, quod hæ actiones, omnimodo dupli ſunt: at illæ, id eſt, damni iniuriæ ex lege Aquilia, & interdum depoſiti, inficiatione duplicantur, in confitentem autem in ſimplum dantur. Sed illa, quæ de his competit, quæ relicta venerabilibus locis ſunt, non ſolùm inficiatione duplicatur, ſed etiam ſi diſtulerit relicti ſolutionem uſquequo iuſſu magiſtratuum (noſtrorum) conveniatur. In confitẽtem verò, antequam iuſſu magiſtratuum conveniatur, ſolventem ſimpli redditur.

### §. XXVII.

Item, actio de eo quod meus cauſa factum ſit, à cæteris, de quibus ſimul locuti ſumus, eo differt, quod eius natura tacitè continetur, ut qui iudicis iuſſu ipſam rem actori reſtituat, abſolvatur: quod in cæteris caſibus non eſt ita: ſed omnimodo quiſque in quadruplum condemnatur, quod eſt & in furti manifeſti actione.

### §. XXVIII.

Actionum autem quædam bonæ fidei ſũt, quædam ſtricti iuris. Bonæ fidei ſunt hæ: ex ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum geſtorum, mandati, depoſiti, pro ſocio, tutelæ, commoditati, pignoratitia, familiæ ercifcundæ, communi dividundo, præſcriptis verbis, quæ de æſtimato proponitur, & ea quæ ex permutatione competit, & hæreditatis petitio. Quãvis enim uſque adhuc in-

*Induxit, noſtro planè quæ in Codice fulget,*
*Quam procul eſt dubio certum procedere lege.* Condictitia

### *§. XXV.*

*Aſt agitur quadrupli veluti furti manifeſti;*
*Præterea de illo, quod ſit formidine factum,*
*Deque illis etiam nummis, qui ſint dati ut ipſe,*
*Cui dantur cauſa faciendæ, fraudis iniquæ,*
*Nõ alicui faceret, faceretue negotium. Itèm lex*
*Noſtra ex lege oriens, quæ condictitia fertur,*
*Dãnat eũ in quadruplũ, qui dicitur eſſe viator,*
*Ac litem exequitur, quicquam ſi exegit ab ipſis*
*Fortè reis cõtrà legis normam, atque tenorem.*

### *§. XXVI.*

*Nec manifeſti autem quævis furti actio, ſervi*
*Corrupti, & ſimilis, de queis ſimul ante loquti*
*Nos fuimus, diſcrimen habent, nã omni ratione*
*Dupli hę ſunt. Ille at, quas damnum, iniuria gi-*
*Ex lege Aquilia, atque interdũ depoſiti, ſi (gnit*
*Deneget indè reus, duplicantur, dantur at ipſe*
*In ſimplum, ad miſſum ſi iam reus eſſe fatetur.*
*At verò de illis, quæ competit actio rebus,*
*Quæ fuerant ſacris templis fortaſsè relictæ,*
*Atque locis venerandis, cum reus abnuit, ipſa*
*Non ſolùm duplicatur, ſed ſi ſolvere donèc*
*Abſtulerit, noſtri mandato iudicis ipſe*
*Conveniatur. Simpli at redditur actio in illũ,*
*Qui ſolvit, legatum & protinus eſſe fatetur*
*Ante, magiſtratus iuſſu quàm conveniatur.*

### *§. XXVII.*

*Præterea de illo actio, quid formidine factum*
*Jam ſit ab his, de queis fuimus ſimul ante loquti*
*Differt, quo tacitè naturam continet eius,*
*Vt qui reſtituat mandato Judicis ipſam*
*Actori rem, abſoluatur. Quod non ità verũ eſt*
*Caſibus in reliquis, verùm damnabitur omni*
*Quiſque modo in quadruplum, quod dicimus*
*eſſe fatendum*
*In furem, manifeſti in quem datur actio furti.*

### *§. XXVIII.*

*Eſt vero ſtricti iuris quædam actio, quædam*
*Atq; bonę fidei. Huius verò ex vẽdito, & empto*
*Sunt generis, nec non ex conducto, atque locato,*
*Depoſiti, mandati, pro ſocioque negoti*
*Et geſti, tutelæ, eius qui commodat, atque*
*Pignoris, herciſcundæ familiæ, actio qua quis*
*Actor partiri quicquam commune requirit,*
*Præſcriptis verbis, quę iam proponitur ipſa*
*De re ducta, illa & quam permutatio gignit;*
*Atque*

incertum erat, inter bonæ fidei iudicia connumeranda hæreditatis petitio eſſet, an non: noſtra tamen conſtitutio apertè eam eſſe bonæ fidei diſpoſuit.

§. XXIX.

Fuerat ante & rei uxoriæ actio unà ex bonæ fidei iudiciis: ſed cum pleniorem eſſe ex ſtipulatu actionem invenièntes, omne ius, quod res uxoria antea habebat, cum multis diviſionibus in actionem ex ſtipulatu, quæ de dotibus exigendis proponitur, tranſtulimus, merito rei uxoriæ actione ſublata, ex ſtipulatu (actio, ) quæ pro eo introducta eſt, naturam bonæ fidei iudicii tantùm in exactione dotis meruit, ut bonæ fidei ſit: (ſed) & tacitam ei dedimus hypothecam. Præferri autem aliis creditoribus in hypothecis tunc cenſuimus, cum ipſa mulier de dote ſua experiatur, cuius ſolius providentia hoc induximus.

§. XXX.

In bonæ fidei iudiciis libera poteſtas permittī videtur, Judici ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui debeat. In quo & illud continetur, ut ſi qnid invicem præſtare actorem oporteat: eo compenſato, in reliquum is, cum quo actum eſt, debeat condemnari. Sed & in ſtricti iuris iudiciis, ex reſcripto D. Marci, oppoſita doli mali exceptione, compenſatio inducebatur. Sed noſtra conſtitutio eas compenſationes, quę iure aperto nituntur, latius introduxit, ut actiones ipſo iure minuant, ſive in rem, ſive in perſonam, ſive alias quaſcunque: excepta ſola depoſiti actione, cui aliquid compenſationis nomine opponi, ſanè iniquum eſſe credimus: ne ſub prætextu compenſationis, depoſitarum rerum quis ex actione defraudetur.

§. XXXI.

Præterea quaſdam actiones arbitrarias, id eſt, ex arbitrio Judicis pendentes appellamus, in quibus, niſi arbitrio Judicis is, cum quo agitur, actori ſatisfaciat: veluti rem reſtituat, vel exhibeat, vel ſolvat, vel ex noxali cauſa ſeruum dedat: condemnari debeat. Sed iſtę actiones, tàm in rem, quàm in perſonam inveniuntur. In rem, veluti Publiciana, Serviana de rebus coloni, quaſi Serviana, quæ etiam hypothecaria vocatur. In perſonam, veluti quibus de eo agitur, quod (vi) aut

metus

*Atque ea, qua quis defūcti hęredē eſſe repoſcit.*
*Nam fuerat quamvis incertum, an actio talis*
*Eſſe bonę fidei deberet, ſanctio noſtra*
*Attamèn eſſe bonę fidei mandavit apertè.*

§. XXIX.

*Inſuper ante rei uxroris fuit actio quondam*
*Judicio una bonę fidei. At cum plenior eſſet*
*Ex ſtipulatu inventa, uxoria res quod habebat*
*Omne prius ius, eum fuerit diviſio facta*
*Diverſa, à nobis cum in eam, quę dicitur eſſe*
*Ex ſtipulatu, ex actio qua proponitur omnis*
*Dotis, translatum fuerit, meritò actio dicta*
*Sublata eſt, atq: ex ſtipulatu, quę actio pro hoc*
*Introducta, bonę fidei tantummodò ſervat (eſt*
*Judicii naturam, ſit cum exactio dotis,*
*Jure bonæ fidei ut ſit. Verùm protinus ipſi (illi,*
*Nos dedimus tacitā iā hypothecā. At duximus*
*Qui eſt credēs, hypothecis tūc ſolūmodo in ipſis*
*Pręferri, mulier cum de dote experiatur;*
*Cui ſoli ut ſit proviſum, hoc induximus ipſi.*

§. XXX.

*Judiciisque bonę fidei permiſſa poteſtas*
*Libera ducendi ex ęquoquè, bonoque videtur*
*Judicibus, quantum actori iam debeat ipſi*
*Reſtitui. In quo eſt, ut ſi quid pręſtare vicissim*
*Debeat actor, eo compenſato in reliquum ille,*
*Cum quo actū eſt, damnetur. Compenſatio verò*
*Stricti in iudiciis iuris, reſcripſerat olim*
*Vt Divus Marcus, fuerit cum exceptio pravi:*
*Oppoſita ulla doli, proponebatur; at ipſa*
*Compenſatio, quæ iure innitetur aperto,*
*Latius introducta eſt noſtris legibus, ipſo*
*Sive in perſonam minuatur ut actio iure,*
*Sive in rem, quævisue alia; attamen actio ſola*
*Depoſiti excipitur, cui planè haud credimus eſſe*
*Æquum, ſi opponatur compenſatio, tali*
*Nè ſub prætextu actori fraudatio fiat.*

§. XXXI.

*Actio præterea eſt quædam arbitraria pēdens*
*Judicis arbitrio, per quam niſi Judicis ipſo*
*Arbitrio faciat ſatis actori reus, ut rem*
*Reſtituat, ſivè ex hibeat, ſeù ſolvat, ob ullam*
*Noxalem culpam ſeruum ſeù tradat habēdum,*
*Condemnandus erit. Reperitur at actio talis*
*Tàm in rem, quàm in perſonā. In rē velut actio* Serviana
*Publiciana, e ſervi nomine dicta coloni (dicta*
*In rebus, quaſi ſervi etiam de voce vocata* Quaſi Serviana.
*A nobis hypotheca quæ actio dicitur eſſe*
*In perſonam omnes illæ velut eſſe feruntur,*

*Queis*

metus cauſa, aut dolo malo factum eſt. Item cum id, quod certo loco promiſſum eſt, petitur. Ad exibendum quoque actio ex arbitrio iudicis pendet. In his enim actionibus & cæteris ſimilibus, permittitur Judici ex bono & æquo, ſecundùm cuiuſque rei, de qua actum eſt, naturam æſtimare, quemadmodum actori ſatisfieri oporteat.

## §. XXXII.

Curare autem debet Judex, ut omnino, quantum poſſibile ei ſit, certæ pecuniæ vel rei ſententiā ferat: etiam ſi de incerta quantitate apud eum actum eſt.

## §. XXXIII.

Si quis agnes, (in) intentione ſua plus cōplexus fuerit, quā ad eū pertinebat: à cauſa cadebat, id eſt, rem amittebat: nec facilè in integrum reſtituebatur à Prætore, niſi minor erat viginti quinque annis. Huic enim, ſicut in aliis cauſis, cauſa cognita ſuccurrebatur, ſi lapſus iuuentute fuerat: ita & in hac cauſa ſuccurri ſolitum erat. Sanè ſi tam magna cauſa iuſti erroris interveniebat, ut etiam conſtantiſſimus quiſque labi poſſet, etiam maiori viginti quinque annis ſuccurrebatur: veluti ſi quis totum legatum petierit: poſt deinde prolati fuerint codicilli, quibus aut pars legati adempta ſit, aut quibuſdam aliis legata data ſint, quæ efficiebant, ut plus petiiſſe videretur petitor, quam dodrantem, atque ideo lege Falcidia legata minuebantur. Plus autem quatuor modis petitur: re, tempore, loco, (&) cauſa. Re, veluti ſi quis pro decem aureis, qui ei debebantur, viginti petierit: aut ſi is, cuius ex parte res eſt, totam eam, vel maiorem partem ſuam eſſe intenderit. Tempore, veluti ſi quis ante diem, vel (ante) conditionem petierit. Qua enim ratione qui tardius ſolvit quam ſolvere deberet, minus ſolvere intelligitur: eadem ratione, qui præmature petit, plus petere videtur. Loco plus petitur: veluti cum quis id, quod certo loco ſibi (dari) ſtipulatus eſt, alio loco petit, ſine commemoratione illius loci, in quo ſibi dari ſtipulatus eſt: verbi gratia, ſi is, qui ita ſtipulatus fuerit, *Ephesi dare ſpondes*? Romæ purè intendat ſibi dari oportere. Ideo autem plus petere intelligitur: qui utilitatem: quam haberet promiſſor ſi Epheſi ſolvere, adimitit ei pura intentione.

Prop-

*Queis agitur de illo, quod ſit formidine factū,*
*Seū vi, ſivè dolo pravo. Cum poſcitur illud*
*Prætereà, de quo in certo promiſſio quondam*
*Facta loco fuerit. Pendet quoque iudicis ipſo*
*Arbitrio actio, ut exhibeas. Permittitur iſtis*
*Namq; alia & ſimili illi, æquoq; bonoq; ſecūdùm*
*Naturam cuiuſque rei, de qua fuit actum,*
*Ducere iudicibus iuſtis, rectèque putare*
*Qua ratione ſatisfieri iam debet agenti.*

## *§. XXXII.*

*Jam verò iuſtus Judex curare tenetur,*
*Vt quantùm fieri poſſit, ſententia certæ*
*Sivè rei omninò, nummorum ſivè feratur,*
*Quāquā eſt de incerta sūma actū Judice corā.*

## *§. XXXIII.*

*Si quis agens fuerit complexus fortè libello*
*Plus quam ad eum ſpectet, tūc protinus ille ca-*
*A cauſa, hoc eſt rē amittebat, reſtituebat (debat*
*Nec facile ipſum Prætor in integrū minor eſſet*
*Ni quinq; & viginti annis. Huic nāq; aliis ut*
*In cauſis; eſſet planè cum cognita cauſa;*
*Succurrebatur, lapſus ſi erat ille iuventa,*
*Atque ità in hac cauſa ſolitum ſuccurrier eſſet.*
*Erroris verò iuſti ſi tanta fuiſſet*
*Cauſa, & labi etiam cōſtans quicumq; valeret,*
*Illi etiam ſuccurrebatur, qui egerat annos*
*Quinque, & viginti, legatum poſtulet ut ſi*
*Quis totum, fuerit Codex ſed parvulus inde*
*Prolatus, quo eius legati pars ſit adempta,*
*Sivè quibuſdam aliis fuerint legata relicta,*
*Quæ efficiebant, ut planè petiiſſe petitor*
*Plus dodrante videretur, legata minuta*
*Falcidia ideircò fuerant. Plus poſcitur autem*
*Quadruplici ratione aliquid, re, tempore, cauſa,*
*Atque loco: Re, ut ſi quis pro bis quinq; repoſcat*
*Viginti nummos auri, aut ſi intenderit ille,*
*Cuius res eſt ex parte, aut totam ipſius eſſe,*
*Aut ſaltem partem maiorem; Tempore, nempè*
*Ante diem quicquam ſi quis fortaſſe repoſcat*
*Ante aut conditionem. Qua ratione putatur*
*Namq; minus nummorum ſolvere, tardius ille,*
*Qui ſolvit, perſolvere quam deberet, eadem*
*Qui ante diem quicquā poſcit, ratione videtur*
*Plus petere; Atq; loco petitur plus, cum petit id quis*
*Nēpè alibi, tradi eſt ſibi quod ſtipulatus in ullo*
*Jure loco certo, nèc commemoratio fiat*
*Vlla loci, dari ubi eſt ſtipulatus, ſcilicet ille (niſi*
*Qui ſi ità ſit ſtipulatus; Promittis dare Athe-*
*Eſſe ſibi intendat purè Carthagine dandum.*

*Plus*

Propter quam cauſam alio loco petenti arbitraria actio proponitur:in qua ſcilicet ratio habetur utilitatis, quæ promiſſori competitura fuiſſet,ſi illo loco ſolveret,(quo ſe ſoluturum ſpopondit.) Quæ utilitas plerumque in mercibus maxima invenitur: veluti vino,oleo,frumento:quę per ſingulas regiones diverſa habent pretia. Sed & pecuniæ numeratæ non in omnibus regionibis ſub eiſdem uſuris fœnerantur. Si quis tamen Epheſi petat,id eſt,eo loco petat,quo ut ſibi detur ſtipulatus eſt: pura actione rectè agit: idque etiam Prætor monſtrat: ſcilicet quia utilitas ſolvendi ſalva eſt promiſſori. Huic autem, qui loco plus petere intelligitur, proximus eſt is,qui cauſa plus petit:ut ecce, ſi quis ita à te ſtipuletur, *Hominem Stichum, aut decem aureos dare ſpondes?* deinde alterum petat, veluti hominem tantùm, aut decem aureos tantùm.Ideo autem plus petere intelligitur, quia in eo genere ſtipulationis promiſſoris eſt electio, utrum pecuniam, an hominem ſolvere malit. Qui igitur pecuniā tantūm, vel hominem tātùm ſibi dari oportere intendit, eripit electionem adverſario: & eo modo ſuam quidem conditionem meliorem facit,adverſarii vero(ſui) deteriorē. Qua de cauſa talis in ea re prodita eſt actio, *Vt quis intendat hominem Stichum,aut aureos decem ſibi dari oportere*:id eſt,ut eodem modo peteret, quo ſtipulatus eſt. Præterea ſi quis generaliter hominem ſtipulatus ſit, & ſpecialiter Stichum petat: aut generaliter vinum ſtipulatus ſit, & ſpecialiter Campanum petat: aut generaliter purpuram ſtipulatus ſit, deinde ſpecialiter Tyriam petat: plus petere intelligitur: quia electionem adverſario tollit, cui ſtipulationis iure liberum fuit, aliud ſolvere, qnam quod peteretur. Quinetiam licet utiliſſimum ſit, quod quis petat: nihilominus plus petere intelligitur: quia ſæpè accidit, ut promiſſori facilius ſit illud ſolvere,quod maioris pretii eſt. Sed hæc quidem antea in uſu fueranr: poſtea vero lex Zenoniana & noſtra rem coarctavit. Et ſi quidem tempore plus fuerit petitum: quid ſtatui oporteat, Zenonis divæ memoriæ loquitur conſtitutio: ſin autem quantitate, vel alio modo plus fuerit petitum: (in) omne, ſi quod fortè damnum ex hac cauſa acciderit ei,contra quem plus pe-

ritum

*Plus vero petere idcircò cenſebitur ille,*
*Vtile nam quod haberet,ſi promiſsor Athenis*
*Solveret,hæc auferre intentio pura videtur.*
*Hanc propter cauſam proponitur actio dicta*
*Arbitraria ei,qui alibi poſcit. Ratio in qua*
*Scilicet utilitatis habetur,quæque fuiſset*
*Competitura reo,ipſe loco ſi ſolveret illo,*
*In quo ſe eſse ſoluturum promiſerat.Iſta*
*Vtilitas poterit plerūq;in mercibus eſse (lerno,*
*Magna,in frumēto veluti,in que oleo,atq;pha-*
*Queis precia in variis inſunt regionibus orbis*
*Diverſa.At cunctis numerata pecunia terris*
*Non datur uſuris ſub eiſdem.Si quis Athenis*
*Illo nempè loco depoſcat,quo ut ſibi detur*
*Is ſtipulatus erat,cenſenda eſt actio pura;*
*Idque etiam Prætor monſtrat quia ſcilicet ipſa*
*Solvendi utilitas ſponſori ſalva manebit.*
*Huic autem,qui intelligitur plus poſcere dicti*
*Iure loci,eſt planè cenſendus proximus ille,*
*Qui cauſa poſcit plus,ut ſi quis ſtipuletur (des?*
*A te ità:Sticū hominē, auri ſivè decē dare ſpō-*
*Indè decē tantū,aut hominē tantūmodò poſcat.*
*Idcircò autem intelligitur plus poſcere; nāque*
*Hac ſpecie ſtipulandi promiſſoris habetur*
*Optio,utrū nūmos,hominē an perſolvere malit.*
*Ergo ab eo,qui hominem,aut nūmos tantāmodo*
*Eſſe ſibi intendit,debenti electio dāda (dandos*
*Eripitur,ſic conditio melior ſua fiet,*
*Debentis verò peior. Qua prodita cauſa*
*Actio talis ea in re eſt, ut quis ſeù ſibi dandum*
*Stichum hominē,nūmoſuè intendat,ſcilicet illa,*
*Qua ſtipulatus erit,ratione repoſcat eadem.*
*Prętereà ſi hominem generatim quis ſtipulatus*
*Sit,Stichum & poſcat ſpeciatim,vel generatim*
*Vinum ſit ſtipulatus,ſed ſpecialitèr indè*
*Campanum poſcat,vel ſi generalitèr oſtrum*
*Sit ſtipulatus,& indè petat Tyriam ſpeciatim,*
*Poſcere plus intelligitur,nam tollitur ipſi*
*Optio debenti,ſtipulanti iure facultas*
*Cui data ſolvendi eſt aliud,quā quod peteretur*
*Quin parvi quamquā eſt precii quod poſtulat*
*Attamē hic intelligitur plus poſcere;nāq;(actor*
*Interdùm contingit ſit facilè ut magis illud*
*Solvere,quod planè precii maioris habetur.*
*Moribus hæc fuerant primis, uſuque probata,*
*Poſtea rem Zenonis lex,& Sanctio noſtra*
*Retrinxit: Fuerit ſi tempore forte petitum*
*Plus,quid ſit ſtatuendū,extendit Sanctio Divi*
*Zenonis.Sin ſumma,alia aut ratione petitum*
*Sit plus,tunc tripli pœna damnatur in omne,*
*Si quod fortè ex hac cauſa damnum accidat illi*

*Con-*

ritum fuerit, commiſſa tripli condemnatione(ſicuti ſupra diximus),puniatur.

§. XXXIV.

Si minus in intentione ſua complexus fuerit actor,quam ad eum pertineat : veluti ſi cum ei decem(aurei)deberentur, quinque ſibi dari oportere intenderit:aut(ſi)cum totus fundus eius eſſet, partem dimidiã ſuam eſſe petierit: ſine periculo agit, in reliquum enim nihilominus Judex adverſarium in eodem iudicio(ei) condemuat, ex conſtitutione divæ memoriæ Zenonis.

§. XXXV.

Si quis aliud pro alio intẽderit:nihil enm periclitari placet,ſed in eodem iudicio, cognita veritate, errorem ſuum corrigere (ei) permittitur:veluti ſi is,qui hominem Stichũ petere deberet, Erotem petierit : aut ſi quis ex teſtamento dari ſibi oportete intenderit,quod ex ſtipulatu debetur.

§. XXXVI.

Sunt præterea quædam actiones, quibus non(ſemper)ſolidum, quod nobis debetur, perſequimur : ſed modò ſolidum perſequimur, modò minus : ut ecce, ſi in peculium filii, ſervive agamus . Nam ſi non minus in peculio ſit, quem perſequimur, in ſolidum dominus,paterve condemnatur : ſi verò minus inveniatur : eatenus condemnat Judex, quatenus in peculio ſit . Quemandmodum autem peculium intelligi debeat,ſuo ordine proponemus.

§. XXXVII.

Item ſi de dote (in)Judicio mulier agat: placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere poſſit, id eſt, quatenus facultates eius patiuntur . Itaque ſi dotis quantitati concurrant facultates eius,in ſolidum damnatur:ſi minus, in tantùm, quantum facere poteſt. Propter retentionem quoque dotis repetio minuitur. Nam ob impẽſas in res dotales factas, marito(quaſi) retentio conceſſa eſt : quia ipſo iure neceſſariis ſumptibus dos minuitnr, ſicut ex latioribus Digeſtorum libris cognoſceret licet.

§. XXXIII.

Sed & ſi quis eum parente ſuo,patronove agat:Item ſi ſocius eum ſocio,iudicio ſocietatis agat:non plus actor conſequitur,quam

quis

*Cõtrà quem ſit plus quæſitum,ut diximus ante.*

§. *XXXIV.*

*Si minus actor eo intendat,quã ſpectet ad ipsũ,*
*Bis quinos deberentur cum ſcilicet ipſi*
*Aureos,quinque ſibi dandos intenderet,aut ſi*
*Ipſius totus fundus cum fertilis eſſet,*
*Dimidia ipſe ſuam partẽ tantum eſſe repoſcat,*
*Hic ſecurus erit, nullum patiturque periclum;*
*Nam in reliquũ Judex debentem damnat eodẽ*
*Judicio,Divi ut Zenonis lege ſtatutum eſt.*

§. *XXXV.*

*At vero ſi aliud pro alio quis forte reſpoſcat*
*Nullum ipſi dãnum fuerit, nullumq; periclum,*
*Vt placuit nobis, ſed cum agnitus error eodem*
*Judicio fuerit,verax & cognita cauſa,*
*Eſt illi emendandi errorem danda facultas,*
*Si veluti is, qui hominẽ deberet poſcere Stichũ,*
*Erotem poſcat,ſive ex teſtamine dandum*
*Poſcat,quodcũq;ex ſtipulatu ſpectat ad ipſum.*

§. *XXXVI.*

*Eſt etiã actio,qua sẽper non proſequimur,quod*
*Nobis debetur ſolidum,at nunc poſcimus illud,*
*Nunc minus,ut ſi iam proponitur actio nobis*
*In nati,ſervive pecunia;namque minus vi*
*Ipſa peculia contineant,quàm poſcimus ipſi,*
*In ſolidum condemnatur,Dominuſue, Paterve:*
*Sin minus, bos Judex condemnat eatenus ipſe,*
*Quatenus iſta peculia ſervant.Noſcere verò*
*Qua ratione etiam præfata peculia poſſit*
*Quiſque,ſuo ordine nobis proponetur ab ipſis.*

§.*XXXVII.*

*Si de dote ſua egerit uxor,eatenus ipſo*
*Judicio placuit,condemnandum eſſe maritum,*
*Quatenus is poſſit facere, hoc eſt quatenus eius*
*Jure facultates patiuntur.Si illius ergo*
*Sint bona ſolvendæ doti,damnabitur ipſe*
*In ſolidum;poterit ſed ſi minus ipſe maritus,*
*In tantùm,quãtùm poterit damnabitur idem.*
*Cum retinetur dos,paritèr repetitio dotis*
*Eſt etiam minuenda; etenim in dotalia proptèr*
*Impenſas factas quaſi certa retentio dotis*
*Eſt conceſſa viro,quia iure à ſumptibus ipſo*
*Diminuetur,quos fuit effeciſſe neceſſe,*
*Ex Digeſtis ut poterit cognoſcere quiſquam.*

§.*XXXVIII.*

*Verum ſi quis agat cum Patronove,Parente,*
*Atque etiam ſocius ſi cum ſocio ægerit ipſo,*
*Judicio,quod progignit ſociatio,non plus*

*Actor*

adverſarius eius facere poteſt. Idem eſt ſi quis ex donatione ſua conveniatur.

*Actor conſequitur, facere adverſarius eius Quam poterit: Quod idem eſt ſi ex dono conveniatur.*

§. XXXIX.

Compenſationes quoque oppoſitæ, plerumque efficiunt, ut minus quiſque conſequatur, quàm ei debeatur. Nam ex bono & æquo habita ratione eius, quod invicem actorem ex eadem cauſa præſtare oportet, in reliquum eum, cum quo actum eſt (condemnat,) ſicut iam dictum eſt.

*§. XXXIX.*

*Oppoſita efficiet quoque compenſatio ſæpè,*
*Vt quivis minus obtineat, quã ſpectet ad ipsũ;*
*Nam ratione habita illius ex æquoque, bonoq;*
*Actor quod præſtare viciſſim debet eadem*
*Ex cauſa, condemnat eum, cum quo fuit actum,*
*In reliquum, ſicut ſuprà iam diximus ipſi.*

§. XL.

Cum eo quoque, qui creditoribus ſuis bonis ceſſit, ſi poſtea aliquid acquiſierit: quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere poteſt, creditores experiuntur: inhumanum enim erat, ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari.

*§. XL.*

*Cum illo etiam, ceſſiſſe bonis qui dicitur olli,*
*Qui ſibi res credit, ſi aliquid quæſiverit indè,*
*Emolumẽtum planè aptũ quod habere putetur,*
*Creditor ex integro, iam experiendus in illud,*
*Quod poterit facere, eſſe etenim cenſetur iniquũ*
*In ſolidum damnari fortunis ſpoliatum.*

## *Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicitur.*

## TITVLVS VII.

QVia (tamen) ſuperius mentionem habuimus de actione, qua in peculium filiorum familiarum, ſervorumque agitur: opus eſt, ut de hac actione, & de cæteris, quæ eorundem nomine in parentes, dominoſve dari ſolent, diligentius admoneamus. Et quia ſiue cum ſervis negotium geſtum ſit, ſive cum his, qui in poteſtate parentum ſunt, eadem ferè iura ſervantur: ne verboſa fiat diſputatio, dirigamus ſermonem in perſonam, ſervi, dominique, idem intellecturi de liberis quoque, & parentibus, quorum in poteſtate sũt. Nam ſi quid in his propriè ſervetur, ſeparatim oſtendimus.

*SEd quoniam ſuprà à nobis eſt mentio facta,*
*Qua poſci planè ratione peculia debent*
*Et nati, & ſervi, tradenda hæc actio nobis*
*Eſt accuratè, atque aliæ, quæ nomine dantur*
*Ipſorũ, ſæpè ut ſolet in Dominũ, inve Parẽtem,*
*Et quia ſeu fuerint plerumque negotia geſta*
*Cum ſervis, ſeu cũ his, patrio qui iure tenentur,*
*Iura eadem ſervantur; diſceptatio fiat*
*Ne verboſa, & de ſervo, Dominoq; loquamur,*
*Intellecturi de nato id idem, atque Parente*
*Cuius iure manet; nam ſi ſervatur in iſtis*
*Quid propriè, ſeiunctim quiſq; docebitur infrà.*

§. I.

Si igitur iuſſu domini cum ſervo negotium geſtum erit: in ſolidum Prætor adverſus dominum actionem pollicetur: ſcilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini ſequi videtur.

*§. I.*

*Iuſſu igitur Domini ſi forte negotia geſta*
*Cum ſervo fuerint, Dominũ datur actio contra*
*In ſolidum à Prætore; etenim qui cõtrahit, ipſo*
*Iure fidem Domini cenſebitur eſſe ſequutus.*

§. II.

Eadem ratione Prætor duas alias in ſolidum actiones pollicetur: quarum altera exercitoria, altera inſtitoria appellatur. Exer-

*§. II.*

*Duplex in ſolidum promittitur actio eodem* Exercitoria.
*A Prætore modo, de queis exercitor uni*
*Attribuit nomen, dedit alteri at inſtitor ipſum* Inſtitoria.

Exercitoria tunc habet locum, cum quis ſeruum ſuum magiſtrum navi præpoſuerit, & quid cum eo eius rei gratia, cui Præpoſitus erit, contractum fuerit, ideo autem exercitoria vocatur, quia exercitor is appellatur, ad quem quotidianus navis quæſtus pertinet. Inſtitoria tunc locum habet, cum quis tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi ſeruum ſuum præpoſuerit, & quid cum eo eius rei cauſa, cui Præpoſitus erit, contractũ fuerit. Ideo autem inſtitoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, inſtitores vocantur. Iſtas tamen duas actiones Prętor reddit, & ſi liberum quis hominem, aut alienum ſervum navi, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præpoſuerit: ſcilicet quia eadem æquitatis ratio etiam eo caſu interveniat.

*Nomen. Tunc verò primæ locus eſſe putatur,*
*Cum quis cõſtituat ſervum ratis eſſe magiſtrũ,*
*Et quid erit cũ illo cõtractum propter eã rem,*
*Cui ſit præpoſitus; Verum idcircò iſta vocatur*
*Hac voce; appellatur enim ille exercitor, ad quẽ*
*Aſſiduus navis quæſtus, iam pertinet omnis.*
*At verò cenſetur tunc locum habere ſecunda,*
*Cum quis ſervum cuique rei; vel fortè tabernæ*
*Præponat, cumque illo poſteà propter eam rem,*
*Cui ſit præpoſitus, quicquam contraxerit ullus:*
*Idcircò autem hoc appellatur nomine; namque*
*Dicitur inſtitor ille, præeſt qui rebus agendis.*
*Hæc tamen à Prætore eſt actio reddita duplex,*
*Et ſi quis navi præponat, ſivè tabernæ,*
*Sivè rei cuique ingenuum, ſervumve alienum;*
*Namq; eadem ratio æqui caſu intervenit iſto.*

## §. III.

Introduxit & aliam actionem Prætor, quę tributoria vocatur. Namque ſi ſervus in peculiari merce, ſciente domino, negotietur, & quid cum eo eius rei cauſa contractum erit: ita Prætor ius dicit, ut quicquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, ſi quid ei debebitur, & cæteros creditores, pro rata portione diſtribuatur, & (ideo tributoria vocatur) quia ipſi domino diſtributionem Prætor permittit. Nam ſi quis ex creditoribus quæratur quaſi minus ei tributum ſit, quàm oportuerit, hanc ei actionem adcommodat, quæ tributoria appellatur.

## *§. III.*

*Introducta à Prætore eſt alia actio, iure*
*Quæ fuerat merito tribuendi à voce vocata;*
*Namque in merce peculi geſta negotia ſi ſint*
*A ſervo, Dominusque haud ignoraverit, atque*
*Cum illo propter eam rẽ quid cõtraxerit ullus*
*Sic Prætor dicit ius, ut iam in mercibus iſtis*
*Quidquid erit, fuerit quodcũq; atq; indè receptũ*
*Hoc inter Dominum ſi quid debebitur illi,*
*Atque alios inter credentes diſtribuendum*
*Sit pro parte rata. Idcircò ſic iſta vocatur*
*Actio; namque ipſi Domino à Prætore facultas*
*Eſt data diſtribuendi; etenim ſi creditor ullus*
*Fortè queratur, ei quaſi ſit minus indè tributũ,*
*Quam dare debuerit debens, hæc actio dãda eſt*
*Illi, prædicta fuerat quæ voce vocata.*

## §. IV.

Præterea introducta eſt actio de peculio, deque eo, quod in rem domini verſum erit: ut quamvis ſine volũtate domini negotium geſtum erit, tamen ſive quid in rem eius verſum fuerit, id totum præſtare debeat: ſive quid non ſit in rem eius verſum, id eatenus præſtare debeat, quatenus peculium patitur. In rem autem domini verſum intelligitur, quicquid neceſſario in rem eius impenderit ſervus: veluti ſi mutuatus pecuniã creditoribus eius ſolverit, aut ędificia ruentia fulſerit, aut familiæ frumentum emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliam rem neceſſariam mercatus erit. Itaque ſi ex de-

cem

## *§. IV.*

*Actio præterea fuit introducta peculi, (in rem*
*Atque etiam de illa, Domini, quod verſum erit*
*Vt quamvis fuerint ſine mente negotia geſta*
*Ipſius Domini, tamen eius ſivè quid in rem*
*Sit verſum, totum præſtare id debeat, in rem*
*Eius ſe quid non verſum ſit, eatenus ipſe*
*Præſtare id teneatur, quatenus ipſa peculi (eius*
*Summa feret. Verſum at Domini in rẽ dicitur,*
*In rem quod fuerat ſervum impendiſſe neceſſe:*
*Ut fuerit ſi accepta pecunia mutua ſervo,*
*Et domini ipſius credentibus indè ſoluta,*
*Aut ſervus Domini ædes fulſerit ipſe ruentes,*
*Eius familiæ emerit aut frumenta, vel agrum,*
*Quamlibet aut mercatus erit rem iure, neceſſe*

*Quam*

cem, puta aureis, quos ſervus tuus à Titio mutuo accepit creditori tuo quinque aureos ſolverit, reliquos vero quinque quolibet modo cõſumpſerit:pro quinq; (quidem) in ſolidum damnari debes;pro cæteris vero quinque eatenus,quatenus in peculio ſit.Ex quo ſcilicet apparet, ſi toti decem aurei in rem tuam verſi fuerint,totos decem aureos Titium conſequi poſſe. Licet enim una eſt actio,qua de peculio,deque eo,quod in rem domini verſum ſit,agitur:tamen duas habet condemnationes. Itaque Judex,apud quem de ea actione agitur, ante diſpicere ſolet,an in rem domini verſum ſit: nec aliter ad peculii æſtimationem tranſit, quam aut nihil in rem domini verſum intelligatur, aut non totum. Cum autem quæritur, quantum in peculio ſit: ante deducitur, quicquid ſervus domino,eive,qui in poteſtate eius ſit, debet: & quod ſupereſt, id ſolum peculium intelligitur. Aliquando tamen id, quod ei debet ſervus, qui in poteſtate domini ſit, non deducitur ex peculio: veluti ſi is in ipſius peculio ſit: quod eo pertinet,ut ſi quid vicario ſuo ſervus debeat: id ex peculio eius non deducatur.

*Quam fuerit mercari.Si quì acceperit ergo*
*Bis quinos nummos auri,quos reddere dixit,*
*A Titio ſervus,quinos & ſolverit illi,*
*Cui debet Dominus, quinq; & cõſumpſerit indè*
*Quolibet ipſe modo,Dominus pro quinq;tenetur*
*Damnari inſolidum & debet,ſed eatenus ipſis*
*Pro reliquis,ſit quatenus in ratione peculi.*
*Ex quo apparet,ſi Domini in rẽ verterit omnes*
*Servus eos nummos,totos ſibi quærere poſſe*
*A Domino Titium; Licet actio namque ſit una*
*Deque peculio,eoque, quod in Domini fuerit rẽ*
*Verſũ,ſed duplex tamẽ hac damnatio habetur*
*Ergo Judex,quo coram proponitur iſta*
*Actio,diſpicere ante ſolet,Domini ſit an in rem*
*Cõverſũ,ad preciũ haud alitèr,sũmamq;peculi*
*Tranſit, quam aut cognoſcantur nihil in Domini rem*
*Verſum,aut nõ totũ verſum. Cũ quæritur autẽ*
*Quanta eſt ſumma peculi,illud deducitur ante,*
*Quod ſervus Domino,vel ei,qui in iure ſit eius*
*Debet.Quod ſupereſt,cenſetur ſumma peculi*
*Solùm. Aſt interdũ id quod ſervus debet ei,quẽ*
*Adſtringit plane Domini ſub iure poteſtas,*
*Non deducitur ex ſumma,& ratione peculi*
*Si veluti in ſumma is fuerit fortaſſe peculi*
*Ipſius,quod ſpectat eo,ut ſi debeat ipſe*
*Servus ei,fertur qui iure vicarius, illud*
*Non deducatur de eius ratione peculi.*

§. V.

Cæterum dubium non eſt,quin is quoque qui iuſſu domini contraxerit, cuique inſtitoria vel exercitoria actio competit: de peculio,deque eo,quod in rẽm domini verſum eſt,agere poſſit. Sed erit ſtultiſſimus,ſi omiſſa actione,qua facillimè ſolidum ex contractu conſequi poſſit: ſe ad difficultatem perducat probandi in rem domini verſum eſſe, vel habere ſervum peculium, & tantùm habere,ut ſolidum ſibi ſolvi poſſit. Is quoque, cui tributoria actio competit, æque de peculio, & de in rem verſo agere poteſt. Sed ſanè huic modo tributoria expedit agere, modo de peculio,& de in rem verſo.Tributoria ideo expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non eſt, id eſt, quod domino debetur,non deducitur, ſed eiuſdem iuris eſt dominus cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio ante deducitur quod domino debetur, & in id, quod reli-

quum

§. V.

*De reliquo dubium haud eſt ulli,quin etiam illi,*
*Qui iuſſu Domini contraxet,competit & cui*
*Actio,cui nomen tribuit ſivè inſtitor,ullus*
*Sive exercitor,exemplo ſit danda facultas*
*Deq;peculio agẽdi,& de illo,quod Domini in rẽ*
*Eſt verſum. Sed erit planè ſtultiſſimus ille,*
*Ipſa ab eo fuerit ne quicquam ſi actio miſſa,*
*Qua ſolidũ facile ex cõtractu acquirere poſſit,*
*Seſe ad difficilem perduxerit indè probandi*
*Ipſe modum, verſum in Domini rẽ ſcilicet eſſe,*
*Servũ etiã vel habere peculia,tantũ & habere*
*Vt ſolidum poſſit ſibi perſolvi. Inſuper ille,*
*Cui iam diſtribuens etiam actio competit,æquè*
*Deque peculio agendi iure eſt danda facultas,*
*Deq; in rem verſo. Verùm expedit actio planè*
*Huic modò diſtribuens,nunc actio dicta peculi,*
*Deque in rem verſo. Idcircò verò expedit iſta*
*Actio diſtribuens;Domini conditio namq;(illud,*
*Præcipua haud in ea eſt, nempè haud deducitur*
*Quod Domino debetur. Verùm iuris habetur*

 *Eiuſ-*

quum eſt, creditori dominus condemnatur. Rurſus de peculio ideo expedit agere, quod in hac actione totius peculii ratio habetur: at in tributoria, eius tantùm, quo negotiatur. Et poteſt quiſque tertia fortè parte peculii, aut quarta, vel etiam minima negotiari: maiorem autem partem in prædiis vel mancipiis, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quiſque vel hanc actionem, vel illam eligere debet. Certè qui poteſt probare in rem domini verſum eſſe: de rem in verſo agere debet.

§. VI.

Quæ diximus de ſervo & domino, eadem intelligimus & de filio, & filia, & nepote, & nepte, & patre, avove, cuius in poteſtate ſunt.

§. VII.

Illud propriè ſervatur in eorum perſona, quod Senatuſconſultum Macedonianum prohibuit, mutuas pecunias dare eiis, qui in poteſtate parentis ſunt: & ei qui crediderit, denegatur actio tàm adverſus ipſum filium, filiamve, nepotem, neptemve (ſive adhuc in poteſtate ſint, ſive morte parentis vel emãcipatione ſuæ poteſtatis eſſe cœperint) quã adverſus patrem, avumve: ſive eos habeat adhuc in poteſtare, ſive emancipaverit. Quæ ideo Senatus proſpexit, quia ſæpè onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, vitæ parentum inſidiabantur.

§. VIII.

Illud in ſumma admonẽdi ſumus, id, quod iuſſu patris, dominive contractum fuerit, quodque in rem eius verſum erit: directo quoque poſſe à patre, dominove cõdici, tanquam ſi principaliter cum ipſo negotium geſtum eſſet. Ei quoque, qui exercitoria vel inſtitoria actione tenetur, directo poſſe condici placet: quia huius quoque iuſſu contractum intelligitur.

*Eiuſdem dominus, cuius ſit creditor omnis,*
*Cum verò proponitur actio dicta peculi,*
*Quidquid debetur domino, deducitur ante,*
*In reliquum verò Dominus damnabitur ipſi*
*Credenti. Rurſuſque hec actio dicta peculi*
*Expedit idcircò, quod in hac totius habetur*
*Jam ratio ipſa peculi, ſed tantummodo habetur*
*In tribuente illius, geſta negotia quo ſunt*
*Terna, vel quarta, minima vel parte peculi*
*Forte poteſt etiam gerere ipſa negotia quiſque*
*Prædia mancipia at magnam retinere peculi*
*Partem, aut uſuræ poſſunt. Velut expedit ergo*
*Iſta, vel illa, eſt actio ſic cuicumque legenda.*
*Certe illi, qui in rẽ Domini verſum eſſe probare*
*Jam poterit, de in rẽ verſo actio iure legẽda eſt.*

§. *VI.*

*At quæ de ſervo, & Domino nos diximus ante,*
*De nato, & nata hec eadem dicenda putamus,*
*Deq; nepote, & de nepte, & de Patre, & Avo, ſub*
*Cuius Jure manent patrio neptiſque, nepoſue.*

§. *VII.*

*His in perſonis propriè ſervabitur illud,*
*Quod Macedonianum olim vetuiſſe ſenatus*
*Conſultum planè cõſtat, quemvis dare nũmum*
*Mutuum eis, Patris retinet quos iure poteſtas.*
*Credenti & contrà natum, natamue, nepotem*
*Atque etiam, neptemue negabitur actio cuiuis,*
*Patris adhuc vel eos teneat ſub iure poteſtas,*
*Jure poteſtatis fuerint vel forte ſoluti,*
*Effective ſui iuris ſint morte Parentis;*
*E contrà Patrem, vel Avum, ſe iure poteſtas*
*Patris adhuc adſtringat eos, ſeù iure ſoluti,*
*Hi patrio fuerint. Sed conſultum iſta Senatus*
*Idcircò proſpexit, quod ſæpe ære alieno*
*Preſſi nummorum, quos conſumebat eorum*
*Luxuria, inſontes curabant perdere natos.*

§. *VIII.*

*Illud & in ſumma quicumq; advertere debet,*
*Id, quod contractum fuerit Patris, Dominive*
*Juſſu, quodq; eius ſit verſum in rem, quoq; poſſe*
*Directo à Domino condici, ſive parente,*
*Ut ſi præcipuè eſſent geſta negotia cum ipſo.*
*Illi etiam, contrà quem danda eſt actio nomen*
*Cui dedit inſtitor, aut exercitor ipſe, valere*
*Condici directo, hæc eſt ſententia nobis;*
*Nãq; huius iuſſu contractum etiã eſſe putatur.*

## *De Noxalibus Actionibus.*

## TITVLVS VIII.

EX maleficiis ſervorum:veluti ſi furtum fecerint,aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut iniuriam commiſerint: noxales actiones proditæ ſunt, quibus domino damnato permittitur,aut litis æſtimationem ſufferre, aut ipſum hominem noxæ dedere.

*SErvi ex delicto,ut fuerit ſi facta rapina,*
*Aut furtum,aut damnum, aut commiſſa iniuria ab ipſo*
*Actio noxalis confeſtim eſt prodita,iure*
*Qua domino condemnato permittitur,ipſam*
*Aut litem ſufferre, aut ſervum dedere noxa.*

§. I.

Noxa autem,eſt(ipſum) corpus quod nocuit,id eſt, ſervus: noxia ipſum maleficium, veluti furtum,damnum,rapina, iniuria.

*Quod verò nocuit corpus nos dicimus eſſe*
*Noxã,hoc eſt ſervum,fertur ſed noxia crimen,*
*Ut furtum,damnumve,iniuria, ſivè rapina.*

§. II.

Summa autem ratione permiſſum eſt noxæ deditione fungi.Namque erat iniquum,nequitiam eorum ultrà ipſorum corpora dominis damnoſam eſſe.

*Eſt conceſſa autem ſumma ratione facultas*
*Noxæ deditione utendi,cum eſſet iniquum,*
*A ſervis crimen patratum corpora eorum*
*Ultrà damnoſum dominis inſontibus eſſe.*

§. III.

Dominus noxali iudicio ſervi ſui nomine conventus, ſervum actori noxæ dedendo,liberatur: nec minus in perpetuum eius ſervi dominium à domino transfertur. Sin autem damnum ei,cui deditus eſt,(ſervus)reſarcierit, quæſita pecunia: auxilio Prætoris,invito domino,manumittetur.

*Si ſit iudicio noxali nomine ſervi*
*Convētus Dominus,confeſtim advoluitur ipſe,*
*Actori ſervum noxa dedendo;ſed eius*
*Servi in perpetuum à Domino Dominatio certè*
*Transfertur. Servus ſin damna reſarciat illi*
*Quæſitis nummis,fuerat cui deditus ipſe,*
*Liber erit,Domino invito,Prætore iuvante.*

§ IV.

Sunt autem conſtitutæ noxales actiones aut legibus, aut edicto Prætoris. Legibus, veluti furti ex lege duodecim tabularum, damni,iniuriæ ex lege Aquilia. Edicto Prætoris: veluti iniuriarum, & vi bonorum raptorum.

*Actio ſed fuerat noxalis lege ſtatuta,*
*E dicto iuſſa,aut Prætoris: lege patrati*
*Ut furti ex ſcripta duodenis lege tabellis,*
*Sic quoq; damni, iniuriæ, & actio prodita lege*
*Aquilia:Edicto prætoris,ut actio iuſſa,*
*Eſt cum facta iniuria,ſunt & vi bona rapta.*

§. V.

Omnis autem noxalis actio caput ſequitur. Nam ſi ſervus tuus noxam commiſerit: quandiu in tua poteſtate ſit,tecum eſt actio. Si autem in alterius poteſtatem pervenerit: cum illo incipit actio eſſe. At ſi manumiſſus fuerit: directo ipſe tenetur, & extinguitur noxæ deditio. Ex diverſo quoque directa actio noxalis eſſe incipit.Nam ſi liber homo noxiam commiſerit, & is ſervus tuus eſſe cœperit(quod quibuſdam caſibus effici primo libro tradidimus ) incipit tecum eſſe noxa-

*Noxalis verò ſequitur caput actio quævis,*
*Namq;tuus ſervus crimen ſi fortè patrarit,*
*Donec eum domini ſub iure tenebis, habenda*
*Eſt tecum actio; ſed ſi in ius pervenerit ipſe*
*Alterius cum illo tunc protinus incipit eſſe*
*Actio.Si verò domini ſit iure ſolutus,*
*Directo ipſe tenebitur,extinguetur & omnis*
*Deditia noxæ.Ex diverſa etiam incipit eſſe*
*Noxæ directa actio;nam ſi admiſerit ullum*
*Crimen liber homo,atque is ſervus cœperit eſſe*
*Inde tuus(variis quod poſſe in caſibus eſſe*
*Tradidimus primo in libro)tecum incipit eſſe*
*Actio*

xalis actio, quæ ante directa fuiſſet.

§. VI.

Si ſervus domino noxiam commiſerit, actio nulla naſcitur. Namque inter dominum, & eum, qui in poteſtate eius eſt, nulla obligatio naſci poteſt. Ideoque & ſi in alienam poteſtatem ſervus pervenerit, aut manumiſſus fuerit: neque cum ipſo, neque cum eo, cuius nunc in poteſtate ſit, agi poteſt. Unde ſi alienus ſervus noxiam tibi commiſerit, & is poſtea in poteſtate tua eſſe cœperit, interdicitur actio: quia in eum caſum deducta ſit, in quo conſiſtere non potuit. Ideoque licet exierit de tua poteſtate, agere non potes: quemadmodum ſi dominus in ſervum ſuum aliquid commiſerit, nec ſi manumiſſus aut alienatus fuerit, ſervus ullam actionem contrà dominum habere poteſt.

§. VII.

Sed veteres quidem hoc in filiisfamiliarum maſculis, & fœminis admiſère: nova autem hominum converſatio huiuſmodi aſperitatem rectè reſpuendam eſſe exiſtimavit, & ab uſu communi hoc penitus receſſit. Quis enim patiatur filium ſuum, & maximè filiam, in noxam alii dare: ut penè per (filii) corpus pater magis, quàm filius periclitetur: cum in filiabus etiam pudicitiæ favor hoc bene excludat? Et ideo placuit in ſervos tantummodò naxales actiones eſſe proponẽdas: cum apud veteres legum commentatores invenerimus ſæpius dictum, ipſos filiosfamiliarum pro ſuis delictis poſſe conveniri.

*Actio noxalis, prius hæc directa fuiſſet.*

*§. VI.*

*Si ſervus Domino crimen commiſerit, ulla*
*Actio non oritur; Juris nam vincula nulla*
*Eſſe queũt, dominũ inter, & illum, iure poteſtas*
*Quem domini cobibet, pervenerit ipſe deinde*
*Idcirco ſi in ius alienum, ſivè ſolutus*
*Jure poteſtatis fuerit ſervus, neque cum ipſo,*
*Nec cum illo, cuius Domini nunc iure tenetur,*
*Eſſe poteſt ulla actio. Crimen ſi ergo patrarit*
*Alterius ſervus tibi, & indè inceperit eſſe*
*Ipſe tuo in iure, interdicitur actio; namque eſt*
*Ducta in eum, in quo non potuit conſiſtere, caſũ*
*Hinc licet ipſe tuo de iure exiverit, ulla*
*Actio danda tibi non eſt, ſimili ratione*
*Si in ſeruum Dominus quicquam cõmiſerit, ipſi*
*Servo, nec Domini fuerit ſi ab Jure ſolutus,*
*Aut alienatus, contrà Dominum actio dãda eſt.*

*§. VII.*

*Hoc veteres in natis, ſunt qui in Jure Panctum*
*Admisère. Hominum, at nova converſatio iure*
*Tollẽdum meritò nimis aſperũ id eſſe putavit.*
*Communi idcircò penitus deceſſit ab uſu;*
*Quis patiatur enim, natũ, inprimiſq; creatum*
*Noxam alii dare, per corpus nati ut magis ipſe*
*Nato penè pater doleat, ſubeatque periclum:*
*Cum favor ipſe pudicitiæ hoc excluſerit omni*
*In nata. Id circo, ut placuit, tantummodò debet*
*In ſervos noxalis proponi actio; namque*
*Dictum legis apud veteres invenimus eſſe*
*Commentatores, procedi ex crimine poſſe*
*In natos, retinet patrio quos iure poteſtas.*

## *Si Quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.*

## TITVLVS IX.

ANimalium nomine, quæ ratione carẽt, ſi qua laſcivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint: noxalis actio lege duodecim tabularum prodita eſt. Quæ animalia ſi noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum ſcripta eſt, ut puta, *Si equus calcitroſus*

*calce*

*QVa ratione carent animalia, ſi feritate*
*Qua propria cõmota, libidine, ſivè pavore*
*Pauperiem faciant, ipſorum eſt nomine noxa*
*Actio deſcripta in duodenis lege tabellis*
*Efficiunt, dedantur ſi hæc animalia noxa,*
*Ut reus abſolvatur, nam eſt ita ſcripta tabellis*
*Lex duodenis: Si calcis percuſſerit ictu*

*Cal-*

*calce percuſſerit, aut bos cornu petere ſolitus (cornu)petierit.* Hæc autem actio in his, quæ contra naturam moventur, locum habet. Cæterum ſi genitalis ſit feritas: ceſſat actio. Deniq; ſi urſus fugerit à domino, & ſic nocuerit: non poteſt quondam dominus conveniri: quia deſiit dominus eſſe, ubi fera evaſit. Pauperies autem eſt damnum ſine iniuria facientis datum. Nec enim poteſt animal iniuriam feciſſe dici, quod ſenſu caret. Hæc quidem ad noxalem pertinet actionem.

§. I.

Cæterum ſciendum eſt, ædilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, urſum, leonem ibi habere, qua vulgo iter fiet: & ſi adverſus ea factum erit, & nocitum libero homini eſſe dicatur: quod bonum & æquum iudici videtur, tanti dominus condemnetur: cæterarum (vero) rerum, quanti damnum datum ſit, dupli. Præter has autem ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, una aliam conſumit.

*Calcitroſus equus cornuve petiverit, ipſo*
*Bos cornu ſolitus petere. Hęc datur actio in illis*
*Quæ contrà naturã animalia fortè moventur.*
*Sin genitalis erit feritas, tunc actio ceſſat.*
*A domino dirus ſi denique fugerit urſus,*
*Fecerit & dãnum, in dominũ datur actio nulla*
*Deſiit eſſe etenim dominus, cum evaſerit ipſa*
*Bellua. Pauperies ſed damnum fortè tributum*
*Abſque iniuria erit facientis; namque poteſt nèc*
*Dici iniuria ab ipſo animali facta carente*
*Diſcurſu. Hæc circà verſabitur actio noxæ.*

§. I.

*De reliqua attentè quicumque advertere debet*
*Nos Ædilitio Edicto prohiberi aprum habere,*
*Atque canem, verremque, urſum fortemq; leonẽ*
*Illic, quà ſit iter vulgò, & ſi contrà ea iuſſa*
*Sit factũ; nocitumq; homini ingenuo eſſe feratur*
*Quidquid Judicibus iuſtumq; bonumq, videtur,*
*Damnetur tanti dominus; rerum aſt aliarum,*
*Quanti ſit latum damnum, dupli. Actio præter*
*Has Ædilitias de pauperie, & locum habebit.*
*Quandoquidem pænalis præſertim actio, ſi unũ*
*Cum multis aliis de re concurrat eadem,*
*Una aliam numquam planè conſumere fertur.*

## *De iis, per quos agere poſſumus.*

## TITVLVS X.

NUnc admonendi ſumus, agere poſſe quemlibet hominem, aut ſuo nomine, aut alieno. Alieno: veluti Procuratorio, tutorio, curatorio, cum olim in uſu fuiſſet, alterius nomine agere non poſſe, niſi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hoſtilia permiſſum erat furti agere eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reipublicæ cauſa abeſſent, quive in eorum cuius tutela eſſent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neq; excipere actionem licebat: cœperunt homines per Procuratores litigare. Nam & morbus, & ætas, & neceſſaria peregrinatio, itemque aliæ multæ cauſæ ſæpè hominibus impedimento ſunt,

quo

*NUnc animo attento quicumque adverte-*
*re debet,*
*Quemque agere aut proprio, aut alieno nomine*
*Procurator, agunt alieno nomine, tutor, (poſſe*
*Curator, veteri cum ex more fuiſſet in uſu*
*Quondam, nõ agere ullum alieno nomine poſſe,*
*Ni actor pro populo, aut pro libertate fuiſſet.*
*Aut pro tutela. Permiſerat inſuper olim*
*Lex Hoſtilia furti agi eorum nomine, qui eſſent*
*Aut apud hoſtes, aut cauſa pro publica abeſſent,*
*Illorum vel agi puerorum nomine, quorum*
*Tutor quod diros hoſtes, vel publica abeſſet*
*Cauſa. Sed quoniam hoc minima haud incom-*
*moda habebat:*
*Actio namque alieno haud nomine iure licebat,*
*Atque exceptio. Cœperunt contendere lite*
*Per procuratorem homines; namq; impedit ætas*
*Non nullos peregrinari eſt aliiſque neceſſe,*
*Et cauſæ impediunt alios quoque, quò minus ipſi*

Cer-

quò minus rem ſuam ipſi exequi poſſint.

§. I.

Procurator neque certis verbis, neque præſente (ſemper) adverſario, imò plerumq; eo ignorante conſtituitur. Cuicunque enim permiſeris rem tuam agere, aut defendere, is tuus Procurator intelligitur.

§. II.

Tutores & curatores quemadmodum conſtituantur, primo libro expoſitum eſt.

*Certent rẽque ſibi propriam conquirere poſſint.*

*§. I.*

*Nèc procurator certis eſt conſtituendus*
*Verbis, nèc præſens etiam adverſarius eſſe*
*Semper debet, quin plerumque eſt inſcius ipſe;*
*Nã cuicumque tuã rẽ agere, aut defendere poſſe*
*Permittes, procurator cenſebitur ille.*

*§. II.*

*Quà ratione autem tutores conſtituantur.*
*Et curatores fusè nos diximus antè.*

## *De Satiſdationibus.*

## TITVLVS XI.

SAtiſdationum modus alius antiquitati placuit, alium novitas per uſum amplexa eſt. Olim enim ſi in rem agebatur, ſatiſdare poſſeſſor compellebatur: ut ſi victus (eſſet,) nec rem ipſam reſtitueret, nec litis æſtimationem: poteſtas eſſet petitori, aut cum eo agendi, aut cum fideiuſſoribus eius: quæ ſatiſdatio appellatur (*iudicatum ſolvi*.) Unde autem ſic appellatur, facilè eſt intelligere. Namque ſtipulabatur quis, ut ſolveretur ſibi, quod fuiſſet iudicatum. Multo magis is, qui in rem actione conveniebatur, ſatiſdare cogebatur, ſi alieno nomine iudicium accipiebat. Ipſe autem, qui in rem agebat, ſi ſuo nomine petebat, ſatiſdare non cogebatur. Procurator verò ſi in rem agebat: ſatiſdare iubebatur, rem ratam dominum habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores (vero) & curatores eodem modo, quo & Procuratores ſatiſdare debere, verba edicti faciebant: ſed aliquando his agentibus ſatiſdatio remittebatur. Hæc ita (erant,) ſi in rem agebatur.

*JAmq; alius placuit modus ante ſatiſdationũ,*
*Atq; modũ novitas aliũ eſt amplexa per uſũ*
*Actio namq; in rẽ ſi erat, ipſe ſatiſdare quõdam*
*Poſſeſſor compellebatur, ut indè fuiſſet*
*Si victus, nec rem, pretium nec redderet ipſum*
*Lite ſtatutum, eumue fideiuſſoribus eius*
*Aut cum illo eſſet agendi actori dãda facultas.*
*Iſta ſatiſdatio appellatur iure ſtatutum* Judicatum ſolvi
*Solvi. Jam verò facile eſt cognoſcere quare*
*Sic dicta eſt, nam quis ſtipulabatur ſibi ſolvi,*
*Judicibus iuſtis eſſet quod iure ſtatutum.*
*Maiori is planè ratione ſatiſdare cogi*
*Debebat, contrà quem in rẽ prædicta dabatur*
*Actio, iudicium ſi alieno nomine fortè*
*Acciperet. Verùm in rẽ quicumq; actor agebat,*
*Nomine ſi peteret proprio, ipſe ſatiſdare iure*
*Non cogebatur. Sin procurator agebat*
*In rem, iure ſatiſdabat ipſe ratã eſse habiturũ*
*Rẽ dominũ, poterat nã aliquod tũc eſse periclũ,*
*Nè dominus de re litem renovaret eadem.*
*Edicti verò ut Prætoris verba iubebant,*
*Tutor, curator ratione ſatiſdare eadem,*
*Qua procurator debebat; agentibus autem*
*His ſolita iſta ſatiſdatio eſt plerumque remitti.*
*Actio ſi in rem eſset, fuerant ſic iſta ſtatuta.*

§. I.

Si verò in perſonam: ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur: ab eius vero parte, cum quo agitur, ſiquidem alieno nomine aliquis interveniret, omnimodo ſatiſdaret: quia nemo defenſor in aliena re ſine ſatiſdatione idoneus eſſe creditur. Quod ſi pro-

prio

*§. I.*

*Si verò in perſonam: planè actoris habebat*
*Parte eadem, quæ diximus, actio tradita nobis*
*In rem cum fuerit iàm suprà, parte ſed eius*
*Cũ quo agitur, ſi quidẽ ex alieno nomine quiſ-*
*Intervenisſet, ratione ſatiſdaret omni; (quam*
*Nullus enim alterius cum rem defenderit, ipſa*
*Abſque ſatiſdatione putatur idoneus eſse.*

*Quod*

prio nomine aliquis iudicium accipiebat in perſonam, *indicatum ſolvi*, ſatiſdare non cogebatur.

§. II.

Sed hodie hæc aliter obſervantur. Sive enim quis in rem actione convenitur, ſive perſonalis, ſuo nomine: nullam ſatiſdationem pro litis æſtimatione dare compellitur: ſed pro ſua tantùm perſona, quod in iudicio permaneat uſque ad terminum litis, vel committitur ſuæ promiſſioni cum iureiurando (quàm iuratoriam cautionem vocant) vel nudam promiſſionem, vel ſatiſdationem pro qualitate perſonæ ſuæ dare compellitur.

§. III.

Sin autem per Procuratorem lis vel infertur, vel ſuſcipitur: in actoris quidem perſona, ſi non mandatum actis inſinuatum eſt, vel præſens dominus litis in iudicio Procuratoris ſui perſonam confirmaverit, ratam rem dominum habiturum ſatiſdationem Procurator dare compellitur: eodem obſervando, & ſi tutor, vel curator, vel aliæ tales perſonæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibuſdam per alium inferunt.

§. IV.

Si verò aliquis convenitur: ſi quidem præſens Procuratorem dare paratus eſt: poteſt vel ipſe in iudicium venire, & ſui Procuratoris perſonam per *iudicatum ſolvi* ſatiſdationem ſolemni ſtipulatione firmare, vel extra iudicium ſatiſdationem exponere, per quàm ipſe ſui Procuratoris fideiuſſor exiſtat pro omnibus *iudicatum ſolvi*, ſatiſdationis clauſulis: ubi & de hypotheca ſuarum rerum convenire compellitur: ſive in iudicio promiſerit, ſiue extra iudicium caverit, ut tàm ipſe, quàm hæredes eius obligentur. Alia inſuper cautela, vel ſatiſdatione propter perſonam ipſius exponenda, quod tempore ſententiæ recitandæ in iudicium veniet: vel ſi non venerit, omnia dabit fideiuſſor, quæ in condemnatione continetur, niſi fuerit provocatum.

§. V.

Si verò reus præſto ex quacunque cauſa

*Quod ſi Judicium accipiebat nomine fortè*
*Quis proprio in perſonam, iure ſatiſdare nullo*
*Cogebatur ſolvi, quod foret indè ſtatutum.*

§. *II.*

*Sed nunc hæc aliter ſervantur; nam actio ſivè*
*In rem contrà aliquē proprio ſit nomine mota,*
*Sivè in perſonam, certè non danda coactè*
*Ulla ſatiſdatio eſt pro illo, quod lite ſtatutum*
*Judicibus ſit; tantum eſt ipſe ſatiſdare debet*
*Actor pro propria perſona, in Judicio quod*
*Permaneat, donec liti finiſque, moduſque*
*Sit poſitus. ſpondenti ſeù committitur ipſi*
*Cum iuramento (hæc promiſſio cautio fertur,*
*Juratoria), ſeù fiet promiſſio nuda,*
*Pro merito perſonæ, ſivè ſatiſdare debet.*

§. *III.*

*Sin per procuratorem lis, ſivè movetur,*
*Suſcipiturve, in perſona actoris niſi planè*
*Inſinuatum actis mandatum eſt, ſivè probarit*
*Procuratoris perſonam in iudicio ipſo (biturum*
*Litis iàm dominus præſens. Dominum rem ha-*
*Eſſe ratam, confeſtim iure ſatiſdare debet*
*Procurator. Nos eadem ſervanda putamus,*
*Si tutor, curatorve, aut quæ aliena gubernant,*
*Perſonæ lites aliis inferre per illum*
*Dicuntur, procurator qui dicitur eſſe.*

§. *IV.*

*Si verò eſt aliquis conventus, & ipſe paratus*
*Præſens procuratores dare, ſivè venire*
*Ipſe poteſt in Judicium, ſolemnitèr atque*
*Is ſtipulans perſonas confirmare ſuorum*
*Procuratorum indè ſatiſdatione ſtatutum*
*Solvi, ſivè ſatiſdationem exponere debet*
*Extra iudicium, per quam tum exiſtere poſſit*
*Ipse fideiuſſor procuratoris, in omni*
*Clauſula, ut ipſo iure ſatiſdationis habetur,*
*Solvi iudicibus fuerit quod lite ſtatutum,*
*Dèque ſuarum hypotheca ubi convenire coactus*
*Eſt rerum, aut in iudicio promiſerit ipſe,*
*Caverit extrà aut iudiciū, ut tàm iure ligetur*
*Ipſe, eiuſquàm hæredes. Inſuper altera iure*
*Debet ſivè ſatiſdatio, ſeù cautio propter*
*Perſonam ipſius exponi, quòd tempore porrò,*
*Quo recitari debebit ſententia lata*
*Judicium adveniet reus; aut niſi venerit, ipſe*
*Cuncta fideiuſſor tribuet, quæ continet indè*
*Condemnatio, ni fortè appellatio fiat.*

§. *V.*

*Si verò præſto ex quavis cauſa reus ipſe*

ritum fuerit, commiſſa tripli condemnatione(ſicuti ſupra diximus),puniatur.

*Cõtrà quem ſit plus quæſitum,ut diximus ante.*

§. XXXIV.

Si minus in intentione ſua complexus fuerit actor,quam ad eum pertineat : veluti ſi cum ei decem(aurei)deberentur, quinque ſibi dari oportere intenderit:aut(ſi)cum totus fundus eius eſſet, partem dimidiã ſuam eſſe petierit: ſine periculo agit, in reliquum enim nihilominus Judex adverſarium in eodem iudicio(ei) condemuat, ex conſtitutione divæ memoriæ Zenonis.

§. *XXXIV.*

*Si minus actor eo intendat,quã ſpectet ad ipsũ,*
*Bis quinos deberentur cum ſcilicet ipſi*
*Aureos,quinque ſibi dandos intenderet,aut ſi*
*Ipſius totus fundus cum fertilis eſſet,*
*Dimidia ipſe ſuam partẽ tantum eſſe repoſcat,*
*Hic ſecurus erit, nullum patiturque periclum;*
*Nam in reliquũ Judex debentem damnat eodẽ*
*Judicio,Divi ut Zenonis lege ſtatutum eſt.*

§. XXXV.

*Si* quis aliud pro alio intẽderit:nihil eum periclitari placet,ſed in eodem iudicio, cognita veritate, errorem ſuum corrigere (ei) permittitur:veluti ſi is,qui hominem Stichũ petere deberet, Erotem petierit : aut ſi quis ex teſtamento dari ſibi oportere intenderit,quod ex ſtipulatu debetur.

§. *XXXV.*

*At vero ſi aliud pro alio quis forte reſpoſcat*
*Nullum ipſi dãnum fuerit, nullumq; perielum,*
*Vt placuit nobis, ſed cum agnitus error eodem*
*Judicio fuerit,verax & cognita cauſa,*
*Eſt illi emendandi errorem danda facultas,*
*Si veluti is, qui hominẽ deberet poſcere Stichũ,*
*Erotem poſcat,ſive ex teſtamine dandum*
*Poſcat,quodcũq;ex ſtipulatu ſpectat ad ipſum.*

§. XXXVI.

Sunt præterea quædam actiones, quibus non(ſemper)ſolidum, quod nobis debetur, perſequimur: ſed modò ſolidum perſequimur, modò minus: ut ecce, ſi in peculium filii, ſervive agamus. Nam ſi non minus in peculio ſit, quem perſequimur, in ſolidum dominus,paterve condemnatur : ſi verò minus inveniatur : eatenus condemnat Judex, quatenus in peculio ſit. Quemandmodum autem peculium intelligi debeat,ſuo ordine proponemus.

§. *XXXVI.*

*Eſt etiã actio,qua sẽper non proſequimur,quod*
*Nobis debetur ſolidum,at nunc poſcimus illud,*
*Nunc minus,ut ſi iam proponitur actio nobis*
*In nati,ſervive pecunia;namque minus vi*
*Ipſa peculia contineant,quàm poſcimus ipſi,*
*Inſolidum condemnatur,Dominuſue, Paterve:*
*Sin minus, hos Judex condemnat eatenus ipſe,*
*Quatenus iſta peculia ſervant.Noſcere verò*
*Qua ratione etiam præfata peculia poſſit*
*Quiſque,ſuo ordine nobis propouetur ab ipſis.*

§. XXXVII.

Item ſi de dote (in)Judicio mulier agat: placet eatenus maritum condemnari debere, quatenus facere poſſit, id eſt, quatenus facultates eius patiuntur. Itaque ſi dotis quantitati concurrant facultates eius,in ſolidum damnatur:ſi minus, in tantùm, quantum facere poteſt. Propter retentionem quoque dotis repetio minuitur. Nam ob impẽſas in res dotales factas, marito(quaſi) retentio conceſſa eſt: quia ipſo iure neceſſariis ſumptibus dos minuitur, ſicut ex latioribus Digeſtorum libris cognoſceret licet.

§. *XXXVII.*

*Si de dote ſua egerit uxor,eatenus ipſo*
*Judicio placuit,condemnandum eſſe maritum,*
*Quatenus is poſſit facere, hoc eſt quatenus eius*
*Jure facultates patiuntur.Si illius ergo*
*Sint bona ſolvendæ doti,damnabitur ipſe*
*Inſolidum;poterit ſed ſi minus ipſe maritus,*
*In tantùm,quãtùm poterit damnabitur idem.*
*Cum retinetur dos,paritèr repetitio dotis*
*Eſt etiam minuenda; etenim in dotalia proptèr*
*Impenſas factas quaſi certa retentio dotis*
*Eſt conceſſa viro,quia iure à ſumptibus ipſo*
*Diminuetur,quos fuit effeciſſe neceſſe,*
*Ex Digeſtis ut poterit cognoſcere quiſquam.*

§. XXXIII.

Sed & ſi quis cum parente ſuo,patronove agat:Item ſi ſocius cum ſocio,iudicio ſocietatis agat:non plus actor conſequitur,quam quis

§. *XXXVIII.*

*Verum ſi quis agat cum Patronove,Parente,*
*Atque etiam ſocius ſi cum ſocio egerit ipſo,*
*Judicio,quod progignit ſociatio,non plus*
*Actor*

adverſarius eius facere poteſt. Idem eſt ſi quis ex donatione ſua conveniatur.

*Actor conſequitur, facere adverſarius eius*
*Quam poterit. Quod idem eſt ſi ex dono conveniatur.*

§. XXXIX.

Compenſationes quoque oppoſitæ, plerumque efficiunt, ut minus quiſque conſequatur, quàm ei debeatur. Nam ex bono & æquo habita ratione eius, quod invicem actorem ex eadem cauſa præſtare oportet, in reliquum eum, cum quo actum eſt (condemnat,) ſicut iam dictum eſt.

§. *XXXIX.*

*Oppoſita efficiet quoque compenſatio ſæpè,*
*Vt quivis minus obtineat, quā ſpectet ad ipsū;*
*Nam ratione habita illius ex æquoque, bonoq;*
*Actor quod præſtare viciſſim debet eadem*
*Ex cauſa, condemnat eum, cum quo fuit actum,*
*In reliquum, ſicut ſuprà iam diximus ipſi.*

§. XL.

Cum eo quoque, qui creditoribus ſuis bonis ceſſit, ſi poſtea aliquid acquiſierit: quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere poteſt, creditores experiuntur: inhumanum enim erat, ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari.

§. *XL.*

*Cum illo etiam, ceſſiſſe bonis qui dicitur olli,*
*Qui ſibi res credit, ſi aliquid quæſiverit indè,*
*Emolumētum planè aptū quod habere putetur,*
*Creditor ex integro, iam experiendus in illud,*
*Quod poterit facere, eſſe etenim cenſetur iniquū*
*Inſolidum damnari fortunis ſpoliatum.*

## *Quod cum eo, qui in aliena poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicitur.*

## TITVLVS VII.

QVia (tamen) ſuperius mentionem habuimus de actione, qua in peculium filiorum familiarum, ſervorumque agitur: opus eſt, ut de hac actione, & de cæteris, quæ eorundem nomine in parentes, dominosve dari ſolent, diligentius admoneamus. Et quia ſive cum ſervis negotium geſtum ſit, ſive cum his, qui in poteſtate parentum ſunt, eadem ferè iura ſervantur: ne verboſa fiat diſputatio, dirigamus ſermonem in perſonam, ſervi, dominique, idem intellecturi de liberis quoque, & parentibus, quorum in poteſtate sūt. Nam ſi quid in his propriè ſervetur, ſeparatim oſtendimus.

*SEd quoniam ſuprà à nobis eſt mentio facta,*
*Qua poſci planè ratione peculia debent*
*Et nati, & ſervi, tradenda hæc actio nobis*
*Eſt accuratè, atque aliæ, quæ nomine dantur*
*Ipſorū, ſæpè ut ſolet in Dominū, inve Parētem,*
*Et quià ſeù fuerint plerumque negotia geſta*
*Cum ſervis, ſeù cū his, patrio qui iure tenentur,*
*Iura eadem ſervantur; diſceptatio fiat*
*Ne verboſa, & de ſervo, Dominoq; loquamur,*
*Intellecturi de nato id idem, atque Parente*
*Cuius iure manet; nam ſi ſervatur in iſtis*
*Quid proprie, ſeiunctim quiſq; docebitur infrà.*

§. I.

Si igitur iuſſu domini cum ſervo negotium geſtum erit: in ſolidum Prætor adverſus dominum actionem pollicetur: ſcilicet quia is, qui ita contrahit, fidem domini ſequi videtur.

§. *I.*

*Iuſſu igitur Domini ſi forte negotia geſta*
*Cum ſervo fuerint, Dominū datur actio contra*
*In ſolidum à Prætore; etenim qui cōtrahit, ipſo*
*Iure fidem Domini cenſebitur eſſe ſequutus.*

§. II.

Eadem ratione Prætor duas alias in ſolidum actiones pollicetur: quarum altera exercitoria, altera inſtitoria appellatur.

§. *II.*

*Duplex inſolidum promittitur actio eodem* Exercitoria.
*A Prætore modo, de queis exercitor uni*
*Attribuit nomen, dedit alteri at inſtitor ipſum* Inſtitoria.

Exercitoria' tunc habet locum, cum quis ſeruum ſuum magiſtrum navi præpoſuerit, & quid cum eo eius rei gratia, cui Præpoſitus erit, contractum fuerit, ideo autem exercitoria vocatur, quia exercitor is appellatur, ad quem quotidianus navis quæſtus pertinet. Inſtitoria tunc locum habet, cum quis tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi ſeruum ſuum præpoſuerit, & quid cum eo eius rei cauſa, cui Præpoſitus erit, contractũ fuerit. Ideo autem inſtitoria appellatur, quia qui negotiationibus præponuntur, inſtitores vocantur. Iſtas tamen duas actiones Prętor reddit, & ſi liberum quis hominem, aut alienum ſervum navi, aut tabernæ, aut cuilibet negotiationi præpoſuerit: ſcilicet quia eadem æquitatis ratio etiam eo caſu interveniat.

*Nomen. Tunc verò primæ locus eſſe putatur,*
*Cum quis cõſtituat ſervum ratis eſſe magiſtrũ,*
*Et quid erit cũ illo cõtractum propter eã rem,*
*Cui ſit præpoſitus; Verum idcircò iſta vocotur*
*Hac voce; appellatur enim ille exercitor, ad quẽ*
*Aſſiduus navis quæſtus, iam pertinet omnis.*
*At verò cenſetur tunc locum habere ſecunda,*
*Cum quis ſervum cuique rei; vel fortè tabernæ*
*Præponat, cumque illo poſteà propter eam rem,*
*Cui ſit præpoſitus, quicquam contraxerit ullus:*
*Idcircò autem hoc appellatur nomine; namque*
*Dicitur inſtitor ille, præeſt qui rebus agendis.*
*Hæc tamen à Prætore eſt actio reddita duplex,*
*Et ſi quis navi præponat, ſivè tabernæ,*
*Sivè rei cuique ingenuum, ſervumve alienum;*
*Namq; eadem ratio æqui caſu intervenit iſto.*

## §. III.

Introduxit & aliam actionem Prætor, quę tributoria vocatur. Namque ſi ſervus in peculiari merce, ſciente domino, negotietur, & quid cum eo eius rei cauſa contractum erit: ita Prætor ius dicit, ut quicquid in his mercibus erit, quodque inde receptum erit, id inter dominum, ſi quid ei debebitur, & cæteros creditores, pro rata portione diſtribuatur, & (ideo tributoria vocatur) quia ipſi domino diſtributionem Prætor permittit. Nam ſi quis ex creditoribus quæratur quaſi minus ei tributum ſit, quàm oportuerit, hanc ei actionem adcommodat, quæ tributoria appellatur.

## *§. III.*

*Introducta à Prætore eſt alia actio, iure*
*Quæ fuerat meritò tribuendi à voce vocata;*
*Namque in merce peculi geſta negotia ſi ſint* Tributari
*A ſervo, Dominusque haud ignoraverit, atque*
*Cum illo propter eam rẽ quid cõtraxerit ullus*
*Sic Prætor dicit ius, ut iam in mercibus iſtis*
*Quidquid erit, fuerit quodcũq; atq; indè receptũ*
*Hoc inter Dominum ſi quid debebitur illi,*
*Atque alios inter credentes diſtribuendum*
*Sit pro parte rata. Idcircò ſic iſta vocatur*
*Actio; namque ipſi Domino à Prætore facultas*
*Eſt data diſtribuendi; etenim ſi creditor ullus*
*Fortè queratur, ei quaſi ſit minus indè tributũ,*
*Quam dare debuerit debens, hæc actio dãda eſt*
*Illi, prædicta fuerat quæ voce vocata.*

## §. IV.

Præterea introducta eſt actio de peculio; deque eo, quod in rem domini verſum erit: ut quamvis ſine volũtate domini negotium geſtum erit, tamen ſive quid in rem eius verſum fuerit, id totum præſtare debeat: ſive quid non ſit in rem eius verſum, id eatenus præſtare debeat, quatenus peculium patitur. In rem autem domini verſum intelligitur, quicquid neceſſario in rem eius impenderit ſervus: veluti ſi mutuatus pecuniã creditoribus eius ſolverit, aut ędificia ruentia fulſerit, aut familiæ frumentum emerit, vel etiam fundum, aut quamlibet aliam rem neceſſariam mercatus erit. Itaque ſi ex decem

## *§. IV.*

*Actio prætereà fuit introducta peculi, (in rem*
*Atque etiam de illa, Domini, quod verſum erit*
*Vt quamvis fuerint ſine mente negotia geſta*
*Ipſius Domini, tamen eius ſivè quid in rem*
*Sit verſum, totum præſtare id debeat, in rem*
*Eius ſe quid non verſum ſit, eatenus ipſe*
*Præſtare id teneatur, quatenus ipſa peculi (eius*
*Summa feret. Verſum at Domini in rẽ dicitur,*
*In rem quod fuerat ſervum impendiſſe neceſſe:*
*Ut fuerit ſi accepta pecunia mutua ſervo,*
*Et domini ipſius credentibus indè ſoluta,*
*Aut ſervus Domini ædes fulſerit ipſe ruentes,*
*Eius familiæ emerit aut frumenta, vel agrum,*
*Quamlibet aut mercatus erit rem iure, neceſſe*

*Quam*

Digitized by Google

cem, puta aureis, quos ſervus tuus à Titio mutuo accepit creditori tuo quinque aureos ſolverit, reliquos vero quinque quolibet modo cōſumpſerit: pro quinq; (quidem) in ſolidum damnari debes; pro cæteris vero quinque eatenus, quatenus in peculio ſit. Ex quo ſcilicet apparet, ſi toti decem aurei in rem ruam verſi fuerint, totos decem aureos Titium conſequi poſſe. Licet enim una eſt actio, qua de peculio, deque eo, quod in rem domini verſum ſit, agitur: tamen duas habet condemnationes. Itaque Judex, apud quem de ea actione agitur, ante diſpicere ſolet, an in rem domini verſum ſit: nec aliter ad peculii æſtimationem tranſit, quam aut nihil in rem domini verſum intelligatur, aut non totum. Cum autem quæritur, quantum in peculio ſit: ante deducitur, quicquid ſervus domino, eive, qui in poteſtate eius ſit, debet: & quod ſupereſt, id ſolum peculium intelligitur. Aliquando tamen id, quod ei debet ſervus, qui in poteſtate domini ſit, non deducitur ex peculio: veluti ſi is in ipſius peculio ſit: quod eo pertinet, ut ſi quid vicario ſuo ſervus debeat: id ex peculio eius non deducatur.

*Quam fuerit mercari. Si quì acceperit ergo*
*Bis quinos nummos auri, quos reddere dixit,*
*A Titio ſervus, quinos & ſolverit illi,*
*Cui debet Dominus, quinq; & cōſumpſerit indè*
*Quolibet ipſe modo, Dominus pro quinq; tenetur*
*Damnari inſolidum & debet, ſed eatenus ipſis*
*Pro reliquis, ſit quatenus in ratione peculi.*
*Ex quo apparet, ſi Domini in rē verterit omnes*
*Servus eos nummos, totos ſibi quærere poſſe*
*A Domino Titium; Licet actio namque ſit una*
*Deque peculio, eoque, quod in Domini fuerit rē*
*Verſū, ſed duplex tamē hac damnatio habetur*
*Ergo Judex, quo coram proponitur iſta*
*Actio, diſpicere ante ſolet, Domini ſit an in rem*
*Cōverſū, ad preciū haud alitèr, ſūmamq; peculi*
*Tranſit, quam aut cognoſcantur nihil in Domini rem*
*Verſum, aut nō totū verſum. Cū quæritur autē*
*Quanta eſt ſumma peculi, illud deducitur ante,*
*Quod ſervus Domino, vel ei, qui in iure ſit eius*
*Debet. Quod ſupereſt, cenſetur ſumma peculi*
*Solùm. Aſt interdū id quod ſervus debet ei, quē*
*Adſtringit plane Domini ſub iure poteſtas,*
*Non deducitur ex ſumma, & ratione peculi*
*Si veluti in ſumma is fuerit fortaſſe peculi*
*Ipſius, quod ſpectat eo, ut ſi debeat ipſe*
*Servus ei, fertur qui iure vicarius, illud*
*Non deducatur de eius ratione peculi.*

## §. V.

Cæterum dubium non eſt, quin is quoque qui iuſſu domini contraxerit, cuique inſtitoria vel exercitoria actio competit: de peculio, deque eo, quod in rem domini verſum eſt, agere poſſit. Sed erit ſtultiſſimus, ſi omiſſa actione, qua facillimè ſolidum ex contractu conſequi poſſit: ſe ad difficultatem perducat probandi in rem domini verſum eſſe, vel habere ſervum peculium, & tantùm habere, ut ſolidum ſibi ſolvi poſſit. Is quoque, cui tributoria actio competit, æque de peculio, & de in rem verſo agere poteſt. Sed ſanè huic modo tributoria expedit agere, modo de peculio, & de in rem verſo. Tributoria ideo expedit agere, quia in ea domini conditio præcipua non eſt, id eſt, quod domino debetur, non deducitur, ſed eiuſdem iuris eſt dominus cuius & cæteri creditores. At in actione de peculio ante deducitur quod domino debetur, & in id, quod reliquum

## *§. V.*

*De reliquo dubium haud eſt ulli, quin etiam illi,*
*Qui iuſſu Domini contraxet, competit & cui*
*Actio, cui nomen tribuit ſivè inſtitor, ullus*
*Sive exercitor, exemplo ſit danda facultas*
*Deq; peculio agēdi, & de illo, quod Domini in rē*
*Eſt verſum. Sed erit planè ſtultiſſimus ille,*
*Ipſa ab eo fuerit ne quicquam ſi actio miſſa,*
*Qua ſolidū facile ex cōtractu acquirere poſſit,*
*Se ſe ad difficilem perduxerit indè probandi*
*Ipſe modum, verſum in Domini rē ſcilicet eſſe,*
*Servū etiā vel habere peculia, tantū & habere*
*Vt ſolidum poſſit ſibi perſolvi. Inſuper ille,*
*Cui iam diſtribuens etiam actio competit, æquè*
*Deque peculio agendi iure eſt danda facultas,*
*Deq; in rem verſa. Verùm expedit actio planè*
*Huic modò diſtribuens, nunc actio dicta peculi,*
*Deque in rem verſo. Idcircò verò expedit iſta*
*Actio diſtribuens; Domini conditio namq; (illud,*
*Præcipua haud in ea eſt, nempè haud deducitur*
*Quod Domino debetur. Verùm iuris habetur*

 Eiuſ-

quum eſt, creditori dominus condemnatur. Rurſus de peculio ideo expedit agere, quod in hac actione totius peculii ratio habetur: at in tributoria, eius tantùm, quo negotiatur. Et poteſt quiſque tertia foriè parte peculii, aut quarta, vel etiam minima negotiari: maiorem autem partem in prædiis vel mancipiis, aut fœnebri pecunia habere. Prout ergo expedit, ita quiſque vel hanc actionem, vel illam eligere debet. Certè qui poteſt probare in rem domini verſum eſſe: de rem in verſo agere debet.

*Eiuſdem dominus, cuius ſit creditor omnis,*
*Cum verò proponitur actio dicta peculi,*
*Quidquid debetur domino, deducitur ante,*
*In reliquum verò Dominus damnabitur ipſi*
*Credenti. Rurſuſque hec actio dicta peculi*
*Expedit idcircò, quod in hac totius habetur*
*Jam ratio ipſa peculi, ſed tantummodo habetur*
*In tribuente illius, geſta negotia quo ſunt*
*Terna, vel quarta, minima vel parte peculi*
*Forte poteſt etiam gerere ipſa negotia quiſque*
*Prædia mancipia at magnam retinere peculi*
*Partem, aut uſura poſſunt. Velut expedit ergo*
*Iſta, vel illa, eſt actio ſic cuicumque legenda.*
*Certe illi, qui in rē Domini verſum eſſe probare*
*Jam poterit, de in rē verſo actio iure legēda eſt.*

## §. VI.

Quæ diximus de ſervo & domino, eadem intelligimus & de filio, & filia, & nepote, & nepte, & patre, avove, cuius in poteſtate ſunt.

*At quæ de ſervo, & Domino nos diximus ante,*
*De nato, & nata hæc eadem dicenda putamus,*
*Deq; nepote, & de nepte, & de Patre, & Avo, ſub*
*Cuius Jure manent patrio neptiſque, nepoſue.*

## §. VII.

Illud propriè ſervatur in eorum perſona, quod Senatuſconſultum Macedonianum prohibuit, mutuas pecunias dare eiis, qui in poteſtate parentis ſunt: & ei qui crediderit, denegatur actio tàm adverſus ipſum filium, filiamve, nepotem, neptemve (ſive adhuc in poteſtate ſint, ſive morte parentis vel emãcipatione ſuæ poteſtatis eſſe cœperint) quã adverſus patrem, avumve: ſive eos habeat adhuc in poteſtate, ſive emancipaverit. Quæ ideo Senatus proſpexit, quia ſæpè onerati ære alieno creditarum pecuniarum, quas in luxuriam conſumebant, vitæ parentum inſidiabantur.

*His in perſonis propriè ſervabitur illud,*
*Quod Macedonianum olim vetuiſſe ſenatus*
*Conſultum planè cõſtat, quemvis dare nũmum*
*Mutuum eis, Patris retinet quos iure poteſtas.*
*Credenti & contrà natum, natamve, nepotem*
*Atque etiam, neptemve negabitur actio quçuis,*
*Patris adhuc vel eos teneat ſub iure poteſtas,*
*Jure poteſtatis fuerint vel forte ſoluti,*
*Effective ſui iuris ſint morte Parentis;*
*E contrà Patrem, vel Avum, ſe iure poteſtas*
*Patris adhuc adſtringat eos, ſeù iure ſoluti,*
*Hi patrio fuerint. Sed conſultum iſta Senatus*
*Idcircò proſpexit, quod ſæpe ære alieno*
*Preſſi nummorum, quos conſumebat eorum*
*Luxuria, inſontes curabant perdere natos.*

## §. VIII.

Illud in ſumma admonēdi ſumus, id, quod iuſſu patris, dominive contractum fuerit, quodque in rem eius verſum erit: directo quoque poſſe à patre, dominove cõdici, tanquam ſi principaliter cum ipſo negotium geſtum eſſet. Ei quoque, qui exercitoria vel inſtitoria actione tenetur, directo poſſe condici placet: quia huius quoque iuſſu contractum intelligitur.

*Illud & in ſumma quicumq; advertere debet,*
*Id, quod contractum fuerit Patris, Dominive*
*Juſſu, quodq; eius ſit verſum in rem, quoq; poſſe*
*Directo à Domino condici, ſive parente,*
*Ut ſi præcipuè eſſent geſta negotia cum ipſo.*
*Illi etiam, contrà quem danda eſt actio nomen*
*Cui dedit inſtitor, aut exercitor ipſe, valere*
*Condici directo, hæc eſt ſententia nobis;*
*Nãq; huius iuſſu contractum etiã eſſe putatur.*

## *De Noxalibus Actionibus.*

## TITVLVS VIII.

EX maleficiis ſervorum:veluti ſi furtum fecerint,aut bona rapuerint , aut damnum dederint , aut iniuriam commiſerint: noxales actiones proditæ ſunt , quibus domino damnato permittitur,aut litis æſtimationem ſufferre , aut ipſum hominem noxæ dedere.

§. I.

Noxa autem,eſt(ipſum) corpus quod nocuit,id eſt, ſervus: noxia ipſum maleficium, veluti furtum,damnum,rapina, iniuria.

§. II.

Summa autem ratione permiſſum eſt noxæ deditione fungi.Namque erat iniquum,nequitiam eorum ultrà ipſorum corpora dominis damnoſam eſſe.

§. III.

Dominus noxali iudicio ſervi ſui nomine conventus, ſervum actori noxæ dedendo,liberatur: nec minus in perpetuum eius ſervi dominium à domino transfertur. Sin autem damnum ei,cui deditus èſt,(ſervus)reſarcierit, quæſita pecunia: auxilio Prætoris,invito domino,manumittetur.

§ IV.

Sunt autem conſtitutæ noxales actiones aut legibus , aut edicto Prætoris . Legibus, veluti furti ex lege duodecim tabularum , damni,iniuriæ ex lege Aquilia. Edicto Prætoris: veluti iniuriarum , & vi bonorum raptorum.

§. V.

Omnis autem noxalis actio caput ſequitur. Nam ſi ſervus tuus noxam commiſerit : quandiu in tua poteſtate ſit,tecum eſt actio. Si autem in alterius poteſtatem pervenerit: cum illo incipit actio eſſe . At ſi manumiſſus fuerit: directo ipſe tenetur , & extinguitur noxæ deditio . Ex diverſo quoque directa actio noxalis eſſe incipit.Nam ſi liber homo noxiam commiſerit , & is ſervus tuus eſſe cœperit(quod quibuſdam caſibus effici primo libro tradidimus ) incipit tecum eſſe no-

xa-

*SErvi ex delicto,ut fuerit ſi facta rapina,*
*Aut furtum,aut damnum, aut commiſſa iniuria ab ipſo*
*Actio noxalis confeſtim eſt prodita,iure*
*Qua domino condemnato permittitur,ipſam*
*Aut litem ſufferre, aut ſervum dedere noxæ.*

§. *I.*

*Quod verò nocuit corpus nos dicimus eſſe*
*Noxã,hoc eſt ſervum,fertur ſed noxia crimen,*
*Ut furtum,damnumve,iniuria, ſivè rapina.*

§. *II.*

*Eſt conceſſa autem ſumma ratione facultas*
*Noxæ deditione utendi,cum eſſet iniquum ,*
*A ſervis crimen patratum corpora eorum*
*Ultrà damnoſum dominis inſontibus eſſe.*

§. *III.*

*Si ſit iudicio noxali nomine ſervi*
*Convẽtus Dominus,confeſtim advoluitur ipſe;*
*Actori ſervum noxæ dedendo;ſed eius*
*Servi in perpetuum à Domino Dominatio certè*
*Transfertur. Servus ſin damna reſarciat illi*
*Quæſitis nummis,fuerat cui deditus ipſe,*
*Liber erit,Domino invito,Pratore ivvante.*

§. *IV.*

*Actio ſed fuerat noxalis lege ſtatuta,*
*E dicto iuſſa,aut Prætoris: lege patrati*
*Ut furti ex ſcripta duodenis lege tabellis,*
*Sic quoq; damni, iniuriæ, & actio prodita lege*
*Aquilia:Edicto prætoris,ut actio iuſſa,*
*Eſt cum facta iniuria,ſunt & vi bona rapta.*

§. *V.*

*Noxalis verò ſequitur caput actio quævis,*
*Namq;tuus ſervus crimen ſi fortè patrarit,*
*Donec eum domini ſub iure tenebis, habenda*
*Eſt tecum actio;ſed ſi in ius pervenerit ipſe*
*Alterius cum illo tunc protinus incipit eſſe*
*Actio.Si verò domini ſit iure ſolutus,*
*Directo ipſe tenebitur,extinguetur & omnis*
*Deditio noxæ.Ex diverſo etiam incipit eſſe*
*Noxæ directa actio;nam ſi admiſerit ullum*
*Crimen liber homo,atque is ſervus cœperit eſſe*
*Inde tuus(variis quod poſſe in caſibus eſſe*
*Tradidimus primo in libro)tecum incipit eſſe*
*Actio*

xalis actio, quæ ante directa fuiſſet.

§. VI.

Si ſervus domino noxiam commiſerit, actio nulla naſcitur. Namque inter dominum, & eum, qui in poteſtate eius eſt, nulla obligatio naſci poteſt. Ideoque & ſi in alienam poteſtatem ſervus pervenerit, aut manumiſſus fuerit: neque cum ipſo, neque cum eo, cuius nunc in poteſtate ſit, agi poteſt. Unde ſi alienus ſervus noxiam tibi commiſerit, & is poſtea in poteſtate tua eſſe cœperit, interdicitur actio: quia in eum caſum deducta ſit, in quo conſiſtere non potuit. Ideoque licet exierit de tua poteſtate, agere non potes: quemadmodum ſi dominus in ſervum ſuum aliquid commiſerit, nec ſi manumiſſus aut alienatus fuerit, ſervus ullam actionem contrà dominum habere poteſt.

§. VII.

Sed veteres quidem hoc in filiisfamiliarum maſculis, & fœminis admisère: nova autem hominum converſatio huiuſmodi aſperitatem rectè reſpuendam eſſe exiſtimavit, & ab uſu communi hoc penitus receſſit. Quis enim patiatur filium ſuum, & maximè filiam, in noxam alii dare: ut penè per (filii) corpus pater magis, quàm filius periclitetur: cum in filiabus etiam pudicitiæ favor hoc bene excludat? Et ideo placuit in ſervos tantummodò naxales actiones eſſe proponẽdas: cum apud veteres legum commentatores invenerimus ſæpius dictum, ipſos filiosfamiliarum pro ſuis delictis poſſe conveniri.

*Actio noxalis, prius hæc directa fuiſſet.*

§. *VI.*

*Si ſervus Domino crimen commiſerit, ulla*
*Actio non oritur; Juris nam vincula nulla*
*Eſſe queũt, dominũ inter, & illum, iure poteſtas*
*Quem domini cohibet, pervenerit ipſe deinde*
*Idcirco ſi in ius alienum; ſivè ſolutus*
*Jure poteſtatis fuerit ſervus, neque cum ipſo,*
*Nec cum illo, cuius Domini nunc iure tenetur,*
*Eſſe poteſt ulla actio. Crimen ſi ergo patrarit*
*Alterius ſervus tibi, & indè inceperit eſſe*
*Ipſe tuo in iure, interdicitur actio, namque eſt*
*Ducta in eum, in quo non potuit conſiſtere, caſũ*
*Hinc licet ipſe tuo de iure exiverit, ulla*
*Actio danda tibi non eſt, ſimili ratione*
*Si in ſeruum Dominus quicquam cõmiſerit, ipſi*
*Servo, nec Domini fuerit ſi ab Jure ſolutus,*
*Aut alienatus, contrà Dominum actio dãda eſt.*

§. *VII.*

*Hoc veteres in natis, ſunt qui in Jure Panctum*
*Admisère. Hominum, at nova converſatio iure*
*Tollẽdum meritò nimis aſperũ id eſſe putavit.*
*Communi idcircò penitus deceſſit ab uſu;*
*Quis patiatur enim, natũ, in primiſq; creatum*
*Noxam alii dare, per corpus nati ut magis ipſe*
*Nato penè pater doleat, ſubeatque periclum:*
*Cum favor ipſe pudicitiæ hoc excluſerit omni*
*In nata. Id circo, ut placuit, tantummodò debet*
*In ſervos noxalis proponi actio; namque*
*Dictum legis apud veteres invenimus eſſe*
*Commentatores, procedi ex crimine poſſe*
*In natos, retinet patrio quos iure poteſtas.*

## *Si Quadrupes pauperiem feciſſe dicatur.*

## TITVLVS IX.

Animalium nomine, quæ ratione carẽt, ſi qua laſcivia, aut pavore, aut feritate pauperiem fecerint: noxalis actio lege duodecim tabularum prodita eſt. Quæ animalia ſi noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem: quia ita lex duodecim tabularum ſcripta eſt, ut puta, *Si equus calcitroſus*

*calce*

*QVæ ratione carent animalia, ſi feritate*
*Qua propria cõmota, libidine, ſivè pavore*
*Pauperiem faciant, ipſorum eſt nomine noxæ*
*Actio deſcripta in duodenis lege tabellis*
*Efficiunt, dedantur ſi hæc animalia noxæ,*
*Ut reus abſolvatur, nam eſt ita ſcripta tabellis*
*Lex duodenis: Si calcis percuſſerit ictu*

*Cal-*

*calce percuſſerit*, *aut bos cornu petere ſolitus (cornu)petierit*. Hæc autem actio in his, quæ contra naturam moventur, locum habet. Cæterum ſi genitalis ſit feritas: ceſſat actio. Deniq; ſi urſus fugerit à domino, & ſic nocuerit: non poteſt quondam dominus conveniri: quia deſiit dominus eſſe, ubi fera evaſit. Pauperies autem eſt damnum ſine iniuria facientis datum. Nec enim poteſt animal iniuriam feciſſe dici, quod ſenſu caret. Hæc quidem ad noxalem pertinet actionem.

*Calcitroſus equus cornuve petiverit, ipſo*<br>
*Bos cornu ſolitus petere. Hęc datur actio in illis*<br>
*Quæ contrà naturã animalia fortè moventur.*<br>
*Sin genitalis erit feritas, tunc actio ceſſat.*<br>
*A domino dirus ſi denique fugerit urſus,*<br>
*Fecerit & dãnum, in dominũ datur actio nulla*<br>
*Deſiit eſſe etenim dominus, cum evaſerit ipſa*<br>
*Bellua. Pauperies ſed damnum fortè tributum*<br>
*Abſque iniuria erit facientis; namque poteſt nèc*<br>
*Dici iniuria ab ipſo animali facta carente*<br>
*Diſcurſu. Hæc circà verſabitur actio noxæ.*

§. I.

Cæterum ſciendum eſt, ædilitio edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, urſum, leonem ibi habere, qua vulgo iter fiet: & ſi adverſus ea factum erit, & nocitum libero homini eſſe dicatur: quod bonum & æquum iudici videtur, tanti dominus condemnetur: cæterarum (vero) rerum, quanti damnum datum ſit, dupli. Præter has autem ædilitias actiones, & de pauperie locum habebit. Nunquam enim actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, una aliam conſumit.

§. *I.*

*De reliqua attentè quicumque advertere debet*<br>
*Nos Ædilitio Edicto prohiberi aprum habere,*<br>
*Atque canem, verremque, urſum fortemq; leonẽ*<br>
*Illic, quà ſit iter vulgò, & ſi contrà ea iuſſa*<br>
*Sit factũ; nocitumq; homini ingenuo eſſe feratur*<br>
*Quidquid Judicibus iuſtumq; bonumq; videtur,*<br>
*Damnetur tanti dominus; rerum aſt aliarum,*<br>
*Quanti ſit latum damnum, dupli. Actio præter*<br>
*Has Ædilitias de pauperie, & locum habebit.*<br>
*Quandoquidem pœnalis præſertim actio, ſi unũ*<br>
*Cum multis aliis de re concurrat eadem,*<br>
*Una aliam numquam planè conſumere fertur.*

## *De iis, per quos agere poſſumus.*

## TITVLVS X.

NUne admonendi ſumus, agere poſſe quemlibet hominem, aut ſuo nomine, aut alieno. Alieno: veluti Procuratorio, tutorio, curatorio, cum olim in uſu fuiſſet, alterius nomine agere non poſſe, niſi pro populo, pro libertate, pro tutela. Præterea lege Hoſtilia permiſſum erat furti agere eorum nomine, qui apud hoſtes eſſent, aut Reipublicæ cauſa abeſſent, quive in eorum cuius tutela eſſent. Sed quia hoc non minimam incommoditatem habebat, quod alieno nomine, neque agere, neq; excipere actionem licebat: cœperunt homines per Procuratores litigare. Nam & morbus, & ætas, & neceſſaria peregrinatio, itemque aliæ multæ cauſæ ſæpè hominibus impedimento ſunt,

quo

NUnc *animo attento quicumque adverte-*<br>
*re debet,*<br>
*Quemque agere aut proprio, aut alieno nomine (poſſe*<br>
*Procurator, agunt alieno nomine, tutor,*<br>
*Curator, veteri cum ex more fuiſſet in uſu*<br>
*Quondam, nõ agere ullum alieno nomine poſſe,*<br>
*Ni actor pro populo, aut pro libertate fuiſſet.*<br>
*Aut pro tutela. Permiſerat inſuper olim*<br>
*Lex Hoſtilia furti agi eorum nomine, qui eſſent*<br>
*Aut apud hoſtes, aut cauſa pro publica abeſſent,*<br>
*Illorum vel agi puerorum nomine, quorum*<br>
*Tutor quod diros hoſtes, vel publica abeſſet*<br>
*Cauſa. Sed quoniam hoc minima haud incom-*<br>
*moda habebat:*<br>
*Actio namque alieno haud nomine iure licebat,*<br>
*Atque exceptio. Cœperunt contendere lite*<br>
*Per procuratorem homines; namq; impedit ætas*<br>
*Non nullos peregrinari eſt aliiſque neceſſe,*<br>
*Et cauſæ impediunt alios quoque, quò minus ipſi*

Cer-

quò minus rem ſuam ipſi exequi poſſint.

*Certent rẽque ſibi propriam conquirere poſſint.*

§. I.

Procurator neque certis verbis, neque præſente (ſemper) adverſario, imò plerumq; eo ignorante conſtituitur. Cuicunque enim permiſeris rem tuam agere, aut defendere, is tuus Procurator intelligitur.

§. I.

*Nèc procurator certis eſt conſtituendus*
*Verbis, nèc præſens etiam adverſarius eſſe*
*Semper debet, quin plerumque eſt inſcius ipſe;*
*Nã cuicumque tuã rẽ agere, aut defendere poſſe*
*Permittes, procurator cenſebitur ille.*

§. II.

Tutores & curatores quemadmodum conſtituantur, primo libro expoſitum eſt.

§. II.

*Quà ratione autem tutores conſtituantur.*
*Et curatores fusè nos diximus antè.*

## *De Satiſdationibus-*

## TITVLVS XI.

Satiſdationum modus alius antiquitati placuit, alium novitas per uſum amplexa eſt. Olim enim ſi in rem agebatur, ſatiſdare poſſeſſor compellebatur: ut ſi victus (eſſet,) nec rem ipſam reſtitueret, nec litis æſtimationem: poteſtas eſſet petitori, aut cum eo agendi, aut cum fideiuſſoribus eius: quæ ſatiſdatio appellatur (*iudicatum ſolvi*.) Unde autem ſic appellatur, facilè eſt intelligere. Namque ſtipulabatur quis, ut ſolveretur ſibi, quod fuiſſet iudicatum. Multo magis is, qui in rem actione conveniebatur, ſatiſdare cogebatur, ſi alieno nomine iudicium accipiebat. Ipſe autem, qui in rem agebat, ſi ſuo nomine petebat, ſatiſdare non cogebatur. Procurator verò ſi in rem agebat: ſatiſdare iubebatur, rem ratam dominum habiturum. Periculum enim erat, ne iterum dominus de eadem re experiretur. Tutores (vero) & curatores eodem modo, quo & Procuratores ſatiſdare debere, verba edicti faciebant: ſed aliquando his agentibus ſatiſdatio remittebatur. Hæc ita (erant,) ſi in rem agebatur.

*Jamq; alius placuit modus ante ſatiſdationũ,*
*Atq; modũ novitas aliũ eſt amplexa per uſũ*
*Actio namq; in rẽ ſi erat, ipſe ſatiſdare quõdam*
*Poſſeſſor compellebatur, ut indè fuiſſet*
*Si victus, nec rem, pretium nec redderet ipſum*
*Lite ſtatutum, eumue fideiuſſoribus eius*
*Aut cum illo eſſet agendi actori dãda facultas.*
*Iſta ſatiſdatio appellatur iure ſtatutum* Iudicatum ſolvi
*Solvi. Jam verò facile eſt cognoſcere quare*
*Sic dicta eſt, nam quis ſtipulabatur ſibi ſolvi,*
*Judicibus iuſtis eſſet quod iure ſtatutum.*
*Maiori is planè ratione ſatiſdare cogi*
*Debebat, contrà quem in rẽ prædicta dabatur*
*Actio, iudicium ſi alieno nomine fortè*
*Acciperet. Verùm in rẽ quicumq; actor agebat,*
*Nomine ſi peteret proprio, ipſe ſatiſdare iure*
*Non cogebatur. Sin procurator agebat*
*In rem, iure ſatiſdabat ipſe ratã eſſe habiturũ*
*Rẽ dominũ, poterat nã aliquod tũc eſſe periclũ,*
*Nè dominus de re litem renovaret eadem.*
*Edicti verò ut Prætoris verba iubebant,*
*Tutor, curator ratione ſatiſdare eadem,*
*Qua procurator debebat; agentibus autem*
*His ſolita iſta ſatiſdatio eſt plerumque remitti.*
*Actio ſi in rem eſſet. ſuerant ſic iſta ſtatuta.*

§. I.

Si verò in perſonam: ab actoris quidem parte eadem obtinebant, quæ diximus in actione, qua in rem agitur: ab eius vero parte, cum quo agitur, ſiquidem alieno nomine aliquis interveniret, omnimodo ſatiſdaret: quia nemo defenſor in aliena re ſine ſatiſdatione idoneus eſſe creditur. Quod ſi pro-

prio

§. I.

*Si verò in perſonam: planè actoris habebat*
*Parte eadem, quæ diximus, actio tradita nobis*
*In rem cum fuerit iàm ſuprà, parte ſed eius*
*Cũ quo agitur, ſi quidẽ ex alieno nomine quiſ-*
*Interveniſſet, ratione ſatiſdaret omni; (quam*
*Nullus enim alterius cum rem defenderit, ipſa*
*Abſque ſatiſdatione putatur idoneus eſſe.*

*Quod*

prio nomine aliquis iudicium accipiebat in perſonam, *iudicatum ſolvi*, ſatiſdare non cogebatur.

*Quod ſi Judicium accipiebat nomine fortè*
*Quis proprio in perſonam, iure ſatiſdare nullo*
*Cogebatur ſolvi, quod foret indè ſtatutum.*

§. II.

Sed hodie hæc aliter obſervantur. Sive enim quis in rem actione convenitur, ſive perſonalis, ſuo nomine: nullam ſatiſdationem pro litis æſtimatione dare compellitur: ſed pro ſua tantùm perſona, quod in iudicio permaneat uſque ad terminum litis, vel committitur ſuæ promiſſioni cum iureiurando (quàm iuratoriam cautionem vocant) vel nudam promiſſionem, vel ſatiſdationem pro qualitate perſonæ ſuæ dare compellitur.

§. *II.*

*Sed nunc hæc aliter ſervantur; nam actio ſivè*
*In rem contrà aliquē proprio ſit nomine mota,*
*Sivè in perſonam, certè non danda coactè*
*Ulla ſatiſdatio eſt pro illo, quod lite ſtatutum*
*Judicibus ſit; tantum eſt ipſe ſatiſdare debet*
*Actor pro propria perſona, in Judicio quod*
*Permaneat, donec liti finiſque, moduſque*
*Sit poſitus. ſpondenti ſeù committitur ipſi*
*Cum iuramento (hæc promiſſio cautio fertur,*
*Juratoria) ſeù fiet promiſſio nuda,*
*Pro merito perſonæ, ſivè ſatiſdare debet.*

§. III.

Sin autem per Procuratorem lis vel infertur, vel ſuſcipitur: in actoris quidem perſona, ſi non mandatum actis inſinuatum eſt, vel præſens dominus litis in iudicio Procuratoris ſui perſonam confirmaverit, ratam rem dominum habiturum ſatiſdationem Procurator dare compellitur: eodem obſervando, & ſi tutor, vel curator, vel aliæ tales perſonæ, quæ alienarum rerum gubernationem receperunt, litem quibuſdam per alium inferunt.

§. *III.*

*Sin per procuratorem lis, ſivè movetur,*
*Suſcipiturve, in perſona actoris niſi planè*
*Inſinuatum actis mandatum eſt, ſivè probarit*
*Procuratoris perſonam in iudicio ipſo (biturum*
*Litis iàm dominus præſens. Dominum rem ha-*
*Eſſe ratam, confeſtim iure ſatiſdare debet*
*Procurator. Nos eadem ſervanda putamus,*
*Si tutor, curatorve, aut quæ aliena gubernant,*
*Perſonæ lites aliis inferre per illum*
*Dicuntur, procurator qui dicitur eſſe.*

§. IV.

Si verò aliquis convenitur: ſi quidem præſens Procuratorem dare paratus eſt: poteſt vel ipſe in iudicium venire, & ſui Procuratoris perſonam per *iudicatum ſolvi* ſatiſdationem ſolemni ſtipulatione firmare, vel extra iudicium ſatiſdationem exponere, per quàm ipſe ſui Procuratoris fideiuſſor exiſtat pro omnibus *iudicatum ſolvi*, ſatiſdationis clauſulis: ubi & de hypotheca ſuarum rerum convenire compellitur: ſive in iudicio promiſerit, ſive extra iudicium caverit, ut tàm ipſe, quàm hæredes eius obligentur. Alia inſuper cautela, vel ſatiſdatione propter perſonam ipſius exponenda, quod tempore ſententiæ recitandæ in iudicium veniet: vel ſi non venerit, omnia dabit fideiuſſor, quæ in condemnatione continetur, niſi fuerit provocatum.

§. *IV.*

*Si verò eſt aliquis conventus, & ipſe paratus*
*Præſens procuratores dare, ſivè venire*
*Ipſe poteſt in Judicium, ſolemnitèr atque*
*Is ſtipulans perſonas confirmare ſuorum*
*Procuratorum indè ſatiſdatione ſtatutum*
*Solvi, ſivè ſatiſdationem exponere debet*
*Extra iudicium, per quam tum exiſtere poſſit*
*Ipse fideiuſſor procuratoris, in omni*
*Clauſula, ut ipſo iure ſatiſdationis habetur,*
*Solvi iudicibus fuerit quod lite ſtatutum,*
*Dèque ſuarum hypotheca ubi convenire coactus*
*Eſt rerum, aut in iudicio promiſerit ipſe,*
*Caverit extrà aut iudiciū, ut tàm iure ligetur*
*Ipſe, eiuſquàm hæredes. Inſuper altera iure*
*Debet ſivè ſatiſdatio, ſeù cautio propter*
*Perſonam ipſius exponi, quòd tempore porrò,*
*Quo recitari debebit ſententia lata*
*Judicium adveniet reus; aut niſi venerit, ipſe*
*Cuncta fideiuſſor tribuet, quæ continet indè*
*Condemnatio, ni fortè appellatio fiat.*

§. V.

Si verò reus præſto ex quacunque cauſa non

§. *V.*

*Si verò præſto ex quavis cauſa reus ipſe*

C c *Non*

non fuerit, & alius velit defenſionem eius ſubire: nulla differẽtia inter actiones in rem vel perſonales introducenda, poteſt hoc facere: ita tamen, ut ſatiſdationem, *iudicatum ſolvi*, pro litis æſtimatione præſtet. Nemo enim ſecũdùm veterem regulam (ut iam dictum eſt) alienæ rei ſine ſatiſdatione defenſor idoneus intelligitur.

*Non fuerit, velit atq; ipſum defendere quiſquã,*
*Nullum diſcrimen, quod perſonalis habebit*
*Actio, & in rẽ, quit facere hoc, ut non teneatur*
*Is præſtare ſatiſdationem, ſolvere quidquid*
*Judicibus fuerit iuſtis in lite ſtatutum;* (iuris,
*Quandoquidem, ut vetus edocuit iàm regula*
*Et dictum eſt ſuprà, abſq; ſatiſdatione putatur*
*Nemo rei alterius defenſor idoneus eſſe.*

§. VI.

Quæ omnia apertiùs, & perfectius à quotidiano iudiciorum uſu in ipſis rerum documentis apparent.

§. *VI.*

*Hæc oſtendit apertiùs, & perfectiùs ipſe*
*Creber iudiciorum uſus, documentaque rerum.*

§. VII.

Quam formam non ſolùm in hac regia urbe, ſed (etiam) in omnibus noſtris Provinciis (etſi propter imperitiam fortè aliter celebratur) obtinere cenſemus: quum neceſſe ſit, omnes Provincias, caput omnium noſtrarum civitatum, ideſt, hanc regiam urbem, eiuſque obſervantiam ſequi.

§. *VII.*

*Hanc verò formã non ſolùm hac regia in urbe,*
*Verum etiam imperii cunctis in partibus (& ſi*
*Cum ignoretur fortè aliter celebratur) haberi*
*Cenſemus: Cunctas partes eſt namque neceſſe*
*Sectari caput orbis, noſtram ſcilicet urbem,*
*Et ſervari ea, quæ dicta ſervantur in urbe.*

## *De Perpetuis, & temporalibus actionibus, & quæ ad hæredes, & in hæredes tranſeunt.*

## TITVLVS XII.

HOc loco admonẽdi ſumus, eas quidem actiones, quæ ex lege, ſenatuſve conſulto, ſive ex ſacris conſtitutionibus proficiſcuntur, perpetuo ſolere antiquitus competere: donec ſacræ conſtitutiones, tàm in rem, quàm in perſonam actionibus certos fines dederunt: eas verò, quæ ex propria Prætoris iuriſdictione pendent, plerùmque intra annum vivere: nam & ipſius Prætoris intra annum erat imperium. Aliquando tamen, & in perpetuum extenduntur, ideſt, uſque ad finem ex conſtitutionibus introductum: quales ſunt eæ, quas bonorum poſſeſſori, cæteriſque qui hæredis loco ſunt, adcommodat. Furti quoque manifeſti actio, quamvis ex ipſius Prætoris iuriſdictione proficiſcatur: tamen perpetuo datur: abſurdum enim eſſe exiſtimavit, anno eam terminari.

*ACtio quæcumque ut quiſque hic advertere debet,*
*Quæ ex lege exoritur, conſulto ſivè Senatus,*
*Sacro ſivè ſtatuto, antiquo more ſolebat*
*Vivere perpetuò, donèc per Sacra ſtatuta*
*Tàm in rẽ, quàm in perſonam certos actio fines*
*Obtinuit. Verùm quam iuriſdictio iuſſit*
*Prætoris, tantùm intrà annũ datur actio ſæpè;*
*Imperium fuerat Prætoris, namque per annum*
*Aſt in perpetuum nõnumquam extenditur ipſa,*
*Scilicet uſque ad finem inductum iure ſtatuto,*
*Actio qualis ea eſt, quam accomodat ipſe bonorũ*
*Poſſeſſori, aliiſque, loco qui hæredis habentur;*
*Perpetuoque datur manifeſti etiam actio furti,*
*Quamvis hæc fuerit dicto à Prætore profecta;*
*Illam etenim finiri anno abſurdũ eſſe putavit.*

§. I.

Non autem omnes actiones: quæ in aliquem aut ipſo iure competunt, aut à Prætore dantur: & in hæredem æquè competunt,

aut

§. *I.*

*Non omnis verò actio, quæ ſeù competit ipſo*
*Jure aliquem contrà, ſivè à prætore profecta*
*Eſt iuſto, contrà hæredem iam competit æquè,*

*Sivè*

aut dari ſolent. Eſt enim certiſſima iuris regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem(rei)non competere, (veluti)furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, damni, iniuriæ. Sed hæredibus huiuſmodi actiones cōpetunt, nec denegantur, excepta iniuriarum actione, & ſi qua alia ſimilis inveniatur. Aliquando tamen etiam ex contractu actio cōtra hæredem non competit: veluti cum teſtator doloſè verſatus ſit, & ad hæredem eius nihil ex eo dolo pervenit. Pœnales autem actiones, quas ſupra diximus, ſi ab ipſis principalibus perſonis fuerint conteſtatæ, & hæredibus dantur, & contra hæredes tranſeunt.

*Sivè dari ſolet. Eſt etenim ut certiſſima iuris*
*Regula, pœnalis non competit actio propter*
*Crimen in hæredem ſontis, velut actio furti,*
*Atque rapinæ, damni, iniuriæ, at actio quævis*
*Harum competit hæredi, nec iure negatur:*
*Excipitur verò à nobis tantùm actio, ſi qua* Iniuriarum.
*Et ſimilis ſit ſæpè etiam; tamèn actio contrà*
*Hæredē ex contractu haud competit, ipſe doloſè*
*Ut cum teſtator verſatus ſit, nihil illo*
*Et dolo ad hæredem pervenerit. Actio verò*
*Tradita pœnalis, ſi conteſtata ſit ante,*
*Et datur hæredi, atque hæredem tranſit in ipſū.*

§. II.

Supereſt, ut admoneamus, quod ſi ante rem iudicatam is, cum quo actum eſt, ſatiſfaciat actori: officio iudicis convenit eum abſolvere, licet in ea cauſa fuiſſet iudicii accipiendi tēpore, ut damnari deberet: & hoc eſt, quod antea vulgo dicebatur, omnia iudicia abſolutoria eſſe.

§. *II.*

*Reſtat, ut advertat quivis, quod ſi ante ſtatutā*
*Judicio rem, is cum quo actum penitus ſit, agēti*
*Fortè ſatisfaciat, iam abſolvere cōvenit ipſum*
*Judicis officio, licet ipſe fuiſſet in illa*
*Cauſa iudicii accipiendi, tempore certo*
*Damnari ut deberet: & hoc eſt quod referebant*
*Vulgò, iudicium quodcumque abſolvere poſſe.*

## *De Exceptionibus.*

## TITVLVS XIII.

SEquitur, ut de exceptionibus diſpiciamus. Comparatæ autem ſunt exceptiones defendendorum eorum gratia, cum quibus agitur. Sæpè enim accidit, ut licet ipſa perſecutio, qua actor experitur, iuſta ſit: tamen iniqua ſit adverſus eum, cum quo agitur.

*DIſpicienda eſt nūc exceptio; at iſta paratā*
*Eſt ut defēdatur is, in quē eſt actio mota;*
*Sæpe etenim accidit, ut licet actio, qua utitur actor,*
*Juſta ſit, at contrà illum, cum quò agitur ſit iniqua.*

§. I.

Verbi gratia, ſi metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapſus, ſtipulanti Titio promiſiſti, quod non debueras (promittere:) palam eſt, iure civili te obligatum eſſe, & actio, qua intenditur dare te oportere, efficax eſt: ſed iniquum eſt, te cōdemnari. Ideoque datur tibi exceptio, quod metus cauſa, aut doli mali, aut in factum, compoſita ad impugnandam actionem.

§. *I.*

*Lapſus nempè errore, metu ſeu forte coactus,*
*Ullo ſive dolo inductus Titio ſtipulanti*
*Tu promiſiſti, quod iam promittere nullo*
*Debueras pacto, certum eſt te iure teneri*
*Civili; & valet actio, qua contenditur indè,*
*Te dare debere. Eſt autem ſententia iniqua.*
*Quæ condemnabit te, idcircò exceptio danda*
*Eſt tibi, quodue metus cauſa, in factūve, dolive*
*Pravi compoſita, impugnetur ut actio talis.*

§. II.

Idem iuris eſt, ſi quis(quaſi)credendi cauſa pecuniam à te ſtipulatus fuerit, neque nume-

§. *II.*

*Juris idem planè eſt, à te ſi quis ſtipulatus*
*Sit quaſi credendi cauſa nummos, neque verè*

meraverit. Nam eam pecuniam à te petere poſſe eum certum eſt: dare enim te oportet: quum ex ſtipulatione tenearis. Sed quia iniquum eſt, eo nomine te condemnari: placet exceptione pecuniç non numeratç te defendi debere: cuius tempora nos (ſecundùm quod iam ſuperioribus libris ſcriptum eſt) conſtitutione noſtra coarctavimus.

§. III.

Præterea debitor ſi pactus fuerit cum creditore, ne à ſe pecunia peteretur, nihilominus obligatus manet: quia pacto convento obligationes non omnino diſſoluuntur: qua de cauſa efficax eſt adverſus eum actio, quã actor intendit, *Si apparet eum dare oportere*. Sed quia iniquum eſt, cõtra pactionem eum condemnari: defenditur per exceptionem pacti conventi.

§. IV.

Æquè ſi debitor, creditore deferente, iuraverit, nihil ſe dare oportere: adhuc obligatus permanet. Sed quia iniquum eſt de periurio querí, defenditur per exceptionem iuriſiurandi. In iis quoque actionibus, quibus in rem agitur, æquè neceſſariæ ſunt exceptiones, veluti, ſi petitore deferente, poſſeſſor iuraverit eam rem ſuam eſſe, & nihilominus petitor eandem rem vindicet: licet enim verum ſit, quod intendit, ideſt, rem eius eſſe: iniquum tamen eſt poſſeſſorem condemnari.

§. V.

Item ſi in iudicio tecum actum fuerit, ſive in rem, ſive in perſonam: nihilominus obligatio durat: & ideo ipſo iure de eadem re poſtea adverſus te agi poteſt, ſed debes per exceptionem rei iudicatæ adiuvari.

§. VI.

Hæc exempli cauſa retutuliſſe ſufficiat. Alioqui quàm ex multis variiſque cauſis exceptiones neceſſariç ſint: ex latioribus Digeſtorum, ſeu Pandectarum libris intelligi poteſt.

§. VII.

Quarum quædam ex legibus, vel ex iis, quæ legis vocem obtinent, vel ex ipſius Prçtoris iuriſdictione ſubſtantiam capiunt.

§. VIII.

Appellantur autem exceptiones aliç perpetuæ, & peremptoriæ, aliæ temporales, & dilatoriæ.

Per-

*Connumeravit eos, nam ipſum à te poſcere poſſe*
*Illos eſt certum nummos, quoniam ipſe teneris,*
*Cum ſtipulatus eris. Quia vero nomine dicto*
*Te condemnari omnino cenſetur iniquum,*
*Ut placuit, te ideò debet defendere nummi*
*Non numerati exceptio, cuius tempora iuxta*
*Illud, quod noſtris deſcripſimus ante libellis,*
*Ædita quæ fuerat, reſtrinxit ſanctio noſtra.*

§. *III.*

*Præterea fuerit pactus ſi debitor ullus*
*Cum credente, ut nummi non peterentur ab ipſo*
*Is tamen à vinclo iuris manet indè ligatus;*
*Nam pacto convento omninò vincula iuris*
*Non diſſoluuntur. Quare valet actio contra*
*Illum, actor quam intendit, ſi apparebit eũdem*
*Jam dare debere. At quoniam cenſetur iniquũ,*
*Conventum contrà pactum damnarier, ipſum*
*Defendit conventi idcircò exceptio pacti.*

§. *IV.*

*Debitor æquè ſi iuret, cum deferat ipſe*
*Credens, ſe debere nihil dare, iure ligatus*
*Permanet ipſe etiam. At quoniã cẽſetur iniquũ,*
*De falſo iuramento quæri, ipſa tuetur*
*Hunc iuriſiurandi exceptio. Cũ quoque agatur*
*In rem, eſt danda exceptio, ſi iuraverit eſſe*
*Nempè ſuam rem poſſeſſor, cum deferat actor,*
*Rem non ipſe petitor eamdem vindicat; Et ſi*
*Eſt etenim verum, ipſius res eſſe petentis,*
*Non tamen eſt poſſeſſorem damnarier æquum.*

§. *V.*

*Tecum in Judicio ſi etiam fortaſse ſit actum*
*Siuè in rem, ſivè in perſonam, vincula iuris*
*Attamen ipſa manent, idcircò iure deindè*
*De re ipſa te adverſus agẽdi eſt dãda facultas;*
*Ipſa rei at tibi definitæ exceptio prodeſt.*

§. *VI.*

*Hæc nobis cauſa exempli retuliſse ſatis ſit.*
*Quam dãda ex multis, variiſq; exceptio cauſis*
*Sit, poterit Digeſtorum quis noſcere libris.*

§. *VII.*

*Quædam ex lege capit naturã exceptio, quædã*
*Aut ex his, legis quæ cenſentur vice cuidam*
*Naturam aut Prætoris iuriſdictio tradit.*

§. *VIII.*

*Perpetua at quædã, & perimẽs exceptio fertur,*
*Dilatoria quædam, certo ac tempore durans.*

*Per-*

§. IX.

Perpetuæ & peremptoriæ ſunt, quæ ſemper agentibus obſtant,& ſemper rem,de qua agitur , perimunt : qualis eſt exceptio doli mali,& quod metus cauſa factum eſt , & pacti conventi,cum ita convenerit, ne omnino pecunia peteretur.

§. X.

Temporales atque dilatoriæ ſunt,quæ ad tempus nocent, & temporis dilationem tribuunt:qualis eſt pacti conventi,cum ita cōvenerit , nè intra certum tempus ageretur , veluti intra quinquennium : uam, finito eo tempore non impeditur actor rem exequi . Ergo ii , quibus intra certum tempus agere volentibus,obiicitur exceptio aut pacti conventi,aut alia ſimilis: differre debent actionem,& poſt tempus agere . Ideo enim & dilatoriæ iſtæ exceptiones appellantur . Alioqui ſi intra tempus egerint , obiectaque ſit exceptio : neque eo iudicio quicquam conſequebantur , propter exceptionem , neque poſt tempus olim agere poterant : cum temere rem in iudicium deducebant , & conſumebant:qua ratione rem amittebant. Hodie autem non ita ſtrictè hoc procedere volumus, ſed eum , qui ante tempus pactionis vel obligationis litem inferre auſus ſit , Zenonianæ conſtitutionis ſubiacere cenſemus, quam ſacratiſſimus legiſlator de iis,qui tempore plus petierint, protulit: ut & inducias, quas ipſe actor ſponte indulſerit , vel quas natura actionis continet,ſi contempſerit: in duplum habeant ii, qui talem iniuriam paſſi ſunt : & poſt eas finitas non aliter litem ſuſcipiant, niſi omnes expenſas litis antea acceperint : ut actores tali pœna perterriti , tempore litium doceantur obſervare.

§. XI.

Præterea etiam ex perſona ſunt dilatoriæ exceptiones, quales ſunt procuratoriæ : veluti ſi per militem aut per mulierem agere quis velit. Nam militibus, nec pro patre, vel matre,vel uxore , nec ex ſacro reſcripto Procuratorio nomine experiri conceditur : ſuis vero negotiis ſupereſſe ſine offenſa(militaris) diſciplinæ poſſunt . Eas vero exceptiones,quæ olim Procuratoribus propter infamiam vel dantis , vel ipſius Procuratoris opponebantur : cum in iudiciis frequentari nullo

§. *IX.*

*Perpetua , & perimens , quæ ſemper agentibus*
*obſtat ,*
*Et ſemper perimit res,de quibus actio habetur,*
*Qualis erit doli iniqui exceptio,quodq;metus ſit*
*Factum cauſa,& pacti quo convenerit ullus*
*Debens,nè omninò nummi peterentur ab ipſo.*

§. X.

*Jamque eſt dilatoria, certo ac tempore durans,*
*Quæ nocet ad tempus, differt ac tēpora quędā,*
*Qualis erit pacti,quo quis convenerit,intrà*
*Ne certum tempus peteretur,ſcilicet intrà*
*Quinque annos;etenim finito tempore certo*
*Ipſam rem petere actori permittitur.Ergo*
*His qui fortè volent agere intrà tempora certa*
*Obiicitur conventi ſive exceptio pacti,*
*Seù ſimilis,debet differri iam actio,poſtque*
*Tempus debet agi,idcircò nam exceptio talis*
*Dilatoria dicta;alioqui tempus agatur*
*Si intrà certum,ſitq;obiecta exceptio, quicquā*
*Judicio nec eo acquirebant, impediebat*
*Nāq;exceptio,nec poterat poſt tempora quondā*
*Intendi actio,cùm deducebant temerè rem in*
*Judicium,& conſumebant: Ex qua ratione*
*Res amittebant.Verùm nùnc non ità ſtrictè*
*Hoc volumus procedere,eū ſed qui ante ſtatutū*
*In pacto tempus,lites inferre ſit auſus,*
*Ante aut quam quivis teneatur ſolvere debens,*
*Ducimus in Zenonis pænam incurrere legis,*
*Quam edit legiſlator ſacratiſſimus ille*
*De his,poſcent qui tempore plus,dilatio ut, ipſe*
*Quam actor ſponte indulſerit, aut quā cōtinet*
*Actio natura,ſi ſit contempta petenti,* (*ipſa*
*In duplum ſit eis,quibus eſt iniuria facta;*
*Poſt & eam finitam non alia ratione*
*Suſcipiant litem,expenſas ſi non prius omnes*
*Accipiant litis,tali ut perterritus actor*
*Pœna obſervare hęc doceatur tempore litis.*

§. *XI.*

*Ex perſona exceptio dilatoria habetur,*
*Qualis erit procuratoria,poſcere nempè*
*Fæminea à perſona,ſive à milite quicquam*
*Judicio velit;haud etenim pro matre,parēteve*
*Aut uxore ſacra ex reſcripto nomine planè*
*Procuratoris quicquam conceditur ullis*
*Poſcere militibus,rebus ſupereſſe ſuis,ſed*
*Poſſunt militiæ abſque offenſa.Exceptio verò*
*Quæ opponebatur procuratoribus olim*
*Aut dātis proptèr probrum,aut ob dedecus ullū*
*Procuratoris,nulla cum cernitur eſſe in*
Judi-

nullo modo perſpeximus, conquieſcere ſancimus: ne dum de iis altercatur, ipſius negotii diſceptatio protelетur.

*Judicii ratione frequens, de iure quieſcat*
*Ne dum in Judicio de hoc altercatio fiet,*
*Diſceptatio linquatur ſuſcepta negoti.*

## *De Replicationibus.*

## TITVLVS XIV.

INterdum evenit, ut exceptio, quæ prima facie iuſta videtur, (tamē) iniquè noceat. Quod cum accidit, alia allegatione opus eſt, adiuvandi actoris gratia, quæ replicatio vocatur, quia per eam replicatur, atque reſolvitur ius exceptionis: veluti cum pactus eſt aliquis cū debitore ſuo, ne ab eo pecuniam petat: deinde poſtea in cōtrarium pacti ſunt, id eſt, ut creditori petere liceat: ſi creditor agat, & excipiat debitor, ut ita demum condemnetur, ſi non convenerit, ne eam pecuniam creditor petat, nocet ei exceptio, convenit enim ita, namque nihilominus hoc verum manet, licet poſtea in contrarium pacti ſunt. Sed quia iniquum eſt, creditorem excludi, replicatio ei dabitur ex poſteriore pacto convento.

*Evenit interdùm ut quæ exceptio iuſta videtur*
*Aſpectu primo, iniuſtè noceat tamen ipſa.*
*Quod cum contingat fieri allegatio debet*
*Diverſa, ut iuvet actorem. Hæc replicatio dicta eſt.*
*Nam per eam replicabitur, atq; reſolvitur ipſo*
*Jure exceptio, cum pactus ſit ſcilicet ullus*
*Cum debente ſibi, nummos ne poſcat ab ipſo.*
*Poſteà ſunt pacti in contraria, ſcilicet ipſi*
*Ut liceat credenti poſcere, creditor actor*
*Si ſit, & excipiat dein debitor, ut ratione*
*Hac demùm damnetur, ni convenerit, illos*
*Ne nummos depoſcat creditor, officit olli*
*Hæc exceptio; namque ità cōvenit, tamen iſtud*
*Nā remanet verū, quamquā in cōtraria pacti*
*Poſteà ſunt. Quoniam verò eſſe videtur iniquū*
*Credentem excludi, eſt ipſi replicatio danda*
*Ex pacto planè fuerit quod denique factum.*

### §. I.

Rurſus interdum evenit, ut replicatio, quæ prima facie iuſta eſt, inique noceat: quod cum accidit, alia allegatione opus eſt, adiuvandi rei gratia, quæ duplicatio vocatur.

*Inſuper evenit interdùm, ut replicatio, iuſta*
*Quæ prima facie eſt, iniuſtè offecerit, iſtud*
*Cum accidit, afferri tunc allegatio debet,*
*Adiuvet ut debentem, quæ duplicatio fertur.*

### §. II.

Et ſi rurſus ea prima facie iuſta videatur, ſed propter aliquam cauſam actori iniquè noceat: rurſus alia allegatione opus eſt, qua actor adiuuetur: quæ dicitur triplicatio.

*Et rurſus ſi primo aſpectu ea iuſta videtur*
*Eſſe, aliquas propter cauſas offecerit ipſi*
*Actori iniuſtè, allegatio tertia danda,*
*Quę iuvet actorem. Eſt iſthæc triplicatio dicta.*

### §. III.

Quarum omnium exceptionum uſum interdum ulterius, quam diximus, varietas negotiorum introduxit, quas omnes apertius ex Digeſtorum latiore volumine eſt agnoſcere.

*Dicitur interdùm variis de rebus in uſum*
*Quaque exceptio iàm ulterius quàm diximus. Omnes*
*Ex digeſtorum has poteris cognoſcere libris.*

### §. IV.

Exceptiones autem, quibus debitor defenditur, plerumque adcommodari ſolent etiam fideiuſſoribus eius, & rectè: quia quod ab

*Aſt exceptio, qua debens defenditur, eius*
*Sæpè fideiuſſori, & rectè competit: omne*
*Nā quod ab hoc petitur, poſci à debēte videtur;*
*Judi-*

Digitized by Google

ab iis petitur, id ab ipſo debitore peti videtur: quia mandati iudicio reddirurus eſt eis, quod (*ii*) pro eo ſolverint. Qua ratione,& ſi de non petenda pecunia pactus quis cum reo fuerit,placuit perinde ſuccurrendum eſſe per exceptionem pacti conventi illis quoque,qui pro eo obligati ſunt,ac ſi etiam cum ipſis pactus eſſet, ne ab eis ea pecunia peteretur.Sanè quædam exceptiones non ſolent his adcommodari. Ecce enim debitor, ſi bonis ſuis ceſſerit,& cum eo creditor experiatur:defenditur per exceptionem, ſi bonis ceſſerit.Sed hæc exceptio fideiuſſoribus non datur: ideo ſcilicet, quia qui alios pro debitore obligat, hoc maximè proſpicit, ut cum facultatibus lapſus fuerit debitor, poſſit ab iis, quos pro eo obligavit, ſuum conſequi.

*Iudicio mandati,namque tenebitur ipſe*
*Reddere iam debens quidquid perſolverit ille*
*Pro ipſo.Qua ratione & ſi non poſcere nummos*
*Quis fuerit pactus cum ipſo debente,perindè,*
*Ut placuit nobis,conventi exceptio pacti*
*Debebit ſuccurrere ei,quem vincla ligarunt*
*Iuris pro debente,ac ſi eſſet pactus,ab ipſo*
*Nè nummi peterentur.Quædam exceptio planè*
*Iſti non prodeſſe ſolet,nam debitor ecce*
*Forte bonis ſi cedat,agat ſed creditor,indè*
*Iure tuetur cum debentem exceptio,cedat*
*Si ipſe bonis propriis. At verò exceptio talis*
*Iure fideiuſſori non datur, obligat ille*
*Nam qui pro debēte alios,mage proſpicit illud,*
*Debitor ut fuerit rebus ſi lapſus,ab ipſo*
*Indè fideiuſſore ſuum ſibi quærere poſſit.*

## *De Interdictis*

## TITVLVS XV.

SEquitur,ut diſpiciamus de interdictis,ſeu actionibus, quæ pro his exercentur. Erant autem interdicta formæ, atque conceptiones verborum, quibus Prætor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tunc maximè fiebat,cū de poſſeſſione, aut quaſi poſſeſſione inter aliquos contendebatur.

*SUnt nūc interdicta vidēda,aut actio quæuis*
*Quæ pro his exercetur.Erāt cōceptio verò*
*Formaque verborum interdicta, aut iure iubebat*
*Quid fieri Prætor,fieri aut quid iure vetabat,*
*Quod mage tunc fiebat,cū ad certamina ducta*
*Sivè quaſi poſſeſſio erat,poſſeſſio ſivè.*

### §. I.

Summa autem diviſio interdictorum hæc eſt:quod aut prohibitoria ſunt,aut reſtitutoria,aut exhibitoria. Prohibitoria ſunt, quibus Prætor verat aliquid fieri, veluti vim ſine vitio poſſidenti, vel mortuum inferenti, quò ei ius erat inferendi: vel in ſacro loco ædificari, vel in flumine publico,ripave eius aliquid fieri,quo peius navigetur.Reſtitutoria ſunt,quibus reſtitui aliquid iubet, veluti bonorum poſſeſſori poſſeſſionem eorum, quæ quis pro hærede,aut pro poſſeſſore poſſidet (ex ea hæreditate:) aut cum iubet ei, qui vi de poſſeſſione fundi deiectus ſit,reſtitui poſſeſſionem. Exhibitoria ſunt, per quæ iubet exhiberi: veluti eum,cuius de libertate agitur: aut libertum,cui patronus operas indicere velit:aut parenti liberos,qui in poteſta-

### *§. I.*

*Interdictorum verò hæc diviſio ſumma eſt,*
*Quod ſunt ſeu vetitoria,Reſtituentia ſivè,*
*Sunt ſivè Exhibitoria. Sunt Vetitoria,Prætor*
*Quæis aliquid iuſtus prohibet fieri,veluti vim*
*Illi,qui abſque ullo vitio rem poſſidet,aut qui*
*Infert mortuum,ei fuerat quò inferre facultas*
*Iure,loco in ſacro,ſeù ſacras condere ſedes,*
*Sivè aliquid fieri iā in flumine publico, in eius*
*Seù ripa,peius quò navita naviget undis.*
*At ſunt.Reſtituentia,queis quid iure iubetur*
*Reſtitui,Prætor mandat,cum nempe bonorum*
*Poſſeſſori,ut reddatur poſſeſſio eorum,*
*Quæ pro hærede ex illo plane poſſidet aſſe*
*Aut pro poſſeſſore;aut Prætor mandat,ut illi,*
*Cui ſublata eſt,reddatur poſſeſſio fundi.*
*Exhibitoria ſunt;queis mandat,ut exhibeatur*
*Scilicet is,cuius de libertate agitur,vel*
*Li-*

teſtatc eius ſunt. Sunt tamen, qui putent, propriè interdicta ea vocari, quæ prohibitoria ſunt, quia interdicere ſit denuntiare, & prohibere: reſtitutoria autem, & exhibitoria, propriè decreta vocari. Sed tamen obtinuit omnia interdicta appellari: quia inter duos dicuntur.

§. II.

Sequens diviſio interdictorum hæc eſt, quod quædam adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparata ſunt, quædam retinendæ, quædam recuperandæ.

§. III.

Adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa interdictum adcommodatur bonorum poſſeſſori, quod appellatur, *quorum bonorum*, eiuſque vis & poteſtas hæc eſt: ut quod ex his bonis quiſque, quorum poſſeſſio alicui data eſt, pro hærede, aut pro poſſeſſore poſſideat: id ei, cui bonorum poſſeſſio data eſt, reſtituere debeat. Pro hærede autem poſſidere videtur, qui putat ſe hæredem eſſe. Pro poſſeſſore is poſſidet, qui nullo iure rem hæreditariam, vel etiam totam hæreditatem, ſciens ad ſe non pertinere, poſſidet. Ideo autem adipiſcendæ poſſeſſionis vocatur interdictum: quia ei tantùm utile eſt, qui nunc primum conatur adipiſci rei poſſeſſionem. Itaque ſi quis adeptus poſſeſſionem, amiſerit eam, hoc interdictum ei inutile eſt. Interdictum quoque, quod appellatur Salvianum, adipiſcendæ poſſeſſionis cauſa comparatum eſt: eoque utitur dominus fundi de rebus coloni, quas is pro mercedibus fundi pignori futuras pepigiſſet.

§. IV.

Retinendæ poſſeſſionis cauſa comparata ſunt interdicta, *uti poſſidetis*, & *utrubi*: cum ab utraque parte de proprietate alicuius rei controverſia ſit: & ante quæratur uter ex litigatoribus poſſidere, & uter petere debeat. Namque niſi ante exploratum fuerit, utrius eorum poſſeſſio ſit: non poteſt petitoria actio inſtitui: quia & civilis, & naturalis ratio facit, ut alius poſſideat, & alius à poſſidente petat. Et quia longè commodius eſt (& potius) poſſidere, quàm petere: ideo plerumque & ferè ſemper ingens exiſtit contentio de ipſa poſſeſſione. Commodum autem poſſidendi

*Libertus, cui uult operas indicere forte*
*Patronus, natuſve Patri, quem iure poteſtas*
*Eius habet. Tamèn interdicta vocãda putarũt*
*Non nulli propriè, quę ſunt prohibentia tãtùm;*
*Interdicere enim propriè eſt prohibere; ſed eſſe*
*Reſtituentia, & exhibitoria iure vocanda*
*Quædam decreta. Attamẽ interdicta uocantur*
*Omnia; nãque duos inter modò dictà feruntur.*

§. II.

*Eſt interdictorum alia hæc diviſio; quædam*
*Namque, ut quæratur poſſeſſio, iure parata*
*Sunt, quædã ut ſervetur, quædã ut reſtituatur.*

§. III.

*Interdictum, ut quæratur poſſeſſio, planè*
*Jure bonorum poſseſſori adcommodat ipſe*
*Prætor, quod quorum eſse bonorum dicitur, eius*
*Hæc eſt viſque, poteſtas, ut quod quiſq; bonorũ,*
*Quorum iam fuerat poſseſſio certa tributa*
*Ulli, poſſideat pro poſseſſore, vel ipſo*
*Pro hærede, illud ei, cui tunc conceſſa bonorum*
*Eſt poſſeſſio, reſtituat. Sed poſſidet ille*
*Pro hærede, hæredem qui ſe ipſum duxerit eſſe,*
*At verò pro poſſeſſore is poſſidet, ullo*
*Qui non iure hæredis rem, vel poſſidet aſſem*
*Totum, cum non ſpectare ad ſe noverit ipſe.*
*Ideircò verò interdictum dicitur iſtud,*
*Quo poſseſſio quæritur; illi nam utile tantùm*
*Eſt, qui nunc conatur rem ſibi quærere primùm*
*Ergo ſi ille, à quo fuerat poſseſſio capta,*
*Ipſam amiſerit, interdictum ei inutile tale eſt.*
*Interdictum etiam ſalvi de nomine dictum,* Salvianum
*Eſt inductum, ut quæratur poſseſſio fundi,*
*Atque utatur eo Dominus plerumque coloni*
*De rebus, quas pignoribus de Jure futuras*
*Is pepigiſset pro fundi mercedibus eſse.*

§. IV.

*Interdicta ut poſſidetis, & Utrubi ducta*
*Sunt, ut ſervetur poſseſſio, parte ab utraque*
*Cum de proprietate rei altercatio fiet,*
*Et quæretur, uter de contendentibus ante*
*Poſseſsor, tunc debeat ac uter eſse petitor.*
*Namque niſi antè ſit exploratum, utrius eorum*
*Sit poſseſſio, nulla poteſt petitoria certè*
*Inſtitui actio. Nam naturalis ratio, atque*
*Civilis facit, à poſseſsore ut petat unus,*
*Alter poſſideat; quia commodius, potiuſque eſt*
*Poſseſsorem, quàm actorem eſse. Hinc maxima*
*Exiſtit contentio, utri poſseſſio danda. (Sæpe*
*Commoda ſed conſiſtunt poſseſsoris in illo,*
*Quod*

dendi in eo eſt, quod etiam ſi eius res non ſit, qui poſſidet: ſi modo actor non potuerit ſuam eſſe probare, remanet (in) ſuo loco poſſeſſio: propter quam cauſam cum obſcura ſunt utriuſque iura: contra petitorem iudicari ſolet. Sed interdicto quidem *uti poſſidetis*, de fundi vel ædium poſſeſſione contenditur: *utrubi* vero interdicto, de rerum mobilium poſſeſſione. Quorum vis ac poteſtas plurimam inter ſe differentiam apud veteres habebat. Nam *uti poſſidetis* interdicto is vincebat, qui interdicti tempore poſſidebat: ſi modo nec vi, nec clam, nec precario nactus fuerat ab adverſario poſſeſſionem: etiam ſi alium vi expulerat, aut clam arripuerat alienam poſſeſſionem, aut precario rogaverat aliquem, ut ſibi poſſidere liceret: *utrubi* vero interdicto, is vincebat, qui maiore parte eius anni, nec vi, nec clam, nec precario ab adverſario poſſidebat. Hodie tamen aliter obſervatur. Nam utriuſque interdicti poteſtas (quantum ad poſſeſſionem pertinet) exæquata eſt: uti ille vincat, (&) in re ſoli, & in re mobili, qui poſſeſſionem nec vi, nec clam, nec precario ab adverſario litis conteſtatæ tempore detinet.

§. V.

Poſſidere autem videtur quiſque non ſolum ſi ipſe poſſideat, ſed & eius nomine aliquis in poſſeſſione ſit, licet is eius iuri ſubiectus non ſit, qualis eſt colonus, & inquilinus. Per eos quoque, apud quos depoſuerit quis, aut quibus commodaverit, ipſe poſſidere videtur. Et hoc eſt, quod dicitur, retinere poſſeſſionem poſſe aliquem per quemlibet, qui eius nomine ſit in poſſeſſione. Quin etiam animo quoque ſolo retineri poſſeſſionem placet: id eſt, ut quamvis neque ipſe ſit in poſſeſſione, neque eius nomine alius: tamen ſi non relinquendæ poſſeſſiones animo ſed poſtea reverſurus inde diſceſſerit, retinere poſſeſſionem videatur. Adipiſci verò poſſeſſionem per quos aliquis poteſt, ſecundo libro expoſuimus. Nec ulla dubitatio eſt, quin animo ſolo adipiſci poſſeſſionem nemo poſſit.

§. VI.

Recuperandæ poſſeſſionis cauſa ſolet in-
terdi-

*Quod licet, haud eius ſit res, qui poſſidet, actor*
*Si modò non poſſit rem iure ſuam eſſe probare,*
*Indè loco in primo remanet poſſeſſio. Proptèr*
*Quã cauſam quoniam obſcura utriuſq; vidètur*
*Jura, ſolet contrà actorem ſententia ferri.*
*Sed planè interdictum ut poſſidetis habetur,*
*Cum inter non nullos contenditur ipſa domorũ,*
*Aut fundi poſſeſſio; ſed poſſeſſio rerum*
*Prorſus mobiliũ tãtùm* Utrubi *quæritur inter-*
*Dicto. Interdictum quorum uis, atque poteſtas,*
*Plurimũ apud veteres olim diſcrimen habebat*
*Inter ſè; nam illi victoria iure dabatur*
*Interdicto ut poſſidetis, tempore iàm inter-*
*Dicti, cui fuerat poſſeſſio, dummodò nec vi,*
*Nec clàm, nec precibus parti ſublata fuiſſet*
*Adverſæ, quamvis alium deiecerat ipſe*
*Vi, ſeù clam alterius fuerat poſſeſſio capta,*
*Ut licite eſſet poſſeſſor, precibuſve rogarat.*
*Utrubi verò interdicto is vincebat, in eius*
*Cui ſpatio maiori anni neque vi, neq; clam, ullis*
*Nec precibus conceſſa adverſa à parte fuiſſet*
*Hæc poſſeſſio. Nunc aliter tamèn eſſe putatur*
*Servandum; nam interdicti utriuſque poteſtas,*
*Quantum certè ad poſſeſſorem pertinet, ipſa*
*Eſt exæquata, in ſtabili re vincat ut ille,*
*Mobili & in re, à quo fuerit poſſeſſio nec vi,*
*Nec clam, nec precibus quæſita à partibus ipſis*
*Adverſis in conteſtatæ tempore litis.*

§. *V.*

*Non ſolum verò poſſeſſor quiſque videtur,*
*Is ſi poſſideat, ſed ſi eius nomine quiſquam*
*Poſſideat, licet eius iuri ſubditus ille*
*Non ſit, erit veluti inquilinus, ſive colonus.*
*Præterea per eos quoq; apud quos depoſitũ quis*
*Efficiat, vel queis quis commodet, ipſe videtur*
*Poſſeſſor. Quare (ſolitum eſt ut ſæpè referri,)*
*A quocumque poteſt poſſeſſia iure teneri*
*Per quemvis, eius poſſeſſor nomine qui ſit.*
*Quin animo, ut placuit nobis, poſſeſſio ſolo*
*Servari poterit, poſſeſſor ſcilicet ipſe*
*Ut licet haud ſit, poſſideat nec nomine & alter*
*Ipſius, tamen is ſi non ut deſinat eſſe*
*Rerum poſſeſſor, verùm diſcuſſerit illinc*
*nndè reverſurus, poſſeſſor iam eſſe putetur.*
*Acquiri verò per quos poſſeſſio poſſit*
*Tradidimus ſuprà. Verum dubitatio nulla eſt,*
*Quin animo haud ſolo quæri poſſeſſio poſſit.*

§. *VI.*

*Jamque amiſſa ut quæratur poſſeſſio, ſæpè*

terdici, ſi quis ex poſſeſſione fundi vel ædiũ vi deiectus fuerit: Nam ei proponitur interdictũ *unde vi*, per quod is, qui deiecit, cogitur ei reſtituere poſſeſſionem, licet is ab eo, qui vi deiecit, vi, vel clam, vel precario poſſideat. Sed ex cõſtitutionibus ſacris (ut ſupra diximus:) ſi quis rem per vim occupaverit, ſiquidẽ in bonis eius eſt, dominio eius privatur. Si aliena: poſt eius reſtitutionem, etiam æſtimationem (rei) dare vim paſſo compellitur. Qui autem aliquẽ de poſſeſſione per vim deiecerit: tenetur lege Julia de vi privata, aut de vi publica: ſed de vi privata, ſi ſine armis vim fecerit: ſin autem cum armis eum de poſſeſſione vi expulerit, de vi publica (tenetur.) Armorum autem appellatione nõ ſolum ſcuta, & gladios, & galeas, ſed & fuſtes, & lapides ſignificari intelligimus.

*Aſolet interdici, ſi poſſeſſio fundi,*
*Sivè Domus vi erepta eſt; nã proponitur undè*
*Vi interdictum, quo deiector cogitur illi*
*Reddere rem meritò, qui ipſam poſſederat antè*
*Is quamvis ab eo, qui vi deiecerit, aut vi (ante,*
*Poſſideat precibuſve, aut clam. Aſt ut diximus*
*Legibus è ſacris ſi quis per vim occupet ullas*
*Res, quãtũ eſt Dominus, dominatibus ipſe careat*
*Illarũ; ſi alienet poſtquam acceperit ipſas, (bis*
*Ipſarum rerum pretium compellitur illi (ullam*
*Reddere, qui eſt paſſus vim. At qui deiecerit*
*Per vim aliquem de re poſſeſſa, lege tenetur*
*De vi privata, de vi vel publica, at ipſa* Juliæ.
*De vi privata, ſi vi ſine fecerit armis.*
*Si verò cum armis per vim deiecerit illum,*
*De vi publica & ipſe tenetur. Nomine verò*
*Armorum haud ſolum clypeos, gladios, galeaſq;*
*Verùm etiam fuſtes volumus, lapideſq; venire.*

§. VII.

Tertia diviſio interdictorum hęc eſt, quod aut ſimplicia ſunt, aut duplicia. Simplicia ſunt, veluti in quibus alter actor, alter reus (eſt,) qualia ſunt omnia reſtitutoria, aut exhibitoria: Nam actor is eſt, qui deſiderat aut exhiberi, aut reſtitui: reus autem is eſt, à quo deſideratur, ut reſtituat, aut exhibeat. Prohibitoriorum autem interdictorum alia ſimplicia ſunt, alia duplicia. Simplicia ſunt, veluti cum Prætor prohibet in loco ſacro, vel in flumine publico, ripave eius aliquid fieri. Nam actor eſt, qui deſiderat, ne quid fiat: reus eſt, qui aliquid facere conatur. Duplicia ſunt, veluti *uti poſſidetis* interdictum, & *utrubi*. Ideo autem duplicia vocantur, quia par utriuſque litigatoris in his conditio eſt, nec quiſquam præcipuè reus vel actor intelligitur: ſed unuſquiſque tàm rei, quàm actoris partes ſuſtinet.

*Hæc interdicti eſt diviſio tertia, quod vel*
*Simplex eſt, vel duplex. Simplex ſcilicet illud*
*Eſt, in quo reus eſt alter planè, actor & alter,*
*Exhibitoria qualia, reſtituentia cuncta*
*Aut ſunt. Nã is fermè tantũmodo dicitur actor,*
*Qui optat ut exhibeatur, ſivè ut reſtituatur,*
*Eſt verò reus ille, à quo exoptabitur, ipſe*
*Ut vel reſtituat, vel ut exhibeat. Prohibens ſed*
*Interdictum aliud ſimplex eſt, dicitur eſſe*
*Et duplex aliud. Simplex eſt ſcilicet ipſe*
*Cum prohibet Prætor, quicquam nè in flumine, ſacro*
*Sive loco fiat, ripa ſeù fluminis; Actor*
*Namque eſt, qui quærit, ne quid fiat, reus ille,*
*Conatur qui aliquid facere. At duplex erit inter*
*Dictum, nempè ut poſſidetis, &* Utrubi. *Verùm*
*Idcireò duplex horum appellatur utrumque,*
*Contendentis enim utriuſque videtur in iſtis*
*Conditio par, quiſquã haud præcipuè reus, actor*
*Aut intelligitur, paritèr ſed ſuſtinet unus*
*Quiſque rei, atq; actoris partes Judice coram.*

§. VIII.

De ordine & vetere exitu interdictorum ſupervacuum eſt hodie dicere. Nam quoties extra ordinem ius dicitur, (qualia ſunt hodie omnia iudicia) non eſt neceſſe reddi interdictum: ſed perinde iudicatur ſine interdictis, ac ſi utilis actio ex cauſa interdicti reddita fuiſſet.

*Jamq; ſupervacuum eſt præſenti tẽpore quicquã*
*Dicere de interdictorum ordine, dèque vetuſto*
*Fine. Etenim quoties certum ius dicitur extrà*
*Ordinem, ut omnia Judicia extãt tẽpore noſtro,*
*Reddi nequiequam haud eſt interdicta neceſſe.*
*At ſic abſque interdictis ſententia fertur,*
*Utilis ut ſi ex iſtis actio nata fuiſſet.*

Nunc *Nunc*

## *De Pœna temere litigantium.*

# TITVLVS XVI.

NUnc admonendi ſumus, magnam curam egiſſe eos, qui iure ſuſtinebant, ne facilè homines ad litigandum procederent: quod & nobis ſtudio eſt. Idque eo maximè fieri poteſt,quod temeritas tàm agentium,quàm eorum, cum quibus agitur, modò pecuniaria pœna,modò iuriſiurandi religione,modò inſamiæ metu coerceetur.

*NUnc verò debet quicumque advertere ; magnam*
*Curam egiſſe illos,qui reddere iura ſolebant,*
*Ut nè homines facilè ad lites procedere poſſent ,*
*Quod nobis etiã ſtudio eſt. Tãtò & magis iſtud*
*Fiet,quòd levitatem actorum,ſivè reorum*
*Relligio nunc iuramenti, nunc metus ipſe*
*Dedecoris,nunc & nummorum pœna coercet.*

### §. I.

Ecce enim iuſiurandum omnibus , qui conveniuntur , ex conſtitutione noſtra defertur.Nam reus non aliter ſuis allegationibus utitur, niſi prius iuraverit, quod putans ſe bona inſtantia uti , ad contradicendum pervenit.At adverſus inficiantes ex quibuſdam cauſis dupli ( vel tripli) actio conſtituitur,veluti ſi damni,iniuriæ, aut legatorum locis venerabilibus relictorum nomine agatur.Statim autem ab initio pluris,quàm ſimpli eſt actio : veluti furti manifeſti, quadrupli: nec manifeſti,dupli. Nam ex his,& aliis quibuſdam cauſis(ſive quis neget:ſive fateatur)pluris quàm ſimpli eſt actio . Item actoris quoque calumnia coercetur. Nam etiam actor pro calumnia iurare cogitur ex noſtra conſtitutione.Utriuſqve etiam partis advocati iuſiurandum ſubeunt: quod alia noſtra conſtitutione comprehẽſum eſt. Hæc autem omnia pro veteris calumniæ actione introducta ſunt,quæ in deſuetudinem abiit, quia in partem decimam litis actores multabat , quod nuſquam factum eſſe invenimus : ſed pro his introductum eſt (&) præfatum iuſiurandum , & ut improbus litigator (&) damnum,& impenſas litis inferre adverſario ſuo cogatur.

### §. I.

*En defertur enim ius iurandum omnibus illis,*
*Qui modò conveniuntur noſtra ex lege ſtatuta;*
*Nam reus haud aliter rationibus utitur,ante*
*Ni iuraverit,ipſe bona quòd iuſtitia ſe*
*Uti iure putans,incæpit dicere contrà,*
*Adverſus verò inficiantes actio dupli,*
*Sivè tripli è cauſis non nullis iure ſtatuta eſt,*
*Ut ſi damni haud iure dati ſit nomine quævis*
*Actio,legati venerandis ſivè relicti*
*Fortè locis. Primò ſed protinus actio pluris,*
*Plane quàm ſimpli eſt,veluti furti manifeſti*
*Eſt quadrupli,ſed dupli eſt furti nec manifeſti;*
*Nãque ex his , aliiſq; quibuſdã caſibus orta eſt*
*Actio pluris,quàm ſimpli,quis ſive negarit,*
*Seu ſit confeſſus reprimique calumnia debet*
*Actoris;nam etiam pro fraude tenebitur ipſe*
*Actor iurare,ut noſtra eſt ex lege ſtatutum*
*Utriuſque etiam partis iurare patroni*
*Debent, noſtra alia fuerat quod lege ſtatutum.*
*Hęc ſed cuncta,antiqua calũniæ ut actio ceſſet,*
*Introducta fuerunt,quæ deceſſit ab uſu*
*Nam in decimam partem litis tũc tẽporis ipſos*
*Actores mulctabat.Id haud invenimus uſquam*
*Factũ eſſe;at verò pro his iuramẽta dederunt,*
*Ut parti adverſę,is,qui litigat,improbus,omne*
*Damnum,atque expẽſas cogatur reddere litis .*

### §. II.

Ex quibuſdam iudiciis damnati, ignominioſi fiũt: veluti furti,vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo, item tutelæ, mandati, depoſiti,directis, non contrariis actionibus. Item pro ſocio , quæ ab utraque parte directa eſt : & ob id quilibet ex ſociis eo iudicio damnatus,ignominia notatur. Sed furti quidem

### §. II.

*Judiciis aliqui damnati crimina proptèr*
*Indecores fiunt, ut furti,vique bonorum*
*Raptorum,atque iniurię,item de fraude doloſa,*
*Nec non tutelæ,mandati,depoſitique,*
*Actio ſi directa eſt, non contraria,mota.*
*Et quoq;pro ſocio,quæ ex utraq;actio parte eſt*
*Directa; hinc ignominia hoc quicumq; notatur*



Judi-

dem, aut vi bonorum raptorum, aut iniuriarum, aut de dolo, non ſolum damnati notantur ignominia: ſed & pacti, & rectè: plurimũ enim intereſt, utrum ex delicto aliquis, an ex contractu debitor ſit.

*Judicio ex ſociis damnatus; ſed tamen ipſi*
*Damnati furtive, rapinæ, iniuriæ, iniquo*
*Deque dolo, haud ignominia de Jure notantur*
*Solùm, verùm etiam pacti, & recta ratione;*
*Nam refert multũ, utrũ quis ſit crimine debens*
*An verò ſolo ex contractu debitor extet.*

§. III.

Omnium autèm actionum inſtituẽdarum principium, ab ea parte edicti proficiſcitur, qua Prætor edicit de in ius vocando. Utique enim in primis adverſarius in ius vocandus eſt, ideſt ad eum vocandus, qui ius dicturus ſit. Qua parte Prætor parentibus, & Patronis, item parentibus, liberiſque patronorum, & patronarum hunc præſtat honorem: ut non aliter liceat liberis, libertiſque eos in ius vocare, quàm ſi id ab ipſo Prætore poſtulaverint, & impetraverint. Etſi quis aliter vocaverit: in eum pœnam ſolidorum quinquaginta conſtituit.

§. *III.*

*Actio ſed quævis edicti enaſcitur illa*
*Parte, in qua edicit Prætor de in iure vocando;*
*In primis etenim adverſarius ipſe vocandus*
*In ius eſt, ad eum quippè ipſe vocabitur, omne*
*Qui ius dicturus fuerit. Quà parte patronis,*
*Et Patribus Prætor, natis etiam, atque Parẽti*
*Patronorũ, & Patronarũ hunc præſtat honorẽ,*
*Ut nè libertis liceat, natiſque vocare*
*Planè in ius alitèr, quàm ſi à Prætore repoſcãt,*
*Illud & impetrent. Aliter quicumque vocarit,*
*Quinquaginta in eũ ſolidorũ pœna ſtatuta eſt.*

## *De Officio Iudicis.*

## TITVLVS XVII.

SUpereſt ut de officio Judicis diſpiciamus. Et quidem in primis illud obſervare debet Judex, ne aliter iudicet, quàm legibus, aut conſtitutionibus, aut moribus proditum eſt.

*JUdicis officium quicumque agnoſcere debet.*
*Et Judex planè in primis ſervare tenetur,*
*Judicet ut iuxtà leges, moreſue, ſtatuta.*

§. I.

Ideoque ſi noxali iudicio aditus eſt, obſervare debet, ut ſi condemnandus videtur dominus, ita debeat condemnare, *Publium Mævium Lucio Titio in decem aureos condemno, aut noxam dedere.*

§. *I.*

*Atque idcircò aditus noxali iudicio ſi eſt,*
*Debet ſervare, ut ſi iure videbitur eſſe*
*Damnandus Dominus, ſit eum damnare neceſſe*
*Hac ratione: Decem Seio perſolvere nummos*
*Auri condemno Titium, vel tradere noxam.*

§. II.

Et ſi in rem actum ſit (coram iudice:) ſive contra petitorem iudicaverit: abſolvere debet poſſeſſorem: ſive contra poſſeſſorem, iubere ei debet, ut rem ipſam reſtituat cum fructibus. Sed ſi poſſeſſor neget in præſenti ſe reſtituere poſſe, & ſine fruſtratione videbitur tempus reſtituendi cauſa petere, indulgendum eſt ei: ut tamen de litis æſtimatione caveat cum fideiuſſore, ſi intra tempus quod ei datum eſt, non reſtituerit. Et ſi hæredi-

§. *II.*

*Sin verò in rem actum ſit coràm Judice, cõtrà*
*Sive petitorem fuerit ſententia lata,*
*Tunc poſſeſſorem Judex abſolvere debet,*
*Seu contra iniuſtum fuerit ſententia lata*
*Poſſeſſorem, tunc & Judex ipſe iubere*
*Debet, ei rem ut reſtituat cum fructibus. At ſi*
*Jam poſſeſſor ſe in præſenti poſſe negarit*
*Reddere, & utilitèr tempus cenſebitur illud*
*Poſcere, reddendi cauſa, id concedere Judex*
*Debet ei, tamen ut, fuerat quodcumque ſtatutũ*
*Lite,*

reditas petita ſit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de ſingularum rerum petitione. Illorum autem fructuum, quos culpa ſua poſſeſſor non perceperit:(ſive illorum)quos perceperit:in utraque actione eadem ratio pœnæ habetur, ſi prædo fuerit. Si verò bonæ fidei poſseſsor fuerit: non habetur ratio (neque) conſumptorum, neque non perceptorum. Poſt inchoatam autem petitionem, etiam illorum (fructuum ratio habetur, qui culpa poſseſſoris percepti non ſunt, vel percepti conſumpti ſunt.

*Lite,fideiuſſor caveat ſe ſolvere,ni intrà*
*Tempus reſtituat conceſſum debitor ipſe,*
*Sin verò fuerint hæredis iura petita,*
*Fructus circà interveniunt,quæ diximus antè*
*Cum de re fiat quacumque petitio.Verùm*
*Fructuum eorum,quos ſeu non percæperit ipſe*
*Poſſeſſor culpa,ſeù quos perceperit,una,*
*Atque eadem planè ratio debebit haberi;*
*Utraque iudicio cum intenditur actio,ſi ſit*
*Prædo;at ſi ipſe bonæ fidei eſt poſſeſſor,habetur*
*Nec ratio illorum,quos non percæperit,ulla*
*Nec ratio illorum,quos iam conſumpſerit ipſe.*
*At poſtquam eſt incæpta petitio,debet haberi*
*Illorum ratio,quos non perceperit ulla*
*Culpa,perceptos vel quos conſumpſerit indè.*

## §. III.

Si ad exhibendum actum fuerit, non ſufficit, ſi exhibeat rem is, cum quo actum eſt: ſed opus eſt,ut etiã rei cauſam debeat exhibere,id eſt,ut eam cauſam habeat actor quã habiturus eſſet, ſi cum primum ad exhibendum egiſſet, exhibita res fuiſſet. Ideòque ſi inter moras (exhibendi) uſucapta ſit res à poſſeſſore:nihilominus condemnabitur.Præterea fructuum medii temporis, id eſt, eius quod poſt acceptum ad exhibendum iudicium, ante rem iudicatam interceſſerit: rationem habere debet Iudex. Quod ſi neget reus, cum quod ad exhibendum actum eſt, in præſenti ſe exhibere poſſit, & tempus exhibendi cauſã petat, idque ſine fruſtratione poſtulare videatur:dari ei debet, ut tamen caveat ſe reſtituturũ. Quod ſi neque ſtatim iuſſu iudicis rem exhibeat,neque poſtea exhibiturum ſe caveat: condemnandus ſit in id,quod actoris intererat, ſi ab initio res exhibita eſſet.

## §. *III.*

*Sed ſi actum ſit,ut exhibeat,non ſufficit,ille,*
*Cum quo actũ fuerit,ſi rẽ exhibeat.ſed oportet*
*Inſuper exhibeat cauſam rei, ideſt eam ut ipſe*
*Actor cauſã habeat quã habiturus iure fuiſſet,*
*Si cum egiſſet,ut exhibeat,res protinus ipſa*
*Exhibita eſſet.Quare ſi res capta ſit uſu à*
*Poſſeſſore moras inter,damnari etiam ipſe*
*Debet. Fructuum itẽ medii quoq;tẽporis hoc eſt,*
*Eius,quod poſt iudicium ut res exhibeatur,*
*Acceptum,iudicatam interceſſerit ante*
*Rem,iuſtus Judex rationem debet habere,*
*Quod ſi in præſenti ſe reddere poſſe negarit*
*Ipſe reus,cũ quo iam actum ſit,ut exhibeat,ſed*
*Expoſcat tempus,poſſit quò reddere,& illud*
*Poſcere non fruſtrà videatur,temporis illi*
*Hæc danda eſt dilatio,dummodo cautio detur*
*Reddendi. Quòd ſi iuſſu nèque Judicis ipſe*
*Protinus exhibeat,caveat neque ſe exhibiturū*
*Ipſam poſteà rem, fuerit damnandus in illud,*
*Actoris quod erat,ſubitò res reddita ſi eſſet.*

## §. IV.

Si familiæ ereiſcundæ (iudicio) actum ſit: ſingulas res ſingulis hæredibus adiudicare debet: & ſi in alterius perſona prægravare videatur adiudicatio: debet hunc invicem cohæredi certa pecunia (ſicut iam dictum eſt)condemnare. Eo quoque nomine cohæredi quiſque ſuo condemnandus eſt, quod ſolus fructus hæreditarii fundi perceperit, aut rem hæreditariam corruperit, aut conſumpſerit. Quæ quidem ſimiliter inter plures quoque, quam duos cohæredes ſubſequuntur.

## §. *IV.*

*Familiæ ſi ercíſcundæ fortaſſe ſit actum*
*Judicio,cuicumque hæredi adiudicet ipſe*
*Singula. Sed ſi res precioſior eſſe videtur*
*Alterius,certos uni perſolvere nummos*
*Is damnandus erit,ſicut iàm diximus antè.*
*Quiſque cohæredi damnandus nomine tali*
*Eſt quoque,quòd ſolus fructus percœperit ipſe*
*Fundi,aut res corruperit,aut conſumperit ullas*
*Hæredum.Hæc etiam ſimili ratione duobus*
*Hæredes inter plures dicta eſſe putentur.*

Eadem Dd 3 *Hæc*

§. V.

Eadem interveniunt , & ſi communi dividundo de pluribus rebus actum ſit. Quod ſi de una re, veluti de fundo: ſiquidem iſte fundus commodè regionibus diviſionem recipiat: partes eius ſingulis adiudicare debet. Et ſi unius pars prægravare videbitur: is invicem certa pecunia alteri condemnandus eſt. Quod ſi commodè dividi non poſſit: veluti ſi homo fortè, aut mulus erit, de quo actum ſit, tunc totus uni adiudicandus eſt, & is invicem alteri certa pecunia condemnandus eſt.

*§. V.*

*Hac interveniunt eadem, & ſi pluribus actum*
*De rebus fuerit, communi diſtribuendo* Dividundo
*Quod ſi de re una veluti de rure ſit actum,*
*Atque ſuis hoc rus poſſit regionibus aptè*
*Partiri, partes cuicumque adiudicet eius.*
*Et ſi unius pars pretioſior eſſe videtur,*
*Alteri erit certos damnandos ſolvere nummos*
*Is. Quod ſi haud aptè fieri diviſio poſſit,*
*Ut ſi mulus erit, vel homo, de quo foret actum;*
*Hoc caſu totum Judex adiudicat uni,*
*Alteri & is debet certos perſolvere nummos.*

§. VI

Si finium regundorum actum fuerit, diſpicere debet Judex, an neceſſaria ſit adiudicatio: quæ ſanè uno caſu neceſſaria eſt, ſi evidentioribus finibus diſtingui agros commodius ſit, quam olim fuiſſent diſtincti. Nam tunc neceſſe eſt ex alterius agro partem aliquam alterius agri domino adiudicari: quo caſu cōveniens eſt, ut is alteri certa pecunia debeat condemnari. Eo quoque nomine cōdemnandus eſt quiſque hoc iudicio, quod fortè circa fines aliquid malitioſè commiſit: verbi gratia, quia lapides finales furatus eſt, vel arbores finales excidit. Cōtumaciæ quoque nomine quiſque eo iudicio condemnatur: veluti ſi quis, iubēte iudice, metiri agros paſſus non fuerit.

*§. VI.*

*Actum ſi fuerit finis fortaſsè regundi,*
*Debet Judex deſpicere, an ne neceſſe ſit, ipſe*
*Ut fines adiudicet. Id nos eſſe neceſſe*
*Dicimus hoc fieri caſu, ſi finibus arva*
*Commodius mage certis ſit diſtinguere, quondā*
*Quàm diſtincta fuiſsēt; Tūc eſt nāq; neceſse, ut*
*Partem aliquā alterius Judex adiudicet agri*
*Alterius dominus agri. Quo conveniens eſt,*
*Caſu condemnandus certos ſolvere nummos,*
*Alteri ut is ſit eo damnandus nomine quiſque*
*Hoc quoq; iudicio eſt, aliquid quod fortè doloſe*
*Commiſit circà fines, ſi eſt ſcilicet ipſe*
*Furatus lapides finales, arboris aut ſi*
*Finales truncos cædit. Damnabitur iſto* Contumacia.
*Judicio, ſi quis paſſus meterier agros,*
*Non ſit, metiri Judex quod iuſserat ante.*

§. VII.

Quod autem iſtis iudiciis alicui adiudicatum fuerit: id ſtatim eius fit, cui adiudicatum eſt.

*§. VII.*

*Quod vero cuiquam Judex adiudicat iſtis*
*Judiciis, ſit id eius cui adiudicat ipſe.*

## *De Publicis Iudiciis.*

## TITVLVS XVIII.

Publica iudicia neque per actiones ordinantur, neque omnino quicquam ſimile habēt (cum) ceteris iudiciis, de quibus locuti ſumus: magnaque diverſitas eorum eſt & in inſtituendo, & in exercendo.

*Publica iudicia haud ulla ordinat actio quidquam*
*Nec ſimile hac aliis omninò putantur habere*
*Judiciis de queis ſuprà, & diſcrimen eorum (do.*
*Planè eſt magnū, & in exercēdo, & in inſtituē-*

§. I.

Publica autem dicta ſunt, quod cuiuis ex populo executio eorum plerumque datur.

*§. I.*

*Judicia hæc verò à nobis ſunt publica dicta,*
*Quod cuique è populo ipſorum datur actio ſæpè.*

§. II.

Publicorum iudiciorum quædam capita-

lia

*§. II.*

*Publica iudicia at quædam capitalia, quædam*

*Non*

lia ſunt; quædam non capitalia. Capitalia dicimus, quæ ultimo ſupplicio afficiunt (homines,) vel (etiam) aquæ & ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Cætera, ſi quam infamiam irrogant, cum damno pecuniario: hæc publica quidem ſunt, non tamen capitalia.

§. III.

Publica autem iudicia hæc ſunt: lex Julia maieſtatis, quæ in eos, qui contra Imperatorem, vel rempublicam aliquid moliti ſunt, ſuum vigorem extendit. Cuius pœna animæ amiſſionem ſuſtinet, & memoria rei etiam poſt mortem damnatur.

§. IV.

Item lex Julia de adulteriis coercendis, quę non ſolum temeratores alienarum nuptiarum gladio punit, ſed & eos, qui cum maſculis nefandam libidinem exercere audēt. Sed eadem lege Julia etiam ſtupri flagitium punitur cum quis ſine vi vel virginem, vel viduam honeſtè viventem, ſtupraverit. Pœnam autem eadem lex irrogat ſtupratoribus: ſi honeſti ſunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: ſi humiles, corporis coercitionem cum relegatione.

§. V.

Item lex Cornelia de ſicariis, quæ homicidas ultore ferro perſequitur, vel eos, qui hominis occidendi cauſa cum telo ambulant. Telum autem (ut Caius noſter ex interpretatione legum duodecim tabularum ſcriptum reliquit) vulgo quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur: ſed & omne ſignificat, quod manu cuiuſque iacitur. Sequitur ergo, ut lignum, & lapis, & ferrum hoc nomine contineatur: dictum ab eo, quod in longinquum mittitur, (à) Græca voce τηλοῦ figuratum. Et (ſic) hanc ſignificationem invenire poſſumus & in Græco nomine: nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant. Admonent nos epigrammata in Xerolopho Urbis fauſtiſſimæ ſcripta, ϗ τὰ βέλη ὁμοῦ ἐφέρετο, λόγχαι, τοξεύματα, σφενδόναι, πλεῖστοι δ' ἐ ϗ λίθοι, *id eſt, Et huiuſmodi tela ſimul ab eis ferebantur, lanceæ, ſpicula, fundæ, plurimi autem & lapides.* Sicarii autem appellantur à ſica, quod ſignificat ferreum cultrum. Eadem lege & venefici capite damnantur, qui artibus odioſis, tam venenis, quam ſuſurris

*Nō capitalia ſunt. Capitalia dicimus illa ſignis*
*Quæ dānant homines morti, ſeù queis aquæ, &*
*Interdictio deportatio, ſivè metalli*
*Pœna imponitur, inducunt ſed cætera ſi quod*
*Dedecus, ac damnum nummorū, publica planè*
*Sunt, tamē hæc capitalia nō dicenda videntur.*

*§. III.*

*Publica iudicia aſt hæc omninò eſſe putantur:*
*Julia lex maieſtatis, quæ robur in illos*
*Extendit, qui contrà reges, publicam & in rem*
*Sunt aliquid moliti. Mortem ſubſtinet huius*
*Pœna, memoria poſt mortē & damnabitur eius,*
*Auſus qui hoc fuerit crimen crudele patrare.*

*§. IV.*

*Julia lex etiam, quæ & adulteria ipſa coercet* De adulteriis.
*Lædentem gladio alterius connubia punit*
*Non ſolùm, ſed eos quoq; qui exercere nefandā*
*Cū maribus rem audēt. Eadem lex Julia punit*
*Stupri etiam crimen nulla vi Virgo ſtuprata*
*Cum fuerit, vidua, aut vitā quæ ducit honeſtā*
*At ſtupratori pœnam lex irrogat ipſa,*
*Nobilis is ſi eſt, confiſcatio pœna bonorum*
*Dimidiæ eſt partis, ſi humilis iam pœna coercet*
*Corporis hoc crimen nèc non relegatio iure.*

*§. V.*

*Lex etiam Cornelia, ferro ultore homicidas*
*Quæ ſequitur vel eū, qui telo incedit & armis*
*Occidēdi hominis cauſa. At quod mittitur arcu,*
*Id vulgò telum appellatur Caius ut ipſe*
*Tradidit interpres legis quæ ſcripta tabellis*
*In duodenis eſt illud ſed & indicat omne,*
*Quo[illegible] ergo,*
*Vt lapis, & lignum rigidumq; hoc nomine ferrū*
*Contineantur, dictum ab eo quod mittitur uſq;*
*Ad longinquum* τηλοῦ *græca à voce vocatum.*
*Sic poterit reperiri hæc ſignificatio græco in*
*Nomine; nos etenim telum quod dicimus eſſe*
*Appellant Græci* βέλος. *Nos admonet illud*
*Magno in Xerolopho urbis fauſtę ſcriptum Epigramma:*
*'Atque ab eis tela iſta ferebantur ſimul, haſtæ,*
*Quam plures etiam lapides, & ſpicula, fundè,*
*A ſica verò nomen ſicarius affert*
*Quæ ferri eſt culter capite & dānatur eadem*
*Lege veneficus, & qui odioſis artibus, atque*
*Carminibus magicis, lethalibus atque venenis*

'Ma-

ſurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publicè vendiderint.

§. VI.

Alia deinde lex aſperrimum crimen nova pœna perſequitur, quæ Pompeia de parricidiis vocatur : qua cavetur, ut ſi quis parentis, aut filii, aut omnino adfinitatis eius, quæ nuncupatione parentum continetur, fata præparaverit ( ſive clam, ſive palam id auſus fuerit ) ( nec non is, cuius dolo malo id factum eſt, vel conſcius criminis exiſtit, licet extraneus ſit, ) pœna particidii puniatur, & neque gladio, neque ignibus, neque ulli alii ſolemni pœnæ ſubiiciatur, ſed inſutus culeo cum Cane, & Gallo gallinaceo, & Vipera, & Simia, & inter eas ferales anguſtias comprehenſus, ſecundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinum mare, vel in amnem proiiciatur, ut omnium elementorum uſu vivus carere incipiat, & ei cœlum ſuperſtiti, (&) terra mortuo auferatur. Si quis autem alias cognatione vel adfinitate perſonas coniunctas necaverit : pœnam legis Corneliæ de ſicarii ſuſtinebit.

§. VII.

Item lex Cornelia de falſis, quæ etiam teſtamentaria vocatur, pœnam irrogat ei, qui teſtamentum, vel aliud inſtrumentum falſum ſcripſerit, ſignaverit, recitaverit, ſubiecerit, vel ſignum adulterinum fecerit, ſculpſerit, expreſſerit ſciens dolo malo. Eiuſque legis pœna in ſervos, ultimum ſupplicium eſt ( quod etiam in lege de ſicarris & veneficis ſervatur) in liberos vero deportatio.

§. VIII

Item lex Julia de vi publica ſeu privata, adverſus eos exoritur, qui vim vel armatam, vel ſine armis commiſerint. Sed ſi quidem armata vis arguatur deportatio ei ex lege Julia de vi publica irrogatur: ſi verò ſine armis, in tertiam partem bonorum (ſuorum) publicatio imponitur : ſin autẽ per vim raptus virginis, vel viduæ, vel ſanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus, tunc & raptores, & ii, qui opem (huic) flagitio dederunt, capite puniuntur, ſecundũ noſtræ conſtitutionis definitionem, ex qua hoc apertius poſſibile eſt ſcire.

Item

*Mactarint homines mala, ſeù medicamina*
*vendant.*

§. *VI.*

*Lex alia indè nova crudelia crimina pœna*
*Perſequitur, quæ Pompeja eſt in jure vocata,*
*Hac cavet, ut ſi fata patris, native pararit* De Parricidiis.
*Quis ſivè affinis veniet, qui voce parentis*
*(Id fuerit ſivè occultè, ſivè auſus apertè)*
*Necnon is, cujus factum eſt id fraude doloſa,*
*Cõſcius haud eſt criminis, etſi extraneus extet*
*Pœna plectatur, qua plectitur ipſe parentis*
*Occiſor gladio non ſubiiciatur et igni,*
*Nec ſolemni alia pœna multabitur ipſe*
*Culeo at inſutus Gallus, cui jungitur unà*
*Cum cane Gallinaceus, atq; aſperrima ſerpens*
*Vipera cum Simia, infelix interq; ferales*
*Ærumnas comprenſus eas regionis, ut ipſa*
*Conditio tulerit, vel projiciatur in amnem,*
*Vel mare vicinum, ut vivus cujusq; carere*
*Incboet uſu elementi cœlum deſit, ut illi*
*Viventi & tellus tollatur lumine caſſo.*
*Jam verò ſi quis perſonas fortè necarit*
*Affines alias, aut quas cognatio junxit*
*Plectatur ſtatuit quam lex Cornelia pœna.*

§. *VII.*

*Lex Cornelia de falſis, quæ iure vocatur*
*Et teſtamentaria, pœnas irrogat illi*
*Qui falſum inſtrumentũ, vel teſtamina ſcribat;*
*Signet, ſubiiciat, recitet, vel adulteret ipſum*
*Signum, ſivè ſciens inſculpat fraude doloſa*
*Exprimat. Hac ſervi plectuntur lege ſupremo*
*Supplicio ſervatur & hoc in lege ſtatuta.* De Sicariis & Veneficiis.
*Ingenuos homines ſed deportatio punit.*

§. *VIII.*

*De vi publica item aut privata Julia lex in*
*Illum oritur, qui vim armatã cõmiſerit, abſq;*
*Aut armis. Sed ſi planè vis facta ſit armis*
*De vi publica ei tribuit lex Julia pœnam,*
*Eſt quæ deportatio; Sin vis facta ſit abſque*
*Armis, confiſcatur ei pars terna bonorum,*
*Sin vero vidua aut fuerit, vi, raptave virgo*
*Aut alia, aut monialis, raptor, quique dederũt*
*Ipſi crimini opem, plectuntur iure ſupremo*
*Supplicio, ſicut decrerat ſanctio noſtra,*
*Ex quà quiſque poteſt cognoſcere clarius iſtud.*

*Lex-*

§. IX.

Item lex Julia peculatus eos punit, qui publicam pecuniam, vel rem ſacram, vel religioſam furati fuerint. Sed ſi quidem ipſi iudices tempore adminiſtrationis publicas pecunias ſubtraxerint: capitali animadverſione puniuntur: & non ſolum hi, ſed etiam qui miniſterium eis ad hoc exhibuerint, vel qui ſubtractas ab his ſcientes ſuſceperint. Alii verò qui in hanc legem inciderint pœnæ deportationis ſubiungentur.

§. *IX.*

*Lexque peculatus illos quoque Julia punit,*<br>
*Publica queis fuerit ſubrepta pecunia, ſacra,*<br>
*Aut res, religioſave. Sed ſi Judice ab ullo,*<br>
*Tempore, quo fuerint ipſi moderamina rerum*<br>
*Publica ſit plane ſubtracta pecunia, pœna*<br>
*Punitur capitis; ſolùm nèc plectitur ipſe,*<br>
*Verum etiam qui opem ad hoc dederit, ſuſcepe-*<br>
*rit ipſam*<br>
*Sive ſciẽs ſubtractam; Alium at, qui offenderit*<br>
*In legem multabit deportatio iure. (iſtam*

§. X.

Eſt & inter publica iudicia lex Flavia de plagiariis, quæ interdum capitis pœnam ex ſacris conſtitutionibus irrogat, interdum leviorem.

§. *X.*

*Judicia inter publica lex eſt Flavia, ſævam*<br>
*Jure aliquando plagi, quę pœnã iã irrogat ipſam*<br>
*Interdum leviorem, ſacra ut lege ſtatutum eſt.*

§. XI.

Sunt præterea publica iudicia, lex Julia de ambitu, lex Iulia repetundarum, & lex Iulia de annona, & lex Iulia de reſiduus, quę de certis capitulis loquuntur: & animæ quidem amiſſionem non irrogant: aliis autem pœnis eos ſubiiciunt qui præcepta earum neglexerint. Sed de publicis iudiciis hęc expoſuimus, ut vobis poſſibile ſit ſummo digito, & quaſi per indicem ea tetigiſſe: alioqui diligentior eorum ſcientia vobis ex latioribus Digeſtorum ſeu Pandectarum libris Deo propitio adventura eſt.

§. *XI.*

*Judicia atque etiam ſunt publica Julia lex de*<br>
*Ambitu, item repetundarum lex Julia, lex &*<br>
*Julia de annona, quoque prodita Julia lex de* Reſiduis<br>
*Relliquiis, quæ de certis iam iure loquuntur*<br>
*Criminibus, capitis pœnam non ferre videntur,*<br>
*Atque reos aliis cenſentur plectere pœnis,*<br>
*Qui ſpernant præcepta ipſarum. Publica verò*<br>
*Judicia hæc deſcripſimus ipſi, poſſibile ut ſit*<br>
*Hæc ſummo digito tetigiſſe, quaſi indice veſtro:*<br>
*Eſt alioqui perventura ſcientia vobis*<br>
*Clarior ipſorum cum numine quiſque ſecundo*<br>
*Poſſit ea è Pandectarum cognoſcere libris.*

## *Inſtitutionum Finis.*

IN-

# INDEX

## TITVLORVM SEV RVBRICARVM

### Quatuor librorum Inſtitutionum Iuſtiniani

In Carmine Redactarum

In quo numerus prior librum, alter titulum. Poſtremus verò paginam huius editionis demonſtrat.


A

*Acquiſitione per adrogationem* 3 11 132
*Actionibus* 4 6 182
*Ademptione legatorum* 2 21 97
*Adoptionibus* 1 11 18
*Ad ſignatione libertorum* 3 11 128
*Attiliano Tutore, & eo, qui lege Iulia, & Titia dabatur* 1 20 28
*Auctoritate Tutorum* 1 21 29

B

*Bonorum poſſeſſionibus* 3 10 129

C

*Capitis diminutione* 1 16 28
*Codicillis* 2 52 105
*Curatoribus* 1 23 31

D

*Diviſione ſtipulationum* 3 19 141
*Donationibus* 2 7 58
*Duobus reis ſtipulandi, & promittendi* 3 17 140

E

*Emptione & venditione* 3 24 150
*Eo cui libertatis cauſa bona addicuntur* 3 12 133
*Exceptionibus* 4 13 203
*Excuſationibus tutorum, vel curatorum* 1 25 34
*Exheredatione liberorum* 2 13 73

F

*Fideicommiſſariis hereditatibus, & ad Senatus Conſultum Trebellianum* 2 23 99
*Fideiuſſoribus* 3 21 147
*Fiduciaria Tutela* 1 19 28

G

*Gradibus Cognationum* 3 6 122


*Here-*

Digitized by Google

# I N D E X


H

*Hæredibus Inſtituendis* 2. 14. 75.
*Hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur* 3. 1. 107.
*Hæredũ qualitate,& differentia* 2. 19. 85.
*His qui ſui,vel alieni iuris ſunt* 1. 8. 13.

I

*Ingenuis* 1. 4. 9.
*Iniuriis* 4. 4. 177.
*Inofficioſo Teſtamento* 2. 18. 83.
*Interdictis* 4. 15. 207.
*Inutilibus ſtipulationibus* 3. 20. 142.
*Iis per quos agere poſſumus* 4. 10. 199.
*Iure naturali Gentium,& Civili* 1. 2. 5.
*Iure Perſonarum* 1. 3. 8.
*Iuſtitia,& iure* 1. 1. 4.

L

*Legatis* 2. 20. 88.
*Lege Aquilia* 4. 3. 173.
*Lege falcidia* 2. 22. 97.
*Lege fuſia Caninia tollenda* 1. 7. 13.
*Legitima Agnatorum ſucceſſione* 3. 2. 114.
*Legitima Agnatorum Tutela* 1. 15. 25.
*Legitima Parentum Tutela* 1. 18. 23.
*Legitima Patronorum Tutela* 1. 17. 27.
*Libertinis* 1. 5. 9.
*Literarum obligationibus* 3. 22. 149.
*Locatione,& Conductione* 3. 25. 153.

M

*Mandato* 3. 27. 157.
*Militari Teſtamento* 2. 15. 68.

N

*Noxalibus Actionibus* 4. 8. 197.
*Nuptiis* 1. 10. 15.

O

*Obligationibus* 3. 14. 236.
*Obligationis ex conſenſu* 3. 23. 149.
*Obligationibus quæ quaſi ex contractu naſcuntur* 3. 28. 160.
*Obligationibus quæ ex delicto naſcuntur* 4. 1. 166.
*Obligationibus quæ quaſi ex delicto naſcuntur* 4. 5. 180.
*Officio Iudicis* 4. 17. 212.

P

*Patria poteſtate* 1. 9. 14.
*Perpetuis,& Temporalibus Actionibus & quæ ad hæredes, & in hæredes tranſeunt* 4. 12. 202.
*Per quas perſonas cuique acquiritur* 2. 9. 62.
*Per quas perſonas nobis obligatio acquiritur* 3. 29. 162.
*Pœna temere litigantium* 4. 16. 215.
*Publicis iudiciis* 4. 18. 214.
*Pupillari ſubſtitutione* 2. 16. 79.

Q

*Quibus alienare licèt vel non* 2. 8. 60.
*Quibus ex cauſis manumittere non licet* 1. 6. 15.
*Quibus modis ius Patriæ poteſtatis ſolvitur* 1. 12. 20.
*Quibus modis recontrahitur obligatio* 3. 15. 236.
*Quibus modis Teſtamenta infirmentur* 2. 17. 81.
*Quibus modis tollitur obligatio* 3. 30. 163.
*Quibus modis tutela finitur.* 1. 22. 30.
*Quibus non è permiſſum facere Teſtamentum* 2. 22. 70.
*Qui Teſtamento Tutores dari poſſunt* 1. 14. 24.
*Quodcum eo,qui in aliena poteſtate è negotium geſtum eſſe dicitur* 4. 7. 193.

R

*Rebus corporalibus, & incorporalibus* 2. 2. 50.
*Replicationibus* 4. 14. 206.
*Rerum diviſione & acquirendo ipſarum dominio* 2. 1. 39.


Sa.

# I N D E X

**S**

*Satiſdatione Tutorum, vel Curatorum* 1. 24. 32.
*Satiſdationibus* 4. 15. 206.
*Senatus Conſulto Orficiano* 3. 4. 120.
*Senatus Conſulto Tertulliano* 3. 3. 118.
*Servili Cognatione* 3. 7. 124.
*Servitutibus Prædiorum* 2. 3. 51.
*Singulis rebus per fideicommiſſum relictis* 2. 24. 104.
*Si quadruplex pauperiem feciſſe dicatur* 4. 15. 198.
*Societate* 3. 26. 155.
*Stipulatione Servorum* 3. 18. 141.
*Succeſſione Cognatorum* 3. 5. 121.
*Succeſſione Libertorum* 3. 8. 155.
*De Succeſſionibus ſublatis quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex Senatus Conſulto Claudiano* 3. 13. 135.
*Suſpectis Tutoribus, vel Curatoribus* 1. 26. 37.

**T**

*Teſtamentis ordinandis* 2. 10. 65.
*Tutelis* 1. 13. 23.

**V**

*Verborum obligationibus* 3. 16. 138.
*Vi Bonorum Raptorum* 4. 2. 172.
*Vſucapionibus, & longi temporis præſcriptionibus* 2. 6. 55.
*Vſu & habitatione* 2. 5. 53.
*Vſufructu* 2. 4. 52.
*Vulgari ſubſtitutione.* 2. 15. 78.

# F I N I S.

Ant 1313613

XXII
E13

Digitized by Google